Digitized by Google

Digitized by Google

DIONYSII PETAVII

Aurelianenſis è Societ. Jeſu,

RATIONARIUM TEMPORUM.

EDITIO NOVISSIMA,

CUI ACCESSERUNT, PRÆTER *Diſſertationes* & *Tabulas Chronologicas* antea editas, APPENDIX HISTORICUS uſque ad annum 1718; Et NOTÆ IN ANTIQUAM HISTORIAM, præcipua illius capita illuſtrantes.

TOMUS SECUNDUS.

LOTH. PALAT. BIBL. CAES.

COLONIÆ,

Sumptibus SOCIETATIS.

MDCCXX.

IN POSTERIOREM

RATIONARII

PARTEM

ad candidum Lectorem

PRÆFATIO.

QUÆ *ſit* Rationarii *noſtri poſteriori hâc editione inſtituta diviſio, in prioris Partis Præfatione tibi (candide atque erudite Lector) expoſui. Nunc Pars altera ſequitur; in quam quæ ſunt hujus artis operiſque* τεχνικὰ *conjecimus. Ea tributa eſt in libros quatuor. Quorum primus Iſagogen continet Chronologicæ artis, ac rerum ad ejus ſcientiam methodumquè maxime neceſſariarum. In quem characteriſmos annorum, & earum nationum, quarum ſæpiùs annis utimur, tempora contulimus; velut* Judçorum, Ægyptiorum, Arabum. *Tum vera falſaque dijudicandæ Chronologiæ modum ac viam præſcripſimus, non regulis modò tradendis, ſed etiam exemplis ex ea Chronologia petitis, quæ una ferè hactenus his ſcateret vitiis omnibus, quæ caveri hoc in genere maximè vellemus. Etenim dici hoc ſine mendacio ac malevolentia poteſt, ex tanto Chronologiarum numero, quantus ad hanc diem exſtitit, nullam eſſe deteriorem, quàm quæ per ſummam indignitatem ſpecioſum illud ſanctitatis ſibi nomen aſſumpſit; credo, ut ab ſe inquiſitiones hominum ac judicia hoc velut ſacræ rei & religionis objectu defenderet. Eſt autem ejuſmodi, qualem neque doctus probare quiſquam, nec niſi imperitus laudare poſſit. In hujus ergo perſtringendis & caſtigandis erroribus, artis ac*

methodi noſtræ ſpecimen elaboravimus, quo illius periculo ac ruinâ cautiores reddamus cæteros, qui ad hujus præſtantiſſimæ diſciplinæ ſtudium ſeſe conferent, ſi minùs illi ipſi peſſimi Operis artifici prodeſſe poſſimus, ut ad ſua vel cognoſcenda vel emendanda peccata inde proficiat: quorum alterum, uſum aliquem ingenii doctrinæque poſtulat: alteri, inveteratus amor ſui, & obtrectandi major aliis, quàm intelligendi veri, cupiditas obſiſtit. Accedit ad hæc animi vitia ætas hominis jam ingraveſcens, quæ minimè omnium ad diſciplinam idonea ſolet eſſe; qui ſe tam grandi natu Diſcipulum temporum, & Opilionem, hoc eſt, ruſticum & obnormem Chronologum publicè profitetur, neque multum in ea re conſecutum ſe eſſe, neque porrò conſequi poſſe confidat.

Reliqui libri tres præcipuorum Hiſtoriæ capitum, quæ in priori Parte hiſtorico propè ſtylo tradita ſunt, demonſtrationesChronologicas probationeſque complectuntur, quarum ad ſingulas prioris Partis marginales notæ Lectorem dirigunt, ut cùm nudam ac ſimplicem rerum narrationem ac ſeriem ex illa didicerit, argumentum temporum, ac fidem epochæ, ut vocant, cujuſlibet ex hoc poſteriore conquirat.

RATIONARII TEMPORUM PARS SECUNDA.

quæ eſt

ἀποδεικτικὴ, ſive τεχνική.

LIBER PRIMUS,

In quo Catholica Temporum traduntur, hoc eſt rerum ad Chronologiam utilium brevis Iſagoge.

CAPUT I.

De duplici anno Juliano *&* Tropico, *deque* Gregoriana *caſtigatione.*

HISTORIA rerum præteritarum eſt narratio: Chronologia verò rerum earumdem certis ex indiciis ad ſua tempora temporumque partes accommodatio.

Quare huic illa materiem copiamque ſuppeditat: hæc illi viciſſim formam, ac velut regulam, adhibet. Illa ſimplici rerum geſtarum ordine contenta eſt, nec annorum ſingulorum exactam rationem inſtituit: hæc annos ipſos, quoad licet, annorumque partes, quibuſdam notis ac veſtigiis aſſequitur. Eæ notæ ſive characteres temporum iiſdem à principiis, à quibus & tempora ipſa, proficiſcuntur. Tempus eſt menſura motus ſecun-

Vide l. 7. de Doct. Temp. c. 2.

dùm priores poſterioreſque partes. Atque hoc duorum præcipuè ſiderum converſione finitur, Solis atque Lunæ, quorum prior circuitu ſuo annum efficit, Luna menſem: qui duodecies replicatus ex hominum inſtituto, ſui generis, hoc eſt lunarem componit annum.

Annus duplex.

Hinc duplex conſurgit annus, qui quidem ad uſum artis hujus adhibetur: alter ad Solis, alter ad Lunæ curſum deſcribitur. Solis annus itidem eſt duplex. Nam unus eſt exactus, qui ſolaris curriculi numeros implet: alter civilis ac minus accuratus, qui popularem ad uſum paululum ab illo deflectitur.

Unde Tropicus dicitur.

Priorem *Tropicum* vulgò nominant: non quòd à ſolſtitio, quas τροπὰς propriè vocant, inchoari ſolitus eſſet, ut quibuſdam placet, & nos olim putavimus: ſed quoniam ab aliquo cardinum annuorum quatuor, æquinoctiis duobus, vel ſolſtitiis totidem, illius initium ducitur. Etenim non minùs æquinoctia, quàm ſolſtitia, τροπὰς appellarunt. De qua re inſignis eſt locus *Sexti Empirici lib. 5. adverſus Mathem. cap.* 1. ubi de ſigniferi ζωδίοις, id eſt *ſignis*, agens, Τροπικὰ μὲν, inquit, ἐν οἷς γινόμενος ὁ ἥλιος μεταλλάσσει, καὶ ποιεῖ τοῦ περιέχοντος τροπάς· οἷόν ἐστι ζώδιον, ὅ τε κριὸς, καὶ τὸ τούτου διάμετρον, καθάπερ ζυγός, αἰγόκερώς τε, καὶ καρκῖνος ἐν κριῷ μὲν γὰρ ἐαρινὴ γίνεται τροπή ἐν αἰγοκέρῳ δὲ χειμερινή· ἐν καρκίνῳ δὲ θερινή· καὶ ἐν ζυγῷ φθινοπωρινή. *Tropica ſigna ſunt ea, in quibus Sol poſitus immutat, & aëris converſiones facit: cujuſmodi ſignum eſt Aries, & quod ex adverſo illum reſpicit, velut Libra, Capricornus item, & Cancer: nam in Ariete fit verna converſio. in Capricorno hyberna: in Cancro æſtiva: & in Libra autumnalis.* Sic *Oppianus* ὀπωρινὰς τροπὰς vocat in *Cyneg.* 1.

Ἠ πάλιν ἐσχατιῇσιν. ὀπωρινῇσι τροπῇσι

Ἠνίκα

Ἡνίκα δῶμα τέθηλεν ὀπωρολόγοιο γεωργοῦ.

Aut rurſus extremis autumnalibus converſionibus,

Quando domus vireſcit fructus colligentis agricolæ.

Manilius item in fine *libri* 3. de ſignis illis quatuor,

Quæ Tropica appellat, quod in illis quatuor anni

Tempora vertuntur ſignis. ----

Et *Procopius* τροπὰς pro verno æquinoctio paſſim uſurpat, nonnunquam & ἐαρινὰς adjungens. Denique *Philo Judæus* in *Coſmopœia* μετοπώρου τροπὰς appellat, *autumnalem converſionem*, id eſt æquinoctium. Hanc τῶν τροπῶν notionem tot teſtimoniis affirmandam eſſe duxi, quòd ea viros doctos Vocabulariorum auctores præterierit. Certè nullam mentionem illius faciunt: ne *Henricus* quidem *Stephanus* dilucentiſſimus alioqui *Theſauri* conditor. Tropici anni, ſive cœleſtis, perinde ut ſolaris curſus, ignotus eſt modus. Siquidem inæqualis eſt converſio Solis ab uno cardine ad ſimilem alterum, ac modò major, modò minor, ut in Theoricis oſtenditur. Verùm medius quidam & inter extrema temperatus ambo, *Tropicus* annus eſt, qui dierum ſpatio definitur 365. horarum 5. 49. ut in IV. *de Doct. Temp. cap.* 36. probavimus. 1. Cor. Pag. 22.

Poſterioris generis annus *Julianus* dicitur, quod eum *Julius Cæſar* communem ad uſum *Romani* orbis tranſtulit, qui diebus conſtat 365. horis præcisè 6. Horæ tamdiu differuntur, dum collectæ diem efficiant. Id quarto quoque vertente anno fit. Ideo quinti initio dies unus accedit ad ſummam, qui biſextilis vocatur, quod ante 6. Cal. *Martias* inſcritur, ac bis ſexto Calendas uſurpatur. *Julianus annus.*

Igitur cœleſtis annus, ſive *Tropicus*, *Juliano* *Tropicus annus.*

minor eſt ſcrupulis horariis 11. cujuſmodi hora ſexaginta continet, dies verò 1440. Ut igitur ſcias quot annorum ſpatio diei unius anteceſſio colligatur in anno *Juliano*, divide 1440. per 11. efficies annos 131. ferè, hoc eſt 130. $\frac{10}{11}$. quo intervallo *Tropici* anni caput *Julianum* antevertit. Fingatur enim Solis ingreſſus in æquinoctii punctum hoc anno competere in mediam noctem, quæ inter 20. & 21. *Martii* diem intercedit, ab eoque momento ambo anni, *Tropicus*, & *Julianus*, incipiant. Poſt annos 131. & æquinoctium cadet in mediam noctem, quæ eſt inter 19. & 20. *Martii*. Poſt annos item 262. recidet in mediam noctem, quæ 18. & 19. diem dirimit. Poſt 393. annos denique, in eam, quæ inter 17. & 18. diem media eſt. Ita paulatim *Tropici* anni caput, cum annuo æquinoctii cardine, in anni *Juliani* modo verſus menſium initia reflectitur: dum interea *Julianus* annus in ſtatione ſua perſeverat: quæ quidem rudi *Minervâ*, non limatâ, & aſtronomicâ ſubtilitate diſſerimus.

De anni caſtigatione, vide l. 5. de Doct. Temp. & l. 7. c. 12.

Non alia de cauſſa majorum noſtrorum memoriâ contigit, ut æquinoctiorum ſolſtitiorumque puncta dies illos *Julianorum* menſium, in quibus hactenus conſtiterant, paulatim relinquerent. Exempli cauſsâ, vernum æquinoctium ſæculo *Nicano*, hoc eſt poſt annum *Chriſti* 300. diem 20. ac 21. *Martii* obſidebat: qui poſterior Eccleſiaſticâ lege ad Paſchatis negotium civili æquinoctio conſtitutus eſt. Poſt annos ferè 1300. deprehenſum eſt æquinoctium idem obtinere dies *Martii* 10. & 11. (Quippe cardines iſti in anno communi propter biſextilem diem ultrò citròque fluctuant, ac biduum occupant.) Proinde anno 1582. quo *Gregorii* XIII. auctoritate caſtigatus eſt annus, decem diebus expunctis, ad priſtinas metas *Nicani* ſæculi reditus eſt

eſt factus. Et ut deinceps evagari cardines illi deſinant, ac certis diebus obſignentur, providit Calendarii *Gregoriani* conditor, uti ſingulis annorum centuriis vertentibus dies unus biſextilis omitteretur, quartâ duntaxat exceptâ centuriâ, quæ biſextilem ex more retinet. Ita quadringentis annis tres tantummodo biſextiles perimuntur; quoniam non centum annis, ſed 131. circiter dies unus accreſcit anno *Juliano*, quo *Tropicum* ſuperat. Unde 393. annorum ſpatio triduum exoritur: quod facilitatis gratiâ per centurias diſpenſatur: quæ res ſubtiliùs à nobis eſt diſputata in v. *de Doct. Temp.* & in VII. c. XII.

Redeo ad *Julianum* annum: cujus publicè recipiendi auctor fuit non *Romanis* ſolùm, ſed pleriſque populis, *Julius Cæſar*. Eſt verò illius deſcriptio cùm ad uſum expedita, tum rerum naturæ conſentanea: ſiquidem Solis converſionem quàm fieri poteſt próximè conſ. ſequitur, & ad commendandam temporum memoriam eſt aptiſſima.

Quo fit, ut Chronicorum & Annalium Scriptores eam anni formam adhibeant, non iis modò rebus explicandis, quæ poſteriores illius inſtitutione ſunt, ſed antiquioribus etiam, & ab ipſo adeo orbis initio: quamvis alia tum anni forma, imò aliæ apud alias nationes exiſterent. Quocirca cùm Solis, exempli gratiâ, Lunæque defectiones, aut civitatum regumque bella, & eorum res geſtas ſuis annis annorumque tempeſtatibus aſſignant, *Juliano* utuntur anno, *Julianiſ*que menſibus; quaſi in uſu jam tum iſti fuerint; quod προληπτικῶς, & fictione quadam inſtituunt, quo noſtri faciliùs iſta percipiant popularibus aptata ſpatiis, nec in variis diſcernendis annorum generibus Lectorum fatigetur attentio.

Caput II.

De lunari menſe, anno ſimplici, & compoſito, ſive enneadecaëteride, & aureis numeris.

Vide l. 7. de Doct. Temp. c. 4.

UT anni ſpatium converſione Solis, ſic menſtruum intervallum Lunæ circuitu deſcribitur. Is menſis eſt duplex. Nam orbem ſuum Luna peragrat diebus 27. horis 7. 43. 7. qui menſis *Periodicus* vocatur: alter eſt *Synodicus*, quo Luna ab *Sole* digreſſa eumdem aſſequitur. Siquidem eo ſpatio, quo ſuum orbem Luna conficit, ſuopte motu Sol aliquantum progreditur, hoc eſt gradus ferè 27. quos proinde circulo ſuo tranſacto emetiri Luna debet, ut iterum cum Sole jungatur. Quare menſis iſte lunaris diebus conſtat 29. horis 12. 44. 3. &c. Sed ut propiùs ad Solis circuitum, id eſt annum, lunaris motu accederet, duodecies replicatus iſte menſis annum effecit dierum 354. hor. 8. 48. 38. circiter: qui lunaris annus dicitur. Ac tam menſes, quàm anni lunares, duûm generum eſſe dicuntur.

Lunares menſes duûm generum.

Alii quippe ſunt aſtronomici, alii populares. Aſtronomici ſunt, quos poſuimus, qui ſupra dies, horas aliquot continent, horarumque ſcrupula. Dies enim, ſive τὸ νυχθήμερον, hoc eſt *ſpatium lucis atque noctis*, in horas 24. horæ ſingulæ in 60. ſcrupula prima, hæc in totidem ſecunda tribuuntur: atque ita deinceps. Civiles autem alternis dierum ſunt 30. & 29. quaſi ſinguli ſupra dies 29. horas colligant præcisé 12. quod ſupereſt de ratione ſcrupularia, id in horas collectum, ad diem complendum, certis annis extra ordinem accreſcit.

Hujus generis anno lunari, qui ſimplex appellari poteſt, neque cum anno Solis implicatur, utuntur hodieque *Arabes*, *Turcæ*, ac *Saraceni*. Quorum annus per *Juliani* contextum evagatur, neque certam ad anni tempeſtatem

ſtatem illius caput adhæreſcit, ut in noſtrate accidit, qui à bruma ſemper inchoatur. Qua de re poſtea.

Plerique autem omnes populi, qui lunarem anni modum amplexi ſunt, non eum ſimplicem adhibuerunt, ſed cum ſolari conjunctum, & communi aliquo velut incluſum orbe atque conſtrictum, quem cyclum ac periodum vulgò nominant. Ea, nondum ad plenum comperto Lunæ Soliſve circuitu, variè tentata eſt, ac multiplici annorum intervallo finita: primùm biennii, inde quadriennii, hoc eſt dieteridis, ac tetraëteridis: quaſi vel biennio, vel ejus duplo ſpatio Solis ac Lunæ rationes paria facerent, quod rudi ſæculo perſuaſum eſſe *Cenſorinus* affirmat. Poſt octaëteris, id eſt octo annorum orbis, maximè placuit, qui ne ipſe quidem ſatis accuratus eſſe deprehenſus eſt. Ideo novemdecim annorum Cyclus eſt inventus, iſque omnium exactiſſimus habitus eſt; tanquam eo vertente annorum numero, amborum ſiderum ab eodem puncto ad idem fiat reverſio. Hic eſt ille decemnovennalis Lunæ Cyclus, ſive enneadecaëteris, cujus auctor *Græcis* ſuis *Meto* fuiſſe dicitur: eamque cæteræ poſtea nationes adſciverunt, ut præſertim *Chriſtiani* ad Paſchalem celebritatem & ſacrorum ordinandi tempora tranſtulerunt. Ejus ratio eſt ejuſmodi. *Explicatur Cycli lunaris ratio.*

Annus quilibet *Julianus* dies colligit 365. horas 6. Summa hæc 19. ducta dies efficit 6939. horas 18. Anni porrò lunares diebus conſtant ferè 6732. horis 23. 24. 5. qui ſunt menſes lunares, ſive ſyzygiæ 228. Adduntur ergo ſeptem menſes ejuſdem generis, qui certis annis ſimplicibus additi, *intercalares Græcis* ἐμβολιμαῖοι, vocantur. Septem lunares ſyzygiæ dies conficiunt 206. horas 17. 8. 22. Ea ad menſes 228. addita dant dies 6939. 16. 32. 27. quæ in totum

ſyzygias lunares conficiunt 235. Hæc eſt lunaris enneadecaëteris, ſive cyclus decemnovennalis, qui *Julianis* 19. annis minor eſt horâ 1. 27. 32. circiter. Quocirca annis 19. vertentibus non fit præciſa peræquatio motuum utriuſque ſideris; neque Luna ad idem diei punctum revertitur, unde erat progreſſa: ſed horâ 1. 27. 32, antevertit priſtinam epocham quod diſcrimen diu neglectum à Calendarii artificibus paulatim maximam labem in noviluniorum ac pleniluniorum calculos invexit. Quippe anno 1582. quo Faſti ab *Gregorio* XIII. correcti ſunt, anteceſſio lunaris deprehenſa eſt quatridui circiter à tempore *Nicanæ* Synodi, in annis 1257. quæ ſunt enneadecaëterides paulò plùs 66.

Sed antiqui computorum artifices, ut *Beda*, cæterique deinceps, partim ignoratâ, partim diſſimulatâ hâc differentiâ, neomenias lunares ad eoſdem, in quibus primùm erant collocatæ dies adhærere putabant, quos quidem hâc ratione deſcripſerunt in Calendario *Romano*. Initio à quocunque anno facto, ut, exempli gratiâ ab eo qui novilunium exhibet *Januarii* 23. *Februarii* 21. *Martii* 23. & ita deinceps, iis diebus in margine Calendariorum adſcripſerunt notam 1. Anno ſequente animadverterunt neomenias undecim circiter diebus antegreſſas cadere in *Januarii* 12. *Februarii* 10. *Martii* 12. (Nam 11. ferè diebus in menſibus ſingulis priorem neomeniam poſteriores antevertunt in anno *Romano*) Ad hos itaque dies in Calendario numerum 2. adnotarunt. Sic anno tertio, quarto, & ſequentibus, quos in dies cadere novam Lunam menſibus ſingulis obſervabant, iis diebus numeros 3. 4. &c. apponebant, uſque ad 19. Quippe poſt 19. annos vertentes, neomeniæ rurſus ad caput priſtinum relapſæ, *Januarii* 23. *Februarii* 21. *Martii* 23. diem repetebant; eodemque teno-

Aureorum numerorum diſpoſitus, de quo vide lib. 6. de Doct. Temp.

re in ſequentibus annis conſtitutas ſemel priori enneadecaëteride metas per orbem luſtrabant. Hi numeri in Calendario notati aurei vulgò dicebantur.

CAPUT III.

De Cyclo ſolari, ac litterarum Dominicalium ſerie; tum de triplici Cyclo, Solis, Lunæ, & Indictionis, quatenus ad annorum characteres adhibentur.

Solis ab uno cardine ad eumdem converſio annuo intervallo circumſcribitur. Annus *Romanus*, ſive *Julianus* ordinarius & communis, diebus conſtat 365. quibus quarto quoque vertente anno dies unus accreſcit: quem 6. horæ appendices quater ductæ colligunt. Eum biſextilem appellant, quia 6. Calendas *Martias* infinditur, ac tum eodem repetito die, bis ſextus Calendas pronunciari ſolet. Jam verò dies illi 365. per ſeptem diſtributi hebdomadas conficiunt 52. & unum diem ſuperfluum. Ita fit, ut, quia per ferias 7. annus evolvitur, quæ per totidem literas A, B, C, D, E, F, G, exprimuntur, à quacumque earum annus incipiat, in eadem litera feria ve terminetur. Ac ſi biſextilis nullus eſſet annus, orbis τȣ̃ ἑπτζῶνȣ, ſive hebdomadicus, ſeptem annis abſolveretur; atque ita ſingulæ per orbem litteræ anni caput obtinerent, viciſſimque Dominicam diem notarent. Ut ſi hoc anno littera Dominicam

Vide l. 7. de Doct. Temp. c. 3.

Cyclus Solis	
Anni	Literæ
1	GF
2	E
3	D
4	C
5	BA
6	G
7	F
8	E
9	DC
10	B
11	A
12	G
13	FE
14	D
15	C
16	B
17	AG
18	E
19	F
20	D
21	CB
22	A
23	G
24	F

 mi-

25	E D
26	C
27	B
28	A

minicalium, quater ſeptem, hoc eſt 28. annis explicatur, quibus earum viciſſitudo continetur. Hic eſt circulus, ſive, ut vulgò loqui ſolent, cyclus Solis, vel literarum Dominicalium; quo abſoluto, ad idem caput, eumdemque deinceps literarum ordinem regredimur, ac quemdam velut circulum repetimus, unde Cycli profectum eſt vocabulum. Hic Cyclus *Romano* more ab anno biſextili ſumit exordium literiſque G. F. quæ quidem, ut & ſequentes, technico iſto verſu memoriæ cauſsâ comprehenſæ ſunt,

Gaudet Francus Equo, Dacus Cane,
Barbarus Arcu.

Duo ſunt itaque primarii Cycli; alter Lunæ, qui 19. conſtat annis; quibus vertentibus, neomeniæ ad idem ferè principium, unde erant profectæ, redeunt. Alter Solis, annorum 28. quibus confectis idem literarum Dominicalium ordo retexitur. Præter hos, tertius quidam eſt Indictionum, annos habens 15. Indictionis origo quæ ſit, nondum planè inter Doctos convenit: neque hoc loco diligentiùs attinet quærere. Tres iſti commune hoc habent, ut appellentur Cycli non minùs anni ſinguli, quàm tota ipſa, quibus conſtant, annorum ſumma. Itaque Cyclus 1. 2. 3. 4. Lunæ, eſt 1. 2. 3. 4. annus Cycli decemnovennalis; quod idem valet in cæteris. Tribuuntur autem annis omnibus, ex *Romanæ* uſu Eccleſiæ, certi quidam triplicis illius generis Cycli. Velut hoc anno, qui eſt *Chriſti* 1632. Cyclus eſt Lunæ 18. Solis 17. Indictionis 15. Quibus conſtitutis, facile eſt antecedentium annorum Cyclos inveſtigare. Dividatur enim ſumma propoſita per Cyclos ſingulos, puta 19. 28. & 15. Hoc modo 632. per 19. 28. & 15. partiti reſiduos faciunt 17. 8. 12. Deſunt igitur ad Cyclos anni 1632.

pro-

proprios obtinendos, de Lunari 1. de Solari 9. de Indictione 3. Ex quo id efficitur, annum primum *Chriſti* notatum eſſe Cyclo Lunæ 2. Solis 10. Indictionis 4. Indictionem *Romano* more à Calendis *Januariis* auſpicamur: quam *Græci* ab antecedente *Septembri* repetere ſolent. Eâdem methodo cujuſvis epochæ Cyclos reperies, puta orbis conditi, vel Olympiadis; ſi annorum numerum teneas, qui ab illo principio ad fixum aliquem & notum terminum extenditur. Viciſſim autem inventis anni primi peculiaribus Cyclis in quolibet intervallo, inſequentium annorum Cyclos propagare licet, ſi continuè ad priores unitatem adjicias, donec Cycli cujuſque ſummam abſolveris; tum enim reditur ad caput. Ut in ſolari Cyclo cùm ad 28. perveneris, 1. repetes; in lunari poſt 19. Hâc ratione quilibet annus proprios habet Cyclos, quibus veluti notis & characteribus ab aliis ſecernitur; quo fit, ut characteres temporum à Chronologis nominentur.

CAPUT IV.

De Periodo Juliana, *ejuſque ratione, uſu, & utilitate.*

UT annorum ſingulorum proprii characteres, qui ſunt Cycli iſti tres, in promptu habeantur, quidam orbis annorum excogitatus eſt ex triplici illo Cyclorum genere contextus. Etenim ſi 19. & 28. in ſe ducantur, conficient anni 532. Ex 19. & 28. & 15. in ſe multiplicatis fiunt 7980. Hæc poſterior Periodus *Juliana* dicitur; quoniam ad methodum anni *Juliani* ejuſque Cyclorum accommodata eſt ab auctore illius *Scaligero*, quam à *Græcis* ille mutuatus eſt. Qui quidem Solis ac Lunæ Cyclos aliter numerant, ac *Latini*,

a l. 8. Var. Diſſert. ad Uranol.

Latini; de qua re nos alio loco (*a*) diſputavimus.

Periodi *Julianæ* ea ratio eſt, ut quilibet illius annus ſuis Cyclis præditus ſit, cujuſmodi omnes nullus alius annus in tota Periodo poſſidet. Exempli cauſsâ, primus annus Periodi habet Cyclum Solis 1. Lunæ 1. Indictionis 1. In annis totis 7980. nullum præter primum invenies, cui tres iſti congruant Cycli. Uſus illius opinione major eſt in Chronicis, quæ ab orbe condito, vel alio quovis initio, ante æram *Chriſtianam* inchoantur. Etenim qui ex *Hebraicis Latiniſve* Bibliorum Codicibus annos computant ab orbe condito, in magna opinionum varietate verſantur vix, ut unus inveniatur, qui cum altero conſentiat. Itaque cùm in hunc vel illum mundi annum incidiſſe quippiam in Chronico aliquo legimus, nihilo fit in nobis ſcientia temporis illius accuratior, niſi antè ſciſcitati erimus, quot ab orbe condito ad eum *Chriſti* annum, in quo verſamur, aut ad primum æræ *Chriſtianæ*, numerandos annos cenſeat: quod in ſingulis Auctorum Annalibus Chroniciſque faciendum erit. Præterea cûm annorum, quibus hiſtoriæ vel epochæ illigantur, varia ſint exordia, ac nonnulli ab verna tempeſtate proficiſcantur, ut anni urbis *Romæ*, alii ab ſolſtitio æſtivo, ut Olympiades, alii ab autumno, ut *Judaici*, & *Seleucidarum*, alii à bruma, ut *Juliani*; qui annum alium quàm *Julianum* concipiet, quo res quæpiam acciderit, neceſſe erit explicet, utrum ineunte anno illo vel deſinente contigiſſe velit, ut cum *Juliano* comparetur. Hoc enim anni genere Chronologi hodie omnes utuntur. Ea tam multiplex inquiſitio moroſa eſt, ac tricarum pleniſſima: quam is effugiet, qui *Julianam* adhibebit periodum

riodum. Quæ eſt ejuſmodi, ut omnia Chronicorum omnium, quæ quidem ex *Latinorum* calculis inſtituta ſunt, antecedat initia, adeòque quamlibet diſcrepantes mundi epochæ ſuum in illa periodo ſitum obtineant. Atque ut res exemplo aliquo faciliùs intelligatur, quæratur annus exitus *Iſraëlitarum* ex *Ægypto*: de eo Chronologorum, ut variæ ſunt opiniones, ita multiplex erit reſponſio, ſi ad annos orbis conditi revocetur. Nam alius mundi annum definiet 2453. ut nos facimus, nec non *Scaligerus*, & *Calviſius*: alius 2509. ut *Temporarius*: alius 2503. ut *Capellus*. Quæ qui didicerit, nihilo, quàm ſi nihil audiſſet, abibit doctior, niſi & hoc inquirendo de ſingulis expreſſerit, quot ab orbe condito ad annum primum *Chriſti* numerent annos, & utrum primus ipſe *Chriſti* annus includatur in ſummam, an ab ea excludatur. At qui annum certum *Julianæ* periodi nominari audiet, nullo ſtatim negotio cognoſcet, quantum is ab noſtra ætate, vel ab *Chriſtiana* æra diſtet, nec interrogato opus ampliùs habebit.

In æra *Chriſtiana*, quos annos *Chriſti* vocant, *Latini* omnes conveniunt. Quamvis enim de vero natali Domini, hoc eſt anno, quo re ipſa natus eſt, magna ſit inter eruditos Chronologos diſſenſio, omnes tamen annos *Chriſti* eodem modo computant, ut hic ipſe, quo hæc ſcribimus, ſit 1632. ab qualicumque epocha & initio *Chriſti*, ſive primus æræ iſtius annus natalem *Chriſti* re vera proximè conſecutus fuerit, ſive ad illum minimè pertingat. Quod nihil ad ſummam intereſt: nam nihiloſeciùs procedit numerus.

Itaque caput illud annorum *Chriſti*, quam æram *Chriſtianam* nuncupant, velut limes & cardo Chronologiæ eſt, communiſque terminus, in quem Chronologorum omnium ratioci-

tiocinia ſic tanquam ab viarum divortiis & ambagibus in diem compitum deducta confluunt. Dixi hunc eumdem primum annum *Chriſti* Cyclo Solis præditum eſſe 10. Lunæ 2. Inditionis *Romanæ* 4. Hi tres Cycli in nullo alio Periodi *Julianæ* totius anno reperiuntur, quàm in 4714. per Si enim 1714. 19. 28. & 15. dividas Cyclos ipſos, quos dixi, reſiduos habebis. Quare ab initio Periodi ad primum æræ *Chriſtianæ* integri fluxerunt anni 4713. Nemo eſt autem ex *Latinis* Chronologis, qui mundi primordium non multò poſterius hâc annorum ſummâ conſtituat. Nam ferè 4000. annorum, vel, ſi fortè, centenis inſuper, aut paulò ampliùs, intervallum iſtud definiunt. Ideo citra Periodi *Julianæ* principium Annalium omnium initia conſiſtunt.

Quòd ſi quis Periodum iſtam adhibere cunctabitur, poterit ad annos certò deſignandos ante æram *Chriſtianam* in hanc ipſam ſummas ſuas dirigere: hoc eſt annos numerare, quot æram *Chriſtianam* id, quo de agitur, antecedat. Exempli cauſsâ, prima Olympias celebrata eſt in *Græcia* anno Periodi *Julianæ* 3938. quibus uno minùs deductis de 4713. habentur anni 776. Igitur annus primæ Olympiadis eſt ſeptingenteſimus ſeptuageſimus ſextus ante natalem *Chriſti* vulgarem, qui in anno Periodi *Julianæ* 4713. collocatur, vel 777. retrò numeratus ab anno 1. æræ *Chriſti*, qui eſt Periodi *Julianæ* 4714. Hâc nos putandorum annorum ratione hoc in libro ſæpiùs utemur, ne quid ſit, quod tyronem noſtrum minùs iſti conſuefactum periodo, ab Chronologiæ ſtudiis abſterreat. Carebit tamen, qui hanc periodum omittet, præſenti illius fructu, ut per ſingulorum trium Cyclorum ſummulas diviſi annorum numeri Cyclos eorum proprios exhibeant.

CAP.

CAPUT V.

De anno Græco, *præſertim* Athenienſium, *deque octaëteride, & enneadecaëteride* Metonis, *&* Calippi *periodo; cujus caput certâ ratione conſtituitur, & ante ſolſtitium fuiſſe monſtratur.*

Athenienſium civitas, ac pleraque omnis *Græcia* popularem annum ad Lunæ curricula direxit, quod in 1. *de Doct. Temp.* & in 4. *Var. Diſſert. ad Uranol.* accuratè demonſtratum eſt. Sed, ut erant initio rudes Aſtronomiæ, menſtruum intervallum Lunæ diebus 30. finiebant, ut auctor eſt *Geminus*, aliique (*a*) quorum teſtimonio uſi ſumus. Deinde paulatim annum ſuum caſtigantes, varios orbes, ſive periodos excogitarunt, maximè octaëteridas, & enneadecaëteridas. Octaeteridas dierum fuiſſe 2922. quantæ ſunt duæ tetraëterides anni *Juliani*, ſed alternis octaëteridibus triduum intercalatum eſſe, teſtis eſt *Geminus*. Ita in heccædecaëteridem dies imputati ſunt 5847. qui modus propè abeſt ab exacta heccædecaëteride lunari, quæ eſt dierum 5847. hor. 1. 22. 16. in qua menſes ſunt lunares 198. Unde colligitur conditorem octaëteridis, ſi vera prodit *Geminus*, modum octaëteridis finiiſſe diebus $2923\frac{1}{2}$ ſed priorem 2922. poſteriorem 3925, eſſe voluiſſe. Sed cùm id *Græci* quærerent, uti cum Sole pariter ac Luna eorum annus congrueret, hoc non potuerunt octaëteridibus aſſequi ſuis. Nam dies 2922. ita 8. annos *Julianos* explent, ut totidem lunaribus minores ſint die uno & horis paulò ampliùs 12. at dies $2923\frac{1}{2}$ ſolares, ſive *Julianos* 4. annos excedunt eo intervallo, quo

(*a*) Lib. 4. Diſſert. c. 2.

quo prior ſumma ab lunaribus octo ſuperatur. *Græci* porrò, quamdiu octaëteridibus iſtis uſi ſunt quæ ab Luna minimum aberrabant, eas identidem decurtaſſe, ut cum Solis rationibus exæquarent, aut quoquo modo depravaſſe videntur. Nam ſi heccædecaëteridas diebus 5847. perpetuò circumſcriptas habuiſſent, non eſſet tanta labes anni civilis apud *Athenienſes* conſecuta, quantam *Ariſtophanes* in *Nubibus* ætatate ſuâ contigiſſe demonſtrat, hoc eſt ſub initium anni *Metonici*. Verùm identidem eos immutando corrupiſſe faſtos ſuos, ut alterutrius curſum ſideris aſſequerentur, fit ex eo veriſmile. Ad extremum, civilem annum ex *Metonis* & *Calippi* regulis emendarunt. Horum duorum periodi, illius annorum 19. hujus 76. propiùs cum utroque ſidere *Græcorum* conciliavere tempora. Quæ omnia pleniùs habes explicata his in libris, quos de eo argumento ſcripſimus.

Apud *Græcos* nobiliſſima fuerunt Olympiadum intervalla, quibus res geſtas & inſignia quæque notare conſueverant. Eæ 4. annis integris conſtabant: ſic ut anno ineunte quinto ludi committerentur in *Piſatide*, quæ eſt *Peloponneſi* regio, ad *Olympiam* urbem: unde illi nomen acceperunt. Qua de re ſuo loco diſputatum eſt.

Anni *Græci* principium olim, ut apparet, ab hiberno ſolſtitio ſumptum eſt. Id arguit intercalaris menſis *Poſideon*, qui circa illud tempus fuit, ut in citatis libris oſtendimus. Poſtea caput anni civilis in æſtivum ſolſtitium tranſit; ac tum *Hecatombæon* ordinem duxit: cujus neomenia ſolſtitium paucis interdum diebus antecedebat, plenilunium verò ſemper erat poſteriùs, ut apparet ex Diagrammate Cycli *Metonici*, quod habes in 2. *de Doct. Temp. cap.* 13. & *Calippici cap.* 20. quæ duo λογικῶς illic à nobis inſtituta ſunt. Cujus ratio-

na-

ratiocinis hic ſumma colligetur: ut ex ea conſtet, falsò à nonnullis exiſtimari, neomeniam *Hecatombæonis* nunquam ſolſtitij præceſſiſſe cardinem.

Scribit *Geminus cap. 6. Græcos* primùm uſos eſſe octaëteride lunari, in qua ter menſis intercalatus eſt, videlicet anno 3. 5. & 8. poſtea cùm vitium ejus animadvertiſſent, auctore *Euctemone*, ac *Philippo*, (*Metonem* omiſit) periodum inſtituiſſe annorum 19. in qua ſepties intercalabatur. Demùm, quòd ne hæc quidem ſatis accurata eſſet periodus, *Calippum* alteram excogitaſſe annorum 76. in qua nihil prorſus immutavit de ſitu embolimorum menſium. Hujus periodi *Calippicæ* fit mentio apud *Ptolemæum libro 7. cap.* 3. ubi quatuor *Timocharidis* obſervationes recenſet illigatas anno *Calippicæ* primæ periodi 36. 37. 47. & 48. quarum typum edidimus in 6. *Var. Diſſert. ad Vranol. cap.* 2. Ex quo demonſtratum eſt annum 36. non fuiſſe intercalarem, neque 47. ſed 37. & 48. *Metonis* annus primus cœpit anno 1. ineunte Olympiadis 87. qui fuit 433. ante æram *Chriſti*, Periodi *Julianæ* 4282. *Calippicæ* verò Periodi annus primus cœpit anno Periodi *Julianæ* 4384. qui eſt 331. ante æram *Chriſti*, & Olympiadis 112. annus tertius. Quocirca fuit centeſimus tertius ab exordio *Metonici* anni: & octavus anno enneadecaëteridis *Metonicæ*. Unde annus 36. *Calippicæ* Periodi fuit 5. enneadecaëteridis; & annus 37. fuit 6. Item annus 47. *Calippi* fuit 16. *Metonici* Cycli: ac denique 48. illius, hujus 17. Igitur annus 6. & 17. in enneadecaëteride *Calippi* & *Metonis*, (eadem enim hac ex parte utriuſque fuit deſcriptio, ut ait *Geminus*) intercalares fuerunt: non, ut in octaëteride, 5. Hinc apparet intercalares à *Metone* conſtitutos eſſe annos hos, 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Anno 1. *Metonis*, Periodi *Julianæ* 4282. novilunium

Demonſtratur Calippicæ Periodi epocha.

Athenis commiſſum eſt, medium quidem *Iunii* 16. hora 0. 28. in meridiano *Attico*: & *Iulii* 15. hora 13. 12. à media nocte: verum autem *Iulii* 35. hora 19. 43. Ideo in 16. *Iulii* congruebat: quia ineunte nocte contigit. Ergo *Iulii* 16. neomeniam 1. Cycli ſui *Meto* ſtatuit: nec *Iunii*, quamvis hæc ſolſtitiali cardini vicinior eſſet. Nam ſi priorem illam *Iunii* neomeniam eligeret, primo anno Cycli intercalandum fuiſſet, alioqui ſecundus annus cœpiſſet *Iunii* 6. nimiumque ſolſtitii epocham anteceſſiſſe. Deinceps igitur annorum cæterorum neomeniæ neceſſariâ ſerie pertexuntur: velut annus 2. iniit *Iulii* 6. annus 3. *Iunii* 25. & ita porrò, ut in 2. *de Doct. Temp.* expreſſimus, in quo *Hecatombæonis* neomenia ſemel 20. *Iulii* contigit, anno ſcilicet Cycli 17. Quamobrem vera eſt ratio noſtra, *Hecatombæonem Atticum* nonnunquam ante ſolſtitium cœpiſſe.

CAPUT VI.

De annis Judæorum, Arabum, *&* Ægyptiorum.

Vide l. 2. de Doct. Temp. c. 42. & l. 7. c. 17. & ſeq. & Var. Diſſ. l. 3. c. 1.

IUdæi lunari hodie utuntur anno, Cycloque decemnovennali; ſed utrum *Moſis* tempore idem inſtituerint, nihil è ſacris Libris idoneè poteſt colligi. Nam *Moyſes* Lunæ, lunariſve menſis, cùm de ſolemnibus feſtis agit, nuſquam meminit, ſed primum tantummodo, vel ſeptimum menſem nominat. Nihilominus veriſimile eſt, Lunæ ab illis habitam eſſe rationem, quod eos feciſſe conſentiunt omnes, poſtquam *Seleucidarum* jugum acceperunt; hoc eſt poſt *Alexandri M.* tempora. Ut autem apud nos duplex anni primordium eſt, alterum Civile, à *Januario*, alterum Eccleſiaſticum, à menſe Paſchali, ſic illi civilem annum auſpicati ſunt à *Tiſri* menſe lunari autumnali, Eccle-

Eccleſiaſticum à *Niſan* verno menſe.

Arabes itidem lunarem annum obtinent, & eorum imitatione *Turcæ*. Sed in eo à *Judæis Græciſ*que diſcrepant, quòd hi annum lunarem non ſimplicem, hoc eſt periodi nexibus abſolutum, ſed cum ſolis rationibus implicatum adhibent: nam decemnovennalem Cyclum uſurpant. *Arabicus* annus ſimpliciter lunaris eſt, nullâ Solis habitâ ratione, ideoque intercalationis expers. Anni omnes diebus conſtant 354. horis 8. 48. Ex horis & ſcrupulis dies colliguntur, qui opportunè inſerti annos aliquot ὑπερημέρους, *abundantes*, conſtituunt, dierum 355. Ita fit ut primus illorum menſis, qui eſt *Muharram*, nullam certam in anno *Juliano* ſedem habeat, ſed quotannis antevertat, ac totum anni noſtri contextum peragret; ut modò in vernum tempus, modò in æſtivum incidat; aliàs autumnale vel hibernum occupet. De quibus actum eſt pleniſſimè in 2. & 7. *de Doct. Temp.*

Ægyptii deſultorium perinde annum, ut *Arabes*, ſed alterius, quàm iſti, generis adſciverunt, nimirum propemodum ſolarem. Diebus enim conſtabat præciſè 365. ſine ullo biſextili. Quò fiebat, ut quarto quoque anno vertente, primus anni dies, quem *Thoth* nominabant, unum diem anticiparet in anno *Juliano*; & in annis 1461. primus dies illius pervagatus omnes, priſtinam ad epocham rediret. Exempli cauſsâ, incipiat annus *Ægyptiacus* hoc anno *Chriſti* 1632. Calendis *Januariis*, anno 1636. ordietur à *Decembris* 31. atque ita porrò, donec poſt annos 1461. iterum à Calendis *Januariis* oriatur. Hâc anni formâ uſi ſunt *Ægyptii*, uſque ad cladem *Antonii* & *Cleopatræ*, quando cum jugo *Romano* formam quoque illorum anni receperunt. Vide *lib. 7. de Doct. Temp. cap.* 16. & *l.* 10. *c.* 71. & hujus Partis *lib.* 3. *cap.* 15. Hoc in anni gene-

re celeberrima eſt epocha *Nabonaſſari*; quam à *Chaldæis* traditam obſervarunt *Ægyptii*: de qua cùm in *libb.* 3. 7. & 9. *de Doct. Temp.* tum infrà *lib.* 3. *cap.* 3. diximus.

CAPUT VII.

De Chronologica annorum methodo, ac primùm de Cyclorum tractatione.

HÆc de annorum variis generibus, quantùm ſatis erat, præfati, nunc methodum aggrediemur, quæ Chronologiæ tyronibus in promptu eſſe debet, uti computandorum temporum certam rationem ineant, & in hac arte tractanda cùm errorem caveant ipſi, tùm ab aliis admiſſum deprehendant & corrigant. Sed hoc ante omnia tenendum eſt, *Latinos* omnes, qui poſt *Juliani* anni conditum rem Chronologicam attigerunt, hâc anni formâ uti conſueviſſe, eamque vetuſtiſſimis applicare temporibus, quibus nondum hic annus erat inſtitutus: quod & nos illorum exemplo faciemus. Etenim cùm & de anno mundi primo & de reliquis deinceps agemus, exponemuſque quid in quoque geſtum ſit, & qua illius in parte, puta verno, vel æſtivo tempore, non alios quàm *Julianos* adhibebimus, perinde ac ſi in uſum recepti jam tum fuiſſent.
vide l. 7. de Doct. Temp. c. 2. Eſt enim hæc anni ratio omnium exquiſitiſſima, ac tractatu facillima: quæ & ad popularem uſum apta præ cæteris eſt, & ad exactum Solis curſum quàm proximè accedit; ſic ut nulla civilis anni forma propiùs illum poſſit attingere. Quocirca methodum noſtram ad eum annum adjungemus; in qua Cyclorum prima eſt inveſtigatio. Ad hanc porrò certum aliquid & confeſſum inter omnes eligere oportet, in quo velut pedem figamus, & unde in anteriora quælibet tempora, vel poſteriora, liceat excurrere;

rere. Ejuſmodi ſit annus ille, qui æram *Chriſti* communem proximè anteceſſit: poſt quem anni ad hoc tempus, quo hæc ſcribimus, elapſi ſunt 1631. atque hunc ipſum communis natalis annum appellamus. Quippe *Decembri* exeunte, proximè ante æræ *Chriſti* principium, natus vulgò ponitur *Chriſtus*. Qui igitur epocham *Chriſti* communem præceſſit annus, huic Cyclus imputatur, Solis 9. Lunæ 1. Indictionis 3. *Romano* more, hoc eſt ſingulorum initio ab Calendis *Januariis* ducto. Quibus conſtitutis methodus ita procedet.

Edito quolibet anno æræ alicujus, Cyclos ejus inveſtigare.

ANnus iſte vel annum communis natalis *Chriſti* præcedit, vel eum ſequitur. Si ſequitur, vide quoto *Chriſti* anno illius initium cœperit, &, quod conſequens eſt, quos Cyclos habeat. Tum ad numerum annorum propoſitum Cyclos illos inventos unitate minus adjice. Summa per qualemcumque diviſa Cyclum dabit eum qui poſtulatur. Exemplum: Scire libet, quibus Cyclis prædirus ſit annus *Diocletiani* 93. cujus meminit *Ambroſius Epiſt.* 83. *lib.* 10. Quoniam ergo primus annus *Diocletiani* cœpit anno *Chriſti* 284. circa autumnum, (uti poſtea demonſtrabitur) inveniendi primò Cycli ſunt anni *Chriſti* 284. adjectis ad Cyclum Lunæ obtinendum 1. ad Solarem 9. ad Indictionem 3. Proinde 285. per 19. (quæ eſt Lunæ periodus integra) diviſis, reliqui fient 0. id eſt 19. Diviſis iiſdem 284. & 9. hoc eſt 293. per 28. Cycli Solis, relinquuntur 13. Denique ſi adjectis 3. ad 284. ſumma 287. per 15. partita fuerit, reſidui erunt Indictionis 2. Ergo annus 2. *Diocletiani* cœpit Cyclo Lunæ 19. Solis 13. Indictionis 2. Quibus, uno minus, ſingulis ad propoſitum annum æræ *Diocletianeæ* additis, ſumma per

 quem-

quemque diviſa Cyclum dabit id quod quæritur. Nam ſi ad 93. adjicias 18. & ſummam 111. per 19. dividas, habebis Cyclum Lunæ 16. Si 12. ad 93. accedant, ſumma 105. per 28. partita reſiduos faciet 21. Demùm 94. per 15. diſtributa relinquunt 4. Igitur annus 93. *Diocletiani* cœptus eſt autumno anni illius, qui Cyclos habuit, Lunæ 16. Solis 21. Indictionis 4. Si annus quæſitus communi *Chriſti* natali ſit anterior, ſummam annorum, qui ab æræ propoſitæ initio ad natalem putantur, divide per integras periodos tres, quod reſiduum erit, niſi Cyclos, qui natalis illius anni proprii ſunt, exhibeat, hoc eſt Lunæ 1. Solis 9. Indictionis 3. adde quantum neceſſe, eſt, ut Cyclos iſtos conficias: quicquid addideris, unitate auctum, dabit Cyclos anni illius, unde propoſita æra proficiſcitur: quibus inventis eadem, quâ ſuprà uſi ſumus, ratione anni quæſiti Cyclos erues. Cujuſcumque porrò Cycli diviſione factâ, numerum natali *Chriſti* anno peculiarem reſiduum feceris, ſcito primum epochæ illius Cycli eſſe 1.

Exemplum: Quærantur Cycli proprii anni ante *Chriſtum* 3983. Diviſâ hâc ſummâ per 19. 28. & 15. reſtant 12. Cycli Lunaris, Solaris 7. Indictionis 8. Atqui anno ipſi natali *Chriſti* Cyclus convenit Lunæ 1. Solis 9. Indictionis 3. Ut igitur hoc efficiamus, addendi ſunt ad reſiduas ſummas, Lunaris quidem Cycli 8. ita enim ex 12. & 8. fient 20. de quibus integrâ periodo ſubtractâ ſupererit 1. Solaris verò 2. ut fiant 9. ad 8. verò Indictionis adde 10. ut confiant 18. de quibus demptâ integrâ periodo Indictionum, reſtabunt 3. Igitur primus annus de ſumma 3983. Cyclum habuit Lunæ 9. Solis 3. Indictionis 11. additis videlicet unitatibus ad ſingulos reſiduos Cyclos ex diviſione per Periodos integras primò facta. Rurſus, inveſtigentur Cycli proprii anni 4713. ante

ante communis natalis annum. Diviſâ annorum propoſitâ ſummâ per 19. reſtat 1. Cycli Lunaris; per 28. reſtant 9. Solaris; per 15. reſtant 3. Indictionum, qui ſunt peculiares Cycli anni natalis *Chriſti*. Igitur primo anno illorum 4713. cœpit Cyclus 1. omnium trium Periodorum.

CAPUT VIII.

Methodus eorumdem Cyclorum in Julianâ *Periodo.*

JUliana Periodus, de qua *capite* 4. diximus, conſtat è tribus Cyclis, ſeu Periodis, Solis, Lunæ, & Indictionis, in ſeſe invicem ductis. Quare omnes anni, quibus tres illi attributi ſunt Cycli, ſedem in illa Periodo certam obtinent, quam hoc pacto inveſtigare licet.

1. Ex dato Cyclo Solis, additis 28. ſi opus eſt, detrahe Lunæ datum Cyclum, & per reſiduum multiplica numerum 56. Quod inde productum erit, addito illo ipſo numero, è quo facta ſubtractio eſt, & abjectis 532. quoad fieri poterit, exhibebit annum *Victorianæ* Periodi, in quem Cycli duo propoſiti, Solis, ac Lunæ, congruunt.

2. Poſtea ex anno eodem illo *Victorianæ* Periodi Subtrahe datam Indictionem, & reſiduum partire per 15. quod reliquum diviſionis erit, duc in 1064. tùm producto adde ſuperiorem annum *Victorianæ* Periodi. Summa amborum, adjectis 7980. quoties fieri poterit, erit annus Periodi *Iulianæ* qui petitur.

Exemplum : Quæritur annus Periodi *Iulianæ* in quem Cycli cadunt, Solis 9. Lunæ 1. Indictionis 3. Imprimis Lunæ Cyclum 1. deduc è Cyclo Solari dato 9. reſiduum 8. duc in 56. fient 448. quibus adde 9. ſumma 457. eſt annus *Victorianæ* Periodi, qui quæritur, Cy-

duobus præditus, Solis 9. Lunæ 1.

Poſt de annis 457. aufer Indictionem datam 3. reſiduum 454. diviſum per 15. relinquet 4. per hoc multiplica 1064. & producto 4256. adde 457. conſiet annus Periodi *Julianæ* 4713. cui Cycli tres præpoſiti competunt.

Demonſtratio methodi illius. Hujus methodi facilis eſt ἀπόδειξις Etenim ſi numerum quemlibet Cyclos aliquot integros minus unitate continentem per alium numerum Cyclo minorem integro multiplices, productum ab Cyclis integris tantum deficit, quantus eſt multiplicans numerus. Numerus 56. conſtat Cyclis Solis integris duobus: Lunares verò Cyclos tres colligit unitate minus. Igitur ſi per reſiduum dati Cycli Solaris, ablato videlicet Lunari dato, numerum iſtum multiplices, productus numerus tot unitatibus ab Cyclis Lunaribus abſolutis deficiet, quot ſunt in multiplicante, qui eſt 8. Nam 448. per 12. diviſa reliqua faciunt 11. quæ ab enneadecaëteride diſtant numero 8. Proinde ſi ad 448. adjicias 9. compenſabis defectum illum poſtremæ enneadecaëteridis, ac ſuperflua erit unitas, qui eſt propoſitus in quæſtione Lunæ Cyclus.

Quod ad Indictionis methodum ſpectat, numero utimur 1064. in quo ſupra Lunæ Soliſque Cyclos integros redundat nihil: ad explendos verò Indictionis Cyclos unitas deficit. Itaque ſi hæc ipſa 1064. multiplices per reſiduum anni *Victoriani* datâ Indictione multati, & per 15. diviſi, quod eſt 4. productum 4256. ab integro Cyclo Indictionis 4. unitatibus aberit. Siquidem 4256. per 28. & 19. diviſa, nihil reſidui faciunt: per 15. verò partita relinquunt 11. quæ ab 15. diſtant numero 4. Igitur ſi ad 4256. accedant 457. quæ ſupra in[te]gros Lunæ Cyclos habent ſuperfluum 1. ſupra Solares 9. ſupra Indictiones abſolutas 7. hic ipſe numerus 7. non ſolùm compenſabit defectum alterius ſummæ, quæ minus

nus 4. Indictionum Cyclos abſolutos dabat, ſed præterea excurrentes habebit 3. quæ eſt Indictio data. Summa igitur ex ambobus conflata numeris 4256. & 457. nimirum 4713. annus eſt Periodi *Julianæ*, qui petitur, quippe per Cyclos tres diſtributus reſidua dabit Solaris 9. Lunaris 1. Indictionis 3.

Quòd ſi compendioſiùs annum quempiam in *Juliana* Periodo ex datis Solis & Lunæ Cyclis, ſepoſitâ Indictione, voles deprehendere, ita procedes. Invento anno, quem in Periodo *Victoriana* annorum 532. occupant duo Cycli propoſiti, ex methodo proximè antè tradita, quotus ille annus eſt, totidem unitates adjice ad annum Periodi *Julianæ*, quo poſteriorem eſſe conjicis annum eum, qui quæritur. Quam in rem tabellam confecimus per annos 532. progredientem

Tabula Periodorum *Victorianarum*.

Periodorum numerus	Anni Periodi *Iulianæ*	Anni ante *Chriſtum* & poſt *Chriſtum*.	Anni Mundi
0	0	4714	0
1	532	4182	0
2	1064	3650	334
3	1596	3118	866
4	2128	2546	1398
5	2660	2054	1930
6	3192	1522	2462
7	3724	990	2994
8	4256.	458	3526
		Æræ Chriſti	
9	4788	75	4058
10	5320	607	4590
11	5852.	1139	5122
12	6384	1671	5654
13	6916	2203	6186
14	7448	2735	6718
15	7980	3276	7250

Periodus *Victoriana* ex duobus Cyclis, Solis, & Lunæ, ductis invicem contexitur. In tabella cola ſunt quatuor. Primum numerum Periodorum continet, qui *Julianam* componit: nam 532. quindecies repetuntur in *Juliana* Periodo annorum 7980. Secundum annos exhibet *Julianæ* Periodi, in quos deſinunt *Victorianæ*. Tertium annos habet ante *Chriſtianam* epocham, vel poſt ipſam, in quibus *Victorianæ* Periodi terminantur. Quartum annos mundi per 532. creſcentes, quorum primus ex noſtra ſententia incipit à Calendis *Januariis* anni Periodi *Julianæ* 731.

Igitur præpoſitis Cyclis Solis & Lunæ cujuſlibet anni, ut ejus ſitum in *Juliana* Periodo reperias, annum priùs inveſtigabis Periodi *Victorianæ*, in quem cadunt ambo Cycli, ex methodo paulò antè tradita. Hunc annum adjunges ad proximè minorem Periodi *Julianæ* in tabellæ colo 2. Exemplum: Scit aliquis, annum illum, quo natus vulgò ponitur *Chriſtus*, Cyclum Solis 9. & Lunæ 1. habuiſſe. Ex his duobus inquiratur annus illius proprius in *Juliana* Periodo. Per ſuperiorem methodum annus iſte deprehenſus eſt in *Victoriana* Periodo eſſe 457. Addantur ergo 457. ad aliquem numerum eorum, quos 2. colon exhibet, quem ſcilicet proximè minorem ſuſpicamur anno illo, qui quæritur. Is erit 4256. *Julianæ* Periodi Additis ergo 457. ad 4256. fiunt 4713. Periodi *Julianæ*, in quem Cycli illi duo competunt. Quod intelliges, ſi annos 4713. per 28. & 19. diviſeris.

CAP.

CAPUT IX.

Methodus annorum mundi, & ante Chriſtum, *& quomodo tam Cycli ad eos accommodentur, quàm eorum in* Juliana *Periodo ſitus inveniatur.*

ANnorum ab orbe condito ſumma tam varia eſt unus multiplex, vix ut unus cum altero putandorum artifex temporum conſentiat. Nos certis adducti rationibus, quas in libro ſequenti propoſuimus, ad æram vulgarem *Chriſti* numeramus annos ab orbis initio 3983. ſic ut poſtremus horum ei reſpondeat, quem natali *Chriſti* vulgò præfiniunt. Etenim certus aliquis ac fixus annus ſtatuendus eſt, in quo Chronologia noſtra conſiſtat, qui quidem extra controverſiam poſitus ſit: cujuſmodi ſunt anni æræ *Chriſtianæ*, cujus agitur nunc annus 1632. De hoc enim putandi modo *Chriſtiani* ferè omnes inter ſe conveniunt. Quocirca annus ille, à quo proximè æra *Chriſti* cœpta eſt, cujus in finem, ac *Decembris* 25. diem, natalis *Chriſti* vulgari opinione cecidit, communis eſt limes *Latinorum* omnium Chronologorum, in quem eorum calculi conſpirant, uti ſuprà demonſtravimus.

Igitur quamcumque Chronologiam in manus ſumpſeris, vide quoto mundi anno æræ *Chriſtianæ* primum attribuat. Deinde ſummam omnium annorum ad hujus æræ primordium lapſorum aufer ex annis *Julianæ* Periodi 4713. reſiduum, unitate additâ, dabit annum *Julianæ* Periodi, à quo anni mundi proficiſcuntur. Tum iiſdem *Julianæ* Periodi diviſis annis per 28. 19. & 15. Cyclos tres obtinebis, quibus æra mundi incipit. Ut ſi de annis 4713. auferas 3983. reſtabunt 730. Igitur annus Periodi *Julianæ* 731. primus eſt mundi in noſtra

ſtra Chronologia. Diviſis 731. per 28. habes Cyclum Solis 3. ſi per 12. dividas, Cyclus exiſtet Lunæ 9. ſi per 15. Indictio reliqua fiet 11. Quocirca ad annos mundi additis perpetuâ methodo annis Cycli Solaris 2. Lunæ 8. Indictionis 10. omnium deinceps annorum Cyclos inveſtigabis, ſi ſummam partiare per 28. 19. & 15.

In annis ante *Chriſtianam* æram, qui in tertio colo tabellæ *Victorianæ* poſiti ſunt, mira eſt methodi facilitas. Datum enim quemlibet numerum annorum, quorum ultimus ſit ille, qui æram *Chriſtianam ἀμέσως* præcedit, aufer ex proximè majori numero in colo tertio: reſiduum ad laterales numeros coli 2. additum præbebit annum *Julianæ* Periodi, qui primus annus congruit propoſitæ ſummæ: vel ſi ad laterales coli 4. numeros adjungatur, dabit annum mundi. Ut quoniam primus annus *Iphiti*, ſive Olympiadis primæ, eſt 776. ante annum natalis communis *Chriſti*, detrahe de 990. qui proximè major eſt in colo 3. annos 776. reliqui erunt 214. quos ſi ad 3724. Periodi *Julianæ*, vel 2994. mundi laterales adjicias, fiet annus Periodi *Julianæ* 3938. mundi 3208. quo prima *Iphiti* Olympias iniit. Quibus repertis, facilè Cyclos tres eâ, quam paulò antè tradidimus, methodo conficies.

Caput X.

De methodo annorum Euſebiani Chronici, *& quâ ratione ad* Julianam *Periodum accommodari debent.*

Euſebianum Chronicon annos numerat ab ortu *Abraami*, ac poſtea etiam Olympiadas adjungit. Sed non idem, opinor, cum *Julianis* civile annorum adhibet initium. Etenim *Antiocheni*, *Syri*que cæteri, ab autumno annos ſuos

ſuos auſpicati ſunt; ut in 10. *de Doct. Temp. cap.* 62. demonſtravimus: quod ipſum & *Euſebium* inſtituiſſe probabile eſt, qui *Cæſarea* in *Palæſtina* degebat. Ut igitur *Chronici* illius epocham in anno *Juliano* ejuſque Periodo ſtatuamus, ac certam putandorum annorum methodum præſcribamus, anni aliquot eligendi ſunt, qui cum *Julianis* conferri & exæquari faciliùs poſſint.

Anno *Abraami* 1973. *C. Julius Cæſar* occiſus in Senatu ponitur, primo Olympiadis 184. ac ſequenti *Octavianus Cæſar* iniit; cujus anno 32. natum eſſe *Chriſtum* exiſtimat, tertiò Olympiadis 194. *Abraami* 2015. paſſum verò ſcribit anno tertio Olympiadis 202. *Abraami* 2047.

Quoniam igitur *Julius Cæſar* Eid. *Martiis* anni *Varroniani* ab Urbe condita 710. cæſus eſt, *Julianæ* editionis ſecundo Periodi *Julianæ* 4670. ab inſequente anno *Auguſti* imperium putare orſus eſt *Euſebius*, cujus quadrageſimus ſecundus annus, ut *Abraami* 2015. ita Periodi *Julianæ* numeratur 4712. quo tertius incepit Olympiadis 194. Proinde annus *Euſebianus* 1974. majore ſui parte concurrit cum anno *Julianæ* editionis tertio, Periodi itidem *Julianæ* 4671. annus quoque *Abraami* 2015. cum anno Periodi *Julianæ* 4712. Item additis ad natalem *Chriſti Euſebianum* annis 32. fit annus *Abraami* 2047. Periodi *Julianæ* 4744. in quem annus incurrit editionis *Julianæ* 76. vulgaris æræ 31. quo Coſſ. fuere *Tiberius* V. & *Sejanus*, ac deſinente anno ſecundo Olympiadis 202. tertius occepit.

Jam ſi annus *Abraami* 1974. reſpondet anno *Julianæ* Periodi 4671. & 2015. illius, hujus eſt 4712. illius denique 2047. hujus eſt 4744. conſequens eſt annum primum *Euſebianum* concurrere cum anno Periodi *Julianæ* 2698.

Sed

Sed cùm *Antiochenorum* annus, &, ut veriſimile eſt, *Euſebianus*, ab autumno antecedente cœperit, caput *Euſebiani Chronici* repetendum erit ab autumno anni Periodi *Julianæ* 2697. ac perpetuâ methodo ad annos *Euſebiani Chronici* addendi erunt 2696. ut habeas initium annorum *Abraami*. Verùm quia major *Euſebianorum* pars cum *Julianis* ſequentibus concurrit, adde 2697. ut annos eoſdem *Abraami* Periodi *Julianæ* annis aſſignes, ducto à Calendis *Januariis* exordio. Exempli cauſsâ, annus eſto *Abraami* 2047. quo paſſus eſt *Chriſtus*. Id evenit *Martio* menſe; verno utique tempore. Additis ergo 2697. confiet annus Periodi *Julianæ* 4744. æræ communis 31. quem annum *Epiphanius* aliique Veteres Dominicæ Paſſioni præfiniunt.

Annus primus æræ vulgaris, quam *Dionyſianam* nuncupant, cœpit anno *Euſebiano* 2017. ad quem additi 2697. efficiunt annum Periodi *Julianæ* 4714. Sic annus primus Olympiadum *Iphiti* ab *Euſebio* computatur 1241. ab ortu *Abraami*. Additis ex methodo annis 2697. conflatur annus Periodi *Julianæ* 3938. quo reverà cœpta eſt Olympias prima.

Contra hæc objici nonnulla poſſunt ex iis, quæ ad annum Paſſionis in *Euſebiano Chronico* notantur, de quibus ea conſule, quæ in 9. *de Doct. Temp. cap.* 1. diſſeruimus. Non enim diutiùs hærere in tricis iſtis operæ pretium ducimus.

CAPUT XI.

Methodus annorum Iphiti, *ſive* Olympicorum, *Urbis, &* Julianorum.

OLympici ludi in *Græcia* quinto quoque ineunte anno magnâ frequentiâ celebrabantur in *Piſatide Peloponneſi* regione, quæ *Elidi* contri-

contributa erat, ad urbem *Piſam*, ſive *Olympiam*. Proinde Olympiades integra ſunt quadriennia, qui & anni *Iphiti* nominantur, ab *Iphito*, qui agonas illos inſtauravit anno 777. ante æram *Chriſtianam*, Periodi *Julianæ* 3938. mundi 3208.

Horum computandorum methodus eſt ejuſmodi. Propoſitâ quâvis Olympiade, ſume antecedentes omnes proximè abſolutas, & earum numerum per 4. multiplica. Tum ad ſummam adjice reſiduos annos Olympiadis, de qua inſtituta quæſtio eſt. Totum deinde collectum adde annis Periodi *Julianæ* 2937. vel mundi 3207. habebis annum utriuſvis, quo quæſitus Olympiadis annus incepit. Item de annis ante *Chriſti* natalem 776. ſubtrahe ſummam eamdem unitate demptâ, ſi minor ſit annis 776. adeoque *Chriſti* æram antecedat. Si enim poſterior ſit, per annos Periodi *Julianæ* vel mundi, quod voles, efficies. Exemplum: Quæritur annus 2. Olympiadis 87. antequem paucis menſibus bellum *Peloponneſiacum* iniit. Ducantur Olympiades 86. abſolutæ in 4. fiunt 344. His adde 3. ut ſint anni 346. *Iphiti*, ſive à 1. Olympiade. Ad hunc numerum adjunge 3937. vel 3207. exiſtent anni Periodi *Julianæ* 4283. mundi 3553. quibus ſecundus annus 87. Olympiadis inchoatus eſt. Rurſus annis 346. demptâ unitate, hoc eſt 345. deductis de 776. reſtant 431. Igitur anno 431. ante natalem *Chriſti* communem iniit Olympiadis 87. annus ſecundus.

Jam verò inquiratur annus 2. Olympiadis 254. quo *Cenſorinus* ſcribebat. Multiplicatis 253. per 4. fiunt 1012. additis 2. anni fiunt *Iphiti* 1014. qui ad 3937. accedentes, efficiunt *Julianæ* Periodi annum 4951. qui ad annos mundi 3207. additi faciunt 4221. Igitur anno Periodi *Julianæ* 4951. mundi 4221. *Cenſorinus* librum ſuum edidit. Detractis de Periodo *Julia-*

Julianæ 4713. de annis verò mundi 3983. fiet utrobique annus æræ *Chriſtianæ* 238.

Cùm autem primus annus *Iphiti* incidat in annum Periodi *Julianæ* 3938. quibus Cycli competunt Solis 18. Lunæ 5. Indictionis 8. perpetuâ methodo ad annos *Iphiti* adde 17. 4. 7. ſumma per ſui generis Cyclum diviſa, quem voles ex tribuis, exhibebit.

Annorum ab Urbe condita duplex potiſſimùm ratio eſt; altera *Varroniana*, ab auctore *Varrone* dicta; altera, quam *Capitolini* faſti ſequuntur, quæ uno anno priore tardior eſt. *Varroniana* epocha anno congruit Olympiadis ſextæ tertio exeunti, ſequente quarto, Periodi *Julianæ* 3961. mundi 3231. ante natalem *Chriſti* 753. *Capitolina* anno mundi 3962. mundi 3232. ante *Chriſtum* 752. Quocirca de annis Periodi *Julianæ* ſi 3960. auferas, habebis annos Urbis *Varroniani* computi. *Capitolini* verò, ſi 3961. detrahas. Sic de annis mundi ſubtracti 3230. relinquunt annos urbis *Varronianos*, ſin 3231. ſubducas, obtinebis annos *Capitolinos*. Porrò de annis ante *Chriſti* natalem ſummam annorum urbis detrahe, reſiduum unitate auctum annus eſt ante *Chriſtum*, in quem incidit quæſitus annus ab U. C. in utroque computo.

Exemplum: *Iulius Cæſar* occiſus eſt anno Periodi *Iulianæ* 4670. mundi 3940. Deductis de priore annis 3960. relinquitur annus Urbis ex *Varronis* calculo 710. Detractis autem 3961. exiſtit annus *Capitolinus* 709. Ex annis verò mundi aufer 3230. fit annus *Varronianus* 710. Ablatis 3231. *Capitolinus* exiſtet 709. Rurſus ſi de annis 753. ſubducas 710. & unitatem adjicias, reſiduus erit annus 44. ante natalem *Chriſti*, in quem annus 710. *Varronianus* incurrit. Quòd ſi 709. ſubducas de 752. & reſiduo accedat 1. ſimiliter in *Capitolina* ratiuncula annus 44.

Quod ad Cyclorum methodum ſpectat, ad annos Urbis *Varronianos* adde Cyclum Solis

12.

12. Lunæ 8. Indictionis 15. Ad *Capitolinos* autem adde Solis Cyclum 13. Lunæ 9. Indictionis 1. ſumma diviſa tres Cyclos præbebit.

Anni *Juliani* ab *Julio Cæſare* dicti ſunt, qui annum *Romanum* caſtigavit, & eam formam, quâ hodieque utimur, inſtituit, ut poſt annos 4. dierum 365. unus quinto ineunte anno dies intercalaretur. Primus annus *Julianus* à Calendis *Januariis* proceſſit anni illius, qui 45. putatur ante communem *Chriſti* natalem, (ut ſuo loco demonſtravimus) eſtque Periodi *Julianæ* 4669. mundi 3939. *Anni Juliani* Vide l. 4. Doct. Temp. c. 1. 2. & ſeq, & l. 10. & hujus Operis lib. 3. c. 14.

Quare ad methodum anni *Juliani* adde annos Periodi *Julianæ* 4668. vel mundi 3938. ad annos *Julianæ* editionis, ut eorum in *Julianæ* Periodo, vel annis mundi, ſitum reperias; aut de annis Periodi *Julianæ*, vel mundi, aufe eoſdem numeros, ut annorum *Julianorum* numerum aſſequare; Cyclos verò Solis 22. Lunæ 15. Indictionis 5. adjice ad numerum annorum *Julianorum*, ac ſummam divide per 28. 19. & 15. Exemplum: *Cenſorinus* refert, ſe anno *Juliano* 283. librum ſuum ſcripſiſſe. Adde 4668. fient anni Periodi *Julianæ* 4951. vel mundi 4221. ſi adjicias 3938. De quibus ablatis 4713. *Julianæ* Periodi vel mundi 3983. reliquus erit annus *Chriſti* 238.

CAPUT XII.

Methodus annorum Ægyptiacorum, *tam abſolutorum, quàm cum epocha* Nabonaſſari *amplificatorum.*

FIt annorum *Ægyptiacorum* & *Nabonaſſareorum* crebra in Chronologorum ſcriptis mentio: quorum ideo ſcientiâ carere doctrinæ ſtudioſus illius non poteſt. Horum annorum ea conditio eſt, ut quarto quoque verten- Vide l. 7. de Doct. Temp. c. 13. & ſeq.

te caput anni retrò abeat, & unum anticipet diem, ac demùm poſt 1460. *Julianos* annos, vel 1461. *Ægyptiacos*, ad eumdem, unde erat profecta, diem *Juliani* menſis neomenia redeat. Exempli gratiâ: Primus dies *Thoth* (is primus eſt *Ægyptiorum* menſis) incipiat hoc anno Calendis *Januariis*; poſt annos 4. incipiet *Decembris* 31. poſt octo *Decembris* 30. & ita deinceps; donec anno 1457. perveniat ad 2. *Januarii*: anno verò 1461. in Calendas *Januarias* rurſus incurrat, expletis annis *Julianis* 1460. qui ſunt *Ægyptiaci* 1461. completi. Hinc annus iſte vagus appellari conſuevit. Accidit autem interdum, ut in eumdem annum *Julianum* annorum duorum *Ægyptiacorum* incidant initia. Ut ſi biſextilis ſit annus, & neomenia *Thoth* Calendas *Januarias* occupet. Tunc enim ſequentis anni *Thoth* ultimum *Decembris* obſidebit; quandoquidem *Julianus* iſte annus diebus conſtat 366.

Quemadmodum verò *Julianus* annus, cùm ſimplex ſit, diverſis ab exordiis ſumitur, velut à mundi conditu, aut à *Chriſti* natali, ſic *Ægyptiacus* & vagus iſte varias habere poteſt epochas. Quarum celeberrima eſt, & ab Aſtronomis uſurpata veteribus, æra *Nabonaſſari*, quam *Ægyptii* à *Babyloniis* acceperunt. Fuit enim *Nabonaſſarus Chaldæorum* Rex: ab cujus primordio *Babylonii* novam æram inſtituerunt, quâ cœleſtes obſervationes ſuas ejuſdem gentis Aſtronomi conſignarunt. (*a*) Eas *Calliſthenes Ariſtotelis* diſcipulus cum *Græcis Ægyptiiſ*que artis ejuſdem peritis communicavit. Hinc apud *Ægyptios* æra *Nabonaſſari* originem accepit, ſolis cognita Mathematicis, cujus exordium cadit in annum Periodi *Julianæ* 3967. *Februarii* 26. feriâ 4. anno mundi 3237. ante *Chriſtum* 747. Anno 3969. Periodi *Julianæ* migravit in 25. *Februarii* neomenia *Thoth*; quia biſextilis dies initium anni *Ægyptiaci* præceſſiſſe

a Vide infrà l. 2. cap. 17.

ſe ponitur. Anno 3973. tranſiit ad 24. *Februarii* proximè poſt biſextilem diem. Anno 3977. qui biſextilis fuit, neomenia *Thoth* incidit in 6. Calendas priores *Martii*, ſive in ipſum biſextilem diem, feriâ 7. Sequente anno, 23. *Februarii* contigit, feriâ 1. ac deinceps altero quoque à biſextili anno unum diem antevertit. Anno demùm Periodi *Julianæ* 4190. ineunte anno *Nabonaſſari* 224. tranſitum fecit ad Calendas *Januarias*. Tum anno 4193. in iiſdem Calendis conſtitit anno *Nabonaſſari* ineunte 227. Et quoniam biſextilis annus iſte fuit, ſequens annus *Nabonaſſari* 228. cœpit ultimo *Decembris*. Itaque duo anni *Nabonaſſarii* in eodem *Juliano* exordium ceperunt. Ex quo factum eſt, ut annorum *Nabonaſſareorum* numerus uno *Julianos* excederet. De annis Periodi *Julianæ* 4194. detractis 3966. reſtant 228. Debuerat igitur annus *Nabonaſſari* 228. incipere anno 4194. Atqui cœpit annus 229. propterea quòd anno 4193. duo anni orſi ſunt, nempe 227. & 228. Proinde de annis Periodi *Julianæ* deinceps non 3966. ſed 3965. demendi erunt. Anno verò Periodi *Julianæ* 5653. rurſus duo anni *Nabonaſſarei* in eumdem *Julianum* incurrent. Ideo ex annis Periodi *Julianæ* non 3965. ſed 3964. eximentur, ut *Nabonaſſareorum* numerum aſſequare. Quod ipſum poſt annos 1460. quæ eſt Periodus *Sothiaca*, identidem facies. His velut fundamentis poſitis, annorum iſtorum methodum compendio trademus: ſi priùs *Ægyptiacorum* menſium & *Romanorum* latercula deſcripſerimus.

Laterculum *Ægyptiacorum* menſium.			Laterculum menſium Romanorum	
Menſes *Ægyptiaci.*	Dies Regulares.		Menſes *Romani*	Dies
Thoth	0	0	*Ianuarius*	0
Paophi	30	2	*Februarius*	31
Athyr	60	4	*Martius*	59
Chojac	90	6	*Aprilis*	90
Tybi	120	1	*Majus*	120
Mechyr	150	3	*Iunius*	151
Phamenoth	180	5	*Iulius*	181
Pharmuthi	210	7	*Auguſtus*	212
pachon	240	2	*September*	243
Payni	270	4	*October*	273
Epiphi	300	6	*November*	304
Meſori	330	1	*December*	334
Epagomenæ	360	3		

Dato quolibet anno Periodi Julianæ *inveſtigare quoto die* Thoth *incipiat.*

CAN. I IN tota Periodo *Juliana* anni ſunt quinque, qui neomeniam *Thoth* tam primo *Januarii* die, quàm ultimo *Decembris* exhibent. Sunt autem,

1273. 2733. 4193. 5653. 7113.

qui invicem diſtant intervallo annorum 1460.

Edito igitur anno quolibet *Julianæ* Periodi, in quo neomenia *Thoth* quæritur, detrahendus hic erit ex aliquo numero proximè majore iſtorum quinque; reſiduum exinde per 4. dividito; quotientem ſervato; quem unitate auge-

augebis, quoties poſt diviſionem aliquid ſupererit. Quòd ſi nihil factâ diviſione reſtat, unitatem non adjicies, niſi quotiens non ſit major quàm 54. atque hic ipſe quotiens, ſi opus fuerit, unitate auctus, quem in diem Calendarii *Juliani* deſinet, in eum neomenia *Thoth* incurret. Exemplum: Eſto annus Periodi *Julianæ* 3977. cujus *Thoth* quæritur. Deductis 3977. de 4193. ſuperſunt 116. quæ per 4. diſtributa in quotiente dant 54. præcisè. Quare ad 54. adjicienda eſt unitas. Nam *Thoth* cœpit die 55. à Calendis *Januariis*. Rurſus anno Periodi *Julianæ* 4712. quæratur neomenia *Thoth*. Proximè major annus eſt 5653. de quo ſubductis 4712. reſtant 941. Ea diviſa per 4. reddunt in quotiente 235. & unum reſiduum eſt. Igitur *Thoth* cœpit die 236. à Calendis *Januariis*, id eſt *Auguſti* 24. ut ex laterculo menſium *Romanorum* colliges, in quo proximè minor dierum numerus eſt 212. ad *Auguſtum* adſcriptus: qui indicat ante menſem *Auguſtum* proximè confectos eſſe dies 212. à Calendis *Januariis*. Ablatis 212. de 236. reſtant 24. Ad hæc, inquiratur neomenia *Thoth* anno Periodi *Julianæ* 4155. De proximè majore 4193. deductis 4155. reſtant 38. quæ diviſa per 4. habent in quotiente 9. ac 2. reliqua ſunt. Proinde neomenia *Thoth* incidet in *Januarii* 10.

Cautio. Poſt annum *Chriſti* 1582. quo Calendarium à *Gregorio* caſtigatum eſt, ad inventum in anno *Juliano* diem neomeniæ *Thoth* adde hoc ſæculo dies 10. ac deinceps quot neceſſe erit, ex methodo Calendarii, de qua *lib. 7. de Doct. Temp. cap.* 12.

Edito quolibet anno Periodi Julianæ, *ſcire quotus in eo æra* Nabonaſſari *annus incipiat.* CAN. II.

OBſervandi ſunt anni 4. in *Iuliana* Periodo, 3967. 4193. 5653. 7113.

quorum primus initium dedit epochæ *Nabonaſſari*; reliqui tres duos annos *Nabonaſſareos* inchoant ſinguli, ut ſuprà declaravimus. Propoſito ergo quovis anno, vide in quod intervallum incidat; hoc eſt quo ſit proximè minor. Si ad prius pertineat, ſitque numerus annorum major 3967. minor 4194. de ſumma propoſita deme 3966. reſiduum erit annus *Nabonaſſari*. In 2. intervallo, detrahe 3965. in tertio, ſubtrahe 3964. Quæritur, exempli gratiâ, quotus annus *Nabonaſſari* cœperit anno Periodi *Julianæ* 4155. quo *Cyrus* orſus eſt. Pertinet hic annus ad intervallum prius. Eſt enim major 3967. minor 4193. Itaque de 4155. detrahe 3966. reſtabit annus *Nabonaſſari* 189. qui iniit anno Periodi *Julianæ* 4155. At annus 4540. quia ad ſecundum intervallum refertur, detractis 3965. relinquit annum *Nabonaſſari* 575. Hujus Canonis ratio ex antecedentibus conſtat.

Datum annum Nabonaſſari *ad annum Periodi* Julianæ *revocare.*

CAN. II. FIt id converſâ ratione. Notatis 4. numeris, 1. 227. 1688. 3149. tria intervalla notentur. Si annus in primum rejicitur, adde illi 3966. Si ad ſecundum in tertium ſpectat, adjice illi 3965. Si ad 3. adde 3964. Exempli cauſsâ: Annus *Nabonaſſari* 189. quia in primo intervallo locatur, adjunctis 3966. efficit 4155. quo cœpit propoſitus annus *Nabonaſſari*. At annus 575. additis 3965. dabit annum Periodi *Julianæ* 4540.

Poteſt ad annos mundi eadem methodus applicari; ſi priùs conſtitueris, quem in annum epochæ iſtius anni *Nabonaſſarei* congruant.

Dato quolibet anno Ægyptiaco, *vel* Nabonaſſareo, *ejuſque initio, reliquos menſes inveſtigare.*

Ad

AD diem neomeniæ *Thoth* in *Juliano* Calendario fixum adde numerum ad eum menſem, quem inquiris, adſcriptum. Summa integra, vel, ſi major eſt quàm 365. eo detracto, quod reſiduum eſt, erit dies neomeniæ, quam requiris. Verbi gratiâ, ſit inveſtiganda neomenia *Pharmuthi* anno *Nabonaſſari* 189. Quoniam igitur neomenia *Thoth* ex Canone 1. cœpit *Januarii* 10. adjice 210. ad illum menſem adſcriptos in laterculo, fient 220. Igitur 220. dies à Calendis *Januariis* habet neomeniam *Pharmuthi*, quem ex laterculo menſium *Romanorum* invenies eſſe *Auguſti* 8. CAN. IV.

Propoſito aliquo anno Nabonaſſari *feriam pronunciare, à qua incipit.*

AD numerum annorum *Nabonaſſari* adde 3. Summa diviſa per 7. ſi quid reſidui faciat, erit hæc feria. Si nihil ſuperſit, erit 7. CAN. V.

Exemplum: Quæritur in quam feriam incurrat neomenia *Thoth* anni 189. *Nabonaſſari*. Additis 3. ſummam 192. partire per 7. reſtant 3. Igitur neomenia *Thoth* cœpit anno *Nabonaſſari* 189. Periodi *Julianæ* 4155. feriâ 3. Et reverà anno illo fuit feria 1. *Januarii* 10. Litera Domin. A.

Invento charactere, ſive feriâ neomeniæ Thoth, *reliquorum menſium ac dierum characteres excerpere.*

IN laterculo menſium *Ægyptiacorum*, quod ſuprà deſcripſimus, in colo 3. habes regulares, hoc eſt feriarum numerum, qui cum charactere neomeniæ *Thoth* per præcedentem reperto ſingulorum menſium ferias oſtendit. Quæratur character menſis *Pachon* anno *Nabonaſſari* 189. neomenia *Thoth* ex antecedenti Canone cœpit feria 3. regularis *Pachon* eſt 2. CAN. VI.

Utraque compoſita dant 5. Igitur neomenia *Pachon* incidit in feriam 5. Experiamur, an vera ſit methodus iſta, ex comparatione anni *Juliani*. Ex doctrina Canonis 4. neomenia *Pachon* incidit in 7. *Septembris*. Siquidem numerus 240. in laterculo menſium *Ægyptiacorum* adſcriptus ad *Pachon*, ſi ad neomeniam *Thoth*, quæ *Ianuarii* 10. occupavit, accedat, efficit 250. de quo numero deductus proximè minor in laterculo *Romanorum* menſium, qui eſt 243. ad *Septembrem* appoſitus, relinquit 7. ex doctrina Canonis 1. Reverà autem *Septembris* dies 7. feriam 5. habuit. Nam litera Dom. fuit A.

Inveſtigatis feriis initialibus menſium, cæterorum dierum ferias nullo labore conſequeris. Memineris modo, eamdem feriam eſſe die menſis 8. 15. 22. 29. quæ prima fuit.

CAPUT XIII.

De methodo anni Ægyptiaci *ad* Julianum *modum redacti atque fixi.*

Libr. 7. de Doct. Temp. c. 16. * Vide 10. de Doct. c. 71.

ALexandrini, ut & *Ægyptii* reliqui, *Antonio* & *Cleopatrâ* ſublatis, unà cum jugo *Romanorum* etiam eorum annum acceperunt: hunc tamen quinquennio, quàm illud, poſterius, ut pleniùs * alibi demonſtravimus. Ab illo tempore deinceps vagari popularis illorum annus deſiit: ſed intercalationis fræno revocatus eſt quarto quoque anno priſtinam in ſedem. Caput hujus, ſive neomenia *Thoth*, hæſit in *Romani Auguſti* die 29. qui decollationi Sancti *Ioannis* hodie dicatus eſt. Menſium eadem quæ in vago deſcriptio. Nam tricenarii ſunt ſinguli; ex hiſque 360. dies conficiuntur, quibus 5. adduntur in fine epagomenæ, quaſi curtus menſis: & cum biſextilis eſt annus, eæ ſex numerantur. Intercalant autem *Alexan-*

xandrini non eodem anno, quo *Romani*, ſed proximè antecedente, ut ex *Ambroſii epiſtola* 83. colligitur, in qua ſcribit anno 76. *Diocletiani* Paſcha celebratum eſſe 28. *Pharmuthi*, 9. Cal. *Maji*, ſive *Aprilis* 23. Annus 76. *Diocletiani* cœpit anno *Chriſti* 359. ab *Auguſto* exeunte, idemque fuit in curſu ſequenti anno *Chriſti* 360. quo Paſcha incidit in *Aprilis* 23. Porrò 28. dies *Pharmuthi* eſt 238. ab initio anni *Ægyptiaci*, ſive à neomenia *Thoth*. Igitur ſi à 23. *Aprilis* retrò putentur dies 238. calculus deſinet in *Auguſti* 30. Quippe biſextili anno dies ſunt 114. à Cal. *Januariis* ad 23. *Aprilis*; à 30. verò *Auguſti* ad ultimum *Decembris*, ſunt 124. quæ ambo componunt 238. Quare cùm neomenia *Thoth* in 30. diem *Auguſti Romani* ceciderit, intercalatum fuerit oportet ab *Alexandrinis* anno *Chriſti* 359. proximè ante *Romanorum* biſextilem; alioqui *Thoth* à 29. *Auguſti* cœpiſſet. Methodus anni hujus eſt, ut ad inveſtigandum quemlibet menſem, ejuſve diem, ex laterculo menſium *Ægyptiacorum* ſuprà *pag.* 36. deſcripto ſcias, quotus ſit dies iſte ab anni capite, ſive ab neomenia *Thoth*: tum numerum iſtum adjice ad dies 140. in reliquis 3. annis quadriennii *Juliani*: in quarto verò, ſive eo proximè biſextilem antegreditur, ad 241. De ſumma aufer 365. vel 366. ſi biſextilis includatur, reſiduum erit dies quæſitus. Exemplum: *Syneſius epiſtola* 13. denunciatum eſſe Paſcha refert in diem 19. *Pharmuthi*. Ex laterculo menſium *Ægyptiacorum* dies iſte putatur 229. ab neomenia *Thoth*. Quoniam annus iſte fuit *Chriſti* 412. biſextilis, proximè ante hunc intercalatum eſt *Alexandriæ*. Igitur adde 241. ad 229. & ex ſumma 470. deduc annum biſextilem 366. reſtant 104. quem ex laterculo menſium *Romanorum* intelliges eſſe *Aprilis* 14. quo reverà Paſcha contigit anno 412. Cyclo Lunæ 14. Solis 1. lit. GF.

Ut autem *Ægyptiorum* vagus annus vel abſolutè tractatur, vel ad epocham aliquam adſtrictus, cujuſmodi eſt *Nabonaſſarea*, ſic annus fixus eorumdem certis æris innectitur: quales præcipuè ſunt duæ, *Actiaca*, & *Diocletianea*. de quibus ſuis locis diximus.

Utriuſque methodus hæc erit. Ut annum *Actiacum* obtineas, adde ad annos *Chriſti* 30. Siquidem æra *Actiaca* totidem annis *Chriſtianam* excedit. Ut autem *Diocletianeam* adipiſcaris, deduc de annis *Chriſti* 283. reſiduum erit annus *Diocletiani*.

CAPUT XIV.

De Chronologiæ principiis, & characteriſmis annorum.

UT artium doctrinarumque cæterarum, ita Chronologiæ certa principia ſunt, quibus in conſtituendis rerum geſtarum annis utitur, erroremque declinat. De his copioſè accuratèque diſputatum eſt in *Prolegomenis Operis de Doctr. Temp.* præſertim Tomi 2. quæ legiſſe, ac perſpecta penitùs habere, multum ſtudioſi artis iſtius interſit. Illic enim primùm illorum caſtigata eſt ratio, qui totum hujus artis negotium in annis utcumque conſuendis & ex hiſtoria digerendis putant conſiſtere, ac Solis Lunæque motus, nec non cyclorum & characteriſmorum ſubtilitatem omnem inutilem ac ſupervacaneam exiſtimant.

Contra quos tria genera principiorum eſſe contendimus, illius propria. Quædam enim ex Auctorum fide digniſſimorum teſtimoniis petuntur: quæ ſunt talia nonunquam, ut vel ad ea ipſa, quæ ſibi demonſtratione perſuaſerint, minori firmitate homines adhæreſcant. Cujuſmodi ſunt iſta: fuiſſe quondam in

Græcia

Græcia terra *Olympiacos* agones, qui quinto quoque anno redibant: Urbem *Romam* poſt inſtitutas Olympiadas conditam à *Romulo* fuiſſe: *Herodotum*, *Thucydidem*, *Xenophontem*, & alios hujus generis, illarum initio poſteriores fuiſſe: & ejuſdem modi cætera confeſſa vulgò. De quibus rectè *S. Auguſtinus lib.* 13. *de Civit. Dei cap.* 3. *Nam conditam* Romam *tam certum habeo in rebus humanis, quàm* Conſtantinopolim; *cùm* Romam *viderim oculis meis, de illa verò nihil noverim, niſi quod aliis teſtibus credidi.* Secundi generis principia ἐξ ὑποθέσεως aſſumuntur; qualia ſunt, quæ Mathematici poſtulata nominant. Exempli cauſſâ, æram *Chriſtianam* abhinc anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſecundo cœpiſſe, poſtulatum eſt, quod nullâ demonſtratione, ſed uſu & conſenſione nititur: tamen negari ab ullo non poteſt, & ad concludendam Chronologicam rationem valet. Fit enim eo conceſſo, quod conſequens eſt, neceſſarium. Eodem & Cycli tres uſu vulgati pertinent; quos ad eamdem æram applicare ſolent, de quibus in ſuperioribus capitibus habita diſputatio eſt. Tertium genus principiorum media Mathematica è ſcientia depromitur, ut ſunt ortus ſiderum, & occaſus, & eorum inter ſe σχέσεις, obſcurationes, conjunctiones, aliaque id genus, quorum mentio ex Auctoribus, fides ex Mathematicis Aſtronomiciſque calculis accipitur. Horum trium è duobus ſaltem implicatis invicem junctiſque probationes inſtruuntur artis iſtius. Quod quemadmodum uſu veniat, exemplo aliquo docendus eſt tyro.

Propoſitum ſit Chronologo demonſtrare, quoto ante hunc annum, qui ſupra milleſimum & ſexcenteſimum ſecundus & triceſimus æræ *Chriſtianæ* numeratur, *Peloponneſiacum* bellum acciderit. Hoc ille in hunc modum ratiocinando colliget. Quoniam enim *Thucydides*,

cydides, qui ætate vixit illâ, primo belli iſtius anno Solem poſt meridiem defeciſſe refert, tum in annum belli quartum Olympiadicum agonem incidiſſe: item anno belli octavo Solem iterum defeciſſe; Lunam verò belli decimo nono, quo tempore *Nicias Athenienſium* imperator bellum in *Sicilia* gerebat. Ad hæc ultimo belli ejuſdem anno, Olympiade 94. Solem obſcuratum eſſe teſtis eſt, qui eâdem vixit ætate, *Xenophon*, paulò poſt initium Olympiadis: (quæ amborum teſtimonia ſuis locis accuratè diſcuſſa ſunt) ex iis autem omnibus neceſſe ſit, anno ante *Chriſti* æram 431. *Peloponneſiaci* belli primordium incurriſſe; ab æra verò *Chriſtiana* ad hunc annum 3632. putantur anni. Igitur anno abhinc 2063. bellum iſtud inchoatum eſt. Hæc ratiocinatio triplex illud adhibet principiorum genus. Nam *Thucydidem* & *Xenophontem* haud iſta temerè falsòve ſcripſiſſe, primum ad genus refertur. Quòd autem illorum hæc eſſe vera nequeat hiſtoria, niſi anno ante communem æram 431. bellum inceperit, ex Aſtronomicis calculis & Mathematicâ demonſtratione conficitur; quod genus eſt principii tertium. Adde jam Lunæ Soliſque cyclos, ut ab cæteris annus ille velut propriis characteribus ſeparetur, præter annorum *Chriſti* epocham, quam uſurpavimus, ſecundum id erit principiorum genus. Ex quibus omnibus quæ conficitur argumentario, invicta eſt & ἀποδεικτικὴ. Quòd ſi poſterioribus duobus relictis, in priori tantummodo genere Chronologia conſiſtat, hoc eſt, ſi ſola ex auctoritate, ſine charactere ullo, aliove annorum neceſſario nexu, horum ſeries deducta ſit, tum tota eſſe στοχαστικὴ & opinabilis incipiet, nullis ad fidem neceſſariis fulta præſidiis: quod ipſum dupliciter evenit. Aut enim nulla iſtiuſmodi veſtigia demonſtrationum ex Hiſtoria ſuppetunt, ut in ſacra antiquiore Hiſtoria contigit; quæ ſimplicem plerum-

Lib. 9. de Doct. Temq. c. 41. & lib. 10. cap. 27. & 28. tum infrà lib 3. c. 11.

rumque ſeriem annorum, eamque non ſatis extricatam, nec cum ſequentibus contextam, objicit. Aut per incuriam & inſcitiam, ſi qua ſunt, omittuntur: quod trivialium Chronicorum & Annalium Scriptores faciunt; qui bonarum artium jejuni nullum delectum annorum inſtituunt; neque κριτήρια temporum adhibent illa, ſine quibus ſcientia conſtare non poteſt. Sed adverſus iſtos homines ſatis diſputatum eſt in *Prolegomenis Doctrinæ Temporum.* Nos, quoad ipſius fieri poterit, elementa iſta neceſſariorum argumentorum conferemus in Chronologiam; neque hoc negotium ſoli conjecturæ opinionique permittemus, niſi ubi certæ nos illæ notæ annorum deſtituent. Quod inſtitutum in majori illo *Opere* tenuimus, ac deinceps hoc in *Rationario* pari ſtudio diligentiâque perſequemur.

Atque ut cujuſvis explorandæ Chronologiæ, & ejus, quæ hoc ſe nomine falsò venditat, ab recta & ſincera diſcernendæ methodus aliqua conſtituatur, Canonion hic apponam illuſtrium epocharum, quarum tempus exquiſitâ illâ & ex ſuperioribus tribus collectâ principiis probatione conficitur: ſic ut periti omnes, quamlibet diſſidentes in cæteris, in illis neceſſariò conſentiant. Rationes porrò, quibus earum deducta ſunt tempora, ſparſim toto Opere ſunt expoſitæ; quarum loca numeralibus indicantur notis. Et ut communis ſit Chronicis omnibus illarum uſus, ac facilis, epochas iſtas non ad annos mundi, qui variè definiuntur, ſed ad Periodum *Julianam* accommodabimus: cujus ne obſcuritatem cauſſentur imperiti, annos ante vel poſt *Chriſtianam* æram identidem adjungemus.

CAPUT XV.

Canonium epocharum aliquot, de quibus periti omnes inter ſe conveniunt.

Per. *Jul.*	Ante *Chriſtum.*
4550	164
4578	136
4676	38

1 SAbbatici anni *Judæorum* ab autumno trium horum annorum certiſſimè cœpti ſunt: ita ut ſabbatiſmus horum trium annorum finem & ſequentium partem majorem occupaverit. Quocirca utcumque de primo Sabbatico poſt exitum ex *Ægypto* Chronologus ſtatuat, debet ab illo poſitus annus tribus iſtis reſpondere, infrà *lib.* 2. *cap.* 7.

2 Primus agon *Iphiti*, ſive Olympiadum initium, contigit anno Per. *Jul.* 3938. ante *Chriſti* vulgarem natalem 776. *lib.* 3. *cap.* 1.

3 Annus primus Urbis *Varronianus*, ſive *Palilia Varroniana*, quæ in annum 3. exeuntem Olympiadis 6. conferuntur, congruunt in annum Per. *Jul.* 3961. ante *Chriſtum* 735. *Capitolinorum* verò Faſtorum *Palilia*, quæ anno 4. Olympiadis ejuſdem imputantur, cadunt in annum Per. *Jul.* 3962. ante *Chriſtum* 752. *lib.* 3. *cap.* 2.

4 Æra *Nabonaſſari*, quâ *Ptolemæus*, *Cenſorinus*, aliique utuntur, iniit *Februarii* 26. anni Per. *Jul.* 3967. ante *Chriſtum* 747. *lib.* 3. *cap.* 3.

5 *Medorum* imperium, ultimo in ordinem redacto Rege *Aſtyage*, tranſlatum eſt in *Perſas*, iiſque primùm regnavit *Cyrus* anno Per. *Jul.* 4154. vel 4155. ante *Chriſtum* 560. vel 559. hoſt eſt anno 1. Olympiadis 55. *lib.* 3. *cap.* 8.

6 *Cambyſes Cyri* filius regnare eſt orſus anno Per. *Jul.* 4185. ante *Chriſtum* 529. *lib.* 3. *capp.* 8. & 10.

Darius

Darius Hyſtaſpis filius iniit anno Per. *Iul.* 7
4193. ante *Chriſtum* 521. Idem verò ſaltem ad 31. imperii pervenit annum, *ibid.*

Xerxis navale cum *Græcis* certamen ad *Salamina* 8
factum eſt anno 1. Olympiadis 75. Per. *Iul.* 4234. ante *Chriſtum* 480. *lib.* 3. *capp.* 10. & 11.

Bellum *Peloponneſiacum* iniit anno Per. *Iul.* 9
4283. ante *Chriſtum* 431. *ibid. cap.* 11.

Alexandri M. victoria ad *Arbella*, & imperii 10
Perſici occaſus, incidit in annum Per. *Iul.* 4383. ante *Chriſtum* 331. *lib.* 3. *cap.* 12.

Mortuus eſt *Alexander M.* anno Per. *Iul.* 11
4390. ante *Chriſtum* 324. aut ſaltem anno Per. *Iul.* 4391. ante *Chriſtum* 323. *ibid.*

Seleucidarum æra, quâ *Macedones* in Oriente 12
ſunt uſi, quique anni *Græcorum* appellantur in libris *Machabæorum*, cœpit anno Per. *Iul.* 4402. ante *Chriſtum* 312. ſed in *lib.* 1. *Machab.* ejus initium à vere, in *ſecundo libro*, ab autumno ſequente ducitur, *lib.* 3. *cap.* 13.

Ptolemæus Philadelphus regnare cœpit anno 13
Per. *Iul.* 4429. ante *Chriſtum* 285. *lib.* 3. *cap.* 12.

Ptolemæus VI. cognomento *Philometor* iniit 14
anno Per. *Iul.* 4543. aut 4544. ante *Chriſtum* 181. vel 180. *ibid.*

Macedonicum regnum clade *Perſei* defecit 15
in *Europa* anno Per. *Iul.* 4546. ante *Chriſtum* 168. quo anno *Paulus Æmilius Macedonas* acie ſuperavit, *lib.* 2. *cap.* 14.

Antiochus Epiphanes templum profanavit 16
Hieroſolymis anno *Seleucidarum* 145. Per. *Iul.* 4546. ante *Chriſtum* 168. *lib.* 4. *Part.* 1. *cap.* 9.

Annus 1. *Iulianus* cœptus eſt anno Per. *Iul.* 17
4669. ante *Chriſtum* 45. *lib.* 3. *cap.* 14.

Æra *Hiſpanienſis* incipit anno Per. *Iul.* 4676. 18
ante *Chriſtum* 38. *ibid.*

Victus eſt ad *Actium Antonius* cum *Cleopatra* 19
anno Per. *Iul.* 4683. ante *Chriſtum* 31. Mortui ſunt autem ambo anno ſequenti, à quo & anni

Ægyptio-

Ægyptiorum Actiaci cœperunt. Per. *Jul.* 4684. ante *Chriſtum* 30. *lib.* 3. *cap.* 15.

20 Æra *Chriſtiana* vulgaris incipit à Calendis *Januariis* anni Per. *Jul.* 4714. *Juliano* anno 46. Olympiadis 194. anno 4. dimidiato, *lib.* 4. *c.* 1.

21 *Auguſtus* Imperator obiit menſis cognominis die 19. anno *Juliano* 59. æræ *Chriſtianæ* 14. *lib.* 4. *cap.* 5.

22 *Claudius Nero Cajo* ſucceſſit anno *Chriſti* 41. *ibid.*

Domitius Nero poſt *Claudium* imperare cœpit
23 anno *Chriſti* 14. *ibid.*

24 *Domitianus* anno *Chriſti* 96. periit, *ibid.*

25 Æra *Diocletiani* iniit anno *Chriſti* 284. *lib.*
26 4. *cap.* 9.

Nicæna Synodus anno *Chriſti* 325. celebrata eſt, *lib.* 4. *cap.* 12.

27 Obiit *Conſtantinus M.* anno *Chriſti* 337. *l.* 5. *cap.* 11.

28 *Valentianus* I. imperare cœpit anno *Chriſti* 364. *l.* 4. *cap.* 12.

Anni *Hegiræ*, quibus *Arabes* utuntur ex an-
29 no *Chriſti* 622. *Julii* 16. die, procedunt, *lib.* 4. *cap.* 15.

Hæ ſunt epochæ præcipuæ, quæ in hac arte certiſſimæ ſunt; adeo ut in illarum tempora periti omnes conſentiant. Quocirca ut quæque Chronologia de una ex iis, aut pluribus, aliter ſtatuit, eomagis vel minus aberrat à vero. Ac ſi quis Chronicon quodpiam explorare voluerit, illas ipſas epochas tanquam gnomones ac regulas adhibeat; primumque omnium inquirat, quorum in annum mundi natalem *Chriſti* communem, & æræ vulgaris initium, conferat. Ita enim intelliget cuinam anno Periodi *Julianæ* mundi caputa ddicat, & quibus deinceps Solis ac Lunæ cyclis ſingulos aſſignet annos. Tum unamquamque epocharum illarum in iſtius anno-rum

rum ſerie contempletur. Vix autem fieri poteſt quin, ſi doctrinæ hujus methodum & characteriſmorum, ac κριτηρίων uſum ignoret: aut niſi peritos eorum duces omninò ſequatur, in pleriſque titubet, ac cùm hiſtoricæ veritati, tum ipſi contraria multa, minimeque cohærentia deſignet. Cujus inſtituendæ probationis, ac veri falſiſque Chronici dijudicandi ſpecimen hoc loco ſubjiciemus: ad idque Chronologiam eligemus aliquam, cujus in erratis ac vitiis quid ſibi deinceps cavendum ſit, prudens Lector agnoſcat.

Ex omnibus verò, quæ ad hunc diem editæ ſunt, nulla ad hoc inſtitutum aptior eſt, quàm quæ noviſſimè prodiit indidem, *Unde homines nati durum genus.* Nam nulla mendoſior exſtitit, vitiiſque referta majoribus. Quanquam Scriptor illius valdè ſibi doctrinæ in iſto genere placet, in eoque majorem partem contrivit ætatis, ut ejus exemplo doceri poſſit, rem non adeò facilem ac parabilem eſſe, quàm nonnullis videtur, temporum ſcientiam, quam tot annorum meditatione ac ſtudio nondum ille conficere ſibi potuerit.

Caput XVI.

Πρᾶξις methodi Chronologicæ, ſive examen Chronologiæ ſanctæ *ab opilione Scriptore nuperè edita.*

Annus *Chriſti* 1632. in iſto Chronico putatur ab origine mundi 5832. primus autem æræ *Chriſtianæ*, mundi ſtatuitur 4201. ut natalis communis *Chriſti* finem occupet anni mundi 4200. Quocirca deductis ex anno Per. *Jul.* 4713. annis 4200. relinquuntur anni 513. perpetuâ methodo addendi ad annos mundi, ut anni Per. *Jul.* conficiantur. Quo conſtituto, videamus, quàm aptè ad epochas Canonii *ſancta* illa *Chronologia* congruat.

Annus primus *Iphiti*, ſive Olympiadis primæ, in illa numeratur ab Orbe condito 3427. Additis ex methodo 513. conſiunt anni Per. *Jul.* 3940. Biennio igitur aberrat. Nam debet eſſe 3938. Quod & annorum ante *Chriſtum* calculus oſtendet. Detractis enim annis abſolutis 3426. de 4200. reliqui ſunt 774. anni ante *Chriſtum*: quos tamen 776 numerandos eſſe demonſtravimus.

Chron. ſancta p. 447. In annis ab Urbis *Romæ* conditu & ſecum ipſe conflictatur *ſanctæ Chronologiæ* Scriptor, & biennii metachroniſmo peccat. Etenim anno mundi 3451. *Aprilis* 21. conditum illius aſſignat, cùm initium Olympiadum in ſolſtitium æſtivum anni mundi 3427. conferat. Idem porrò anno primo Olympiadis 7. *Romam* cenſet eſſe conſtructam. Quæ ſunt ἀσύςατα. Si enim anno mundi 3427. ſub æſtivum ſolſtitium cœpta eſt Olympias prima, anno mundi 3451. ab eodem ſolſtitio ſeptima Olympias inierit oportet. Urbs autem vere antecedente, labente adhuc *Iphiti* anno 24. ſive 4. Olympiadis 6. fundata. Non igitur anno 1. Olympiadis 7. ut ille ſcribit. Sed nec annum 1. Olympiadis 7. rectè conſtituit in anno mundi 3451. qui eſt Per. *Jul.* 3664. & ante *Chriſtum* 450. Nam debet eſſe Per. *Jul.* 3692. & ante *Chriſtum* 752. ut ſuprà declaratum eſt. Unde biennio labitur.

Chron. ſancta p. 35. Sed majora ſunt, quæ ſequuntur, portenta χρονικῆς ἀλογίας. Annum 1. *Nabonaſſari* collocat in anno mundi 3471. vel 3476. ita enim ridiculè fluctuat in re facili ac certa. Annus 3471. additis ex methodo 513. efficitur *Julianæ* Periodi 3984. ante *Chriſtum* 730. Annus verò 3476. eſt Per. *Jul.* 3989. ante *Chriſtum* 725. Utrobique verò turpis eſt error; in priori epocha, annorum 17. in poſteriori, 22. Eſt enim 1. *Nabonaſſari*, *Jul.* Per. 3967. ante *Chriſtum* 747.

Rurſus *Medorum* imperii finem, & exordium *Perſici*, quod *Cyrus* inſtituit, putat eſſe

mun-

mundi 3660. qui eſt Per. *Jul.* 4173. ante *Chriſtum* 541. in quo annis ſaltem 18. hallucinatur. Nam *Aſtyagis* exitus, & *Cyri* primordium, annum obtinere debet Per. *Jul.* 4154. vel 4155. ante *Chriſtum* 560. vel 559. Anno Per. *Jul.* 4173. cœpit quartus Olympiadis 59. cùm tamen *Cyrus* conſenſu omnium *Perſis* regnare cœperit anno 1. Olympiadis 55.

Ad hæc *Cambyſis* initium imputat anno mundi 3689. ante *Chriſtum* 512. In quo annis 17. fallitur. Oſtenſum enim eſt, anno Per. *Jul.* 4185. *Cambyſem* regnare cœpiſſe, ante *Chriſtum* 529. Atqui annus mundi 3689. adjectis 513. efficitur Per. *Jul.* 4202. Chron. ſancta p. 37.

De *Cambyſis* anno 7. abnormis eſt & ἄλογος illius opinatio. Scribit enim ſeptimum hunc annum, cui *Ptolemæus* lunarem defectionem adſcribit, vel non ultimum ab eodem *Cambyſis* regni vitæque ſtatui: vel, ſi ultimus ponitur, non ab eo tempore putari, quo in *Perſide* regnare cœpit, ſed quo *Ægypto* potitus eſt, tanquam duodecim in totum regnarit annos; quorum ultimis 7. *Ægypto* dominatus fuerit. Verùm iſta commentitia ſunt, & à *Ptolemæi* rationibus aliena. *Cambyſem* octavum annum haud exceſſiſſe, non ſolùm *Herodotus*, ſed etiam *Ptolemæus* arbitratus eſt. Id oſtendit Canon ille Mathematicus *Ptolemæi*, in quo *Babylonii* Reges deſcripti ſunt: qui in fine hujus Partis editus eſt *Græcè* ac *Latinè*, exſtatque in *Theonis* libro nondum edito, qui Πρόχειροι Κανόνες inſcribitur: cujus nos partem illam, quæ *Babyloniorum* Regum ſeriem continet, in a 9. *de Doct. Temp.* exſcripſimus. In eo catalogo *Cyrus Babylone* regnum auſpicatus proditur anno *Nabonaſſari* 210. ac 9. annos imperaſſe, ut anno *Nabonaſſari* 218. deceſſerit. Huic *Cambyſes* ſubjicitur, qui orſus anno 219. *Nabonaſſari*, annis 8. confectis, obiit 226. *Nabonaſſari*, ac ſucceſſore in *Darium* habuit. Chron. ſancta p. 515. a Lib. 9. cap. 52.

buit. Annus *Nabonaſſari* 210. ex methodo ſuperiùs tradita, iniit anno Per. *Jul.* 4176. ante *Chriſtum* 538. Annus item *Nabonaſſari* 218. eſt 530. ante *Chriſtum*. Denique 226. eſt 522. ante eandem *Chriſti* epocham. Quodcirca *Ptolemæus* ultra annos 8. *Cambyſis* imperium, ex quo *Cyro* patri ſucceſſit, propagari non cenſuit. Indidémque manifeſtus eſt Chronologi iſtius error: qui initium *Cambyſis* illigat anno mundi 3689. mortem 3700. quorum ille eſt 512. ante *Chriſtum*, hic verò 501. Ita in *Cambyſis* initio labes eſt profanæ iſtius *Chronologiæ*, annorum 18. quot diſtat 533. ante *Chriſtum*, à 512. In obitu verò *Cambyſis* differt à *Ptolemæi* calculo, veraque temporum putatione, annis 21. quo intervallo diſcrepat annus ante *Chriſtum* 501. à 522.

Sic *Darii Hyſtaſpis* filii annus primus comparatur ab iſto Chronologo, cum anno mundi 3701. qui eſt Per. *Jul.* 4214. ante *Chriſtum* 500. Proinde annorum 21. error eſt; ſiquidem ex certiſſimis obſervationibus *Darii* primordium incurrit in annum Per. *Jul.* 4393. ante *Chriſtum* 521.

Chron. ſancta p. 450. *Salaminium* certamen, quo *Xerxes* cum *Atheníenſibus Græciſ*que cæteris conflixit, in *Chronologia ſancta* adſcribitur anno mundi 3723. qui eſt Per. *Jul.* 4236. ante *Chriſtum* 478. Hic biennii labes admiſſa. Nam prælium illud anno Per. *Jul.* 4234. ante *Chriſtum* 480. omnino convenit.

Chron. ſancta p. 38. Verùm abſurditatem excedit omnem, quòd *Dario Hyſtaſpis* filio non plures annos, quàm 20. tribuit, *Metaſthenem* neſcio quem ſtramentitium ſecutus, quem *Herodoto* præfert. Sed ſi tanti non erat *Herodotus*, ut ei auſcultare potiùs vellet, quàm ſuppoſititio *Metaſtheni*, ſaltem Aſtronomiæ rationem aliquam duceret, & ἀποδείξει cederet. Eſt enim apud *Ptolem. lib. 4. cap. 9. pag.* 102. *edit. Græc.* Lunaris defectionis obſervatio, quæ *Darii* anno 31. notatur, *Nabonaſſari* 257.

Tybi

Tybi 3. ſequente 4. horâ 10. 40. à meridie. Igitur 31. ſaltem annum *Darius* attigit. Sed nimirum annos 36. imperavit, ut non ſolùm *Herodotus* teſtatur; verùm etiam Aſtronomicæ τηρήσεις inter ſe collatæ; quæ *Cambyſis* 7. *Darii* 20. & 31. *Xerxis* anno 6. ac demùm *Darii Codomani* ultimo conveniunt, quarum intervalla Chronologiæ noſtræ fidem adſtruunt.

Alexandri M. primordium poſt *Philippi* patris obitum eadem illa *Chronologia ſancta* conſtituit in anno mundi 3885. ante *Chriſtum* 316. Additis ex perpetua methodo 513. ad 3885. exiſtit annus Per. *Jul.* 4398. Rurſus initium Monarchiæ *Alexandri*, unà cum clade *Darii* ad *Arbella*, eadem *Chronologia* anno mundi 3889. tribuit, ante *Chriſtum* 312. ut ſit annus Per. *Jul.* 4402. Cujus quidem Monarchiæ annos numerat 12. quibus *Dario* ſuperſtes vixit. Hæc temporum ratio prorſus abſurda eſt & imperita. *Arbellica* victoria, & occaſus *Perſici* regni, extra controverſiam, incidit anno ante *Chriſtum* 331. Per. *Jul.* 4383. anno 2. Olympiadis 112. ut infrà *lib.* 3. *cap.* 11. demonſtratum eſt, partim conſenſu Hiſtoricorum veterum, partim Lunari defectione, quæ paulò ante prælium contigit *Septembris* 20. Ea porrò victoria ſexto anno poſt *Philippi* obitum accidit, ut teſtis eſt *Dionyſius Halicarnaſſ.* in *Dinarcho*; cui & *Diodorus* aſſentitur. *Euſebius* anno *Alexandri* ſeptimo tribuit. Unde *Philippi* obitus rectè à *Diodoro* confertur in annum 1. Olympiadis 111. qui eſt Per. *Jul.* 4378. ante *Chriſtum* 336. Quocirca Chronographus iſte opilio in *Alexandri* initio collocando, & obitu *Philippi*, annis totis 20. fallitur; in *Arbellica* victoria, & occaſu *Perſici* regni, annis 19.

Chron. ſancta p. 39.

Chron. ſancta p. 146.

Imperavit *Alexander* annis poſt mortem *Darii* haud amplius ſeptem; in totum verò 12. cum menſibus aliquot, ut *Diodorus Siculus*, & *Arrianus lib.* 8. ex *Ariſtobulo*, qui fuit *Alexandri* σύγχρονος, & *Euſebius* in *Chronico* reſtantur.

Philippus enim obiit *Pythodoro Athenis* Prætore, ut ſcribit *Diodorus*, & *Arrianus*; qui eſt annus 1. Olympiadis 111. ante *Chriſtum* 336. *Alexander* verò mortuus eſt *Hegeſiâ* Prætore anno 1. Olympiadis 114. iisdem auctoribus: anno ante *Chriſtum* 324. Per. *Jul.* 4390. Quod non ſolùm auctoritate Veterum, ſed etiam Aſtronomicis rationibus colligitur, ut in *lib.* 3. *cap.* 12. oſtendimus.

Chron. ſancta. p. 39. 546. At Chronologus nuperus, poſtquam *Darii* cladem in annum contulit mundi 3889. & annis ſolidis 19. aberravit, *Alexandrum* aſſerit 12. annos poſt *Darium* imperaſſe, obiiſſeque anno mundi 3900. qui eſt 302. ante *Chriſti* æram, Per. *Julianæ* 4413. Nihilominus propter Auctorum quàm plurimorum teſtimonia, qui poſt *Darium* annos 8. ſuperſtitem fuiſſe volunt *Alexandrum*, tanquam in dubio poſitâ re, annum alterum *Alexandri* morti præfinit; qui ſit mundi 3896. ante *Chriſti* æram 306. Eſt hic Per. *Jul.* 4409. Itaque prior illius ſententia, quam & alteri præfert, annis 23. tardiùs *Alexandri* conſignat obitum, poſterior, annis 19. Nam de anno mortis *Alexandri* nulla, niſi paucorum ad ſummum menſium, poteſt inter eruditos eſſe controverſia. Tum hoc falſiſſimum eſt, poſt *Darii* necem annis illum 12. in vivis fuiſſe. Non enim dubium eſt, quin anno 2. Olympiadis 112. victus & occiſus ſit *Darius*, *Alexander* verò mortuus ſit primo anno Olympiadis 114. quod egregiè confirmat Antiquorum conſenſus omnium, velut *Diodori*, *Arriani*, *Cenſorini*, *Ptolemæi*, *Theonis*, & Aſtronomorum cæterorum, qui ab obitu *Alexandri M.* ſive initio *Philippi Aridæi* tempora ſubduxerunt. Quod in *lib.* 10. *de Doct. Temp. capp.* 38. 39. & ſeq. tum in *Paralip. pag.* 859. uberrimè demonſtravimus.

Præterea mortuus eſt *Alexander M.* anno ætatis ſuæ tertio & triceſimo, ut ſcribit *Cicero* in *Philippica quinta*, nec non *Juſtinus libro* 12. & *Arria-*

Arrianus, *Euſebius* in *Chronico*, anno triceſimo ſecundo; cui aſſentitur *Alexandrinum Chronicon*. Regnare idem cœpit poſt *Philippi* necem anno circiter ætatis viceſimo, cujus rei teſtes ſunt *Plutarchus*, *Arrianus*, *Juſtinus*, *Zonaras*, & alii. Ita duodecim integros regnavit annos poſt obitum *Philippi*. *Diodorus* enim *Siculus* poſt patrem ait regnaſſe annos 12. menſes 7. *Livius libro* 9. annos tredecim, totidemque *Cornelius Nepos* in *Eumene*. Si ergo mortuus eſt, ut jam dixi, *Philippus Pythodemo* vel *Pythodoro* Archonte, qui fuit annus 1. Olympiadis 111. ut diſertè refert *Diodorus*, adſtipulante *Curtio*, & *Arriano*; iſque annus eſt ante *Chriſtum* 336. vel 335. ſi exeuntem *Græcum* annum computes: ac ſi obiit *Hegeſiâ* Archonte, anno 1. Olympiadis 114. ut *Diodorus*, *Arrianus*, *Euſebius lib.* 8. *de Demonſtr.* aſſerunt; qui annus cœpit ante *Chriſtum* anno 324. ſanè 12. non ampliùs annos ſolidos regnavit à *Philippi* morte. His omnibus aſſentitur *Vignerius*, & quiſquis rem Chronologicam cum aliqua laude tractavit. Sed quibus præſidiis portentum illud novæ opinionis fulciat ſeſe, paululùm videamus.

Tres ſunt potiſſimùm allati ab nupero Chronologo Scriptore, qui poſt victum *Darium* annos *Alexandro* 12. imputant. Primus eſt Auctor libri primi *Machabæorum*, qui *Alexandrum* ait annos regnaſſe 12. Verùm anni iſti regni totius habendi ſunt, non Monarchiæ, neque, ut aliter ſentiamus, cogere nos opilio iſte poteſt. Etenim Scriptura 12. in totum annos ait *Alexandrum* regnâſſe. Secundus eſt *Joſephus*, qui *lib.* 12. *cap.* 2. duodecim annos imperii tribuit *Alexandro*. Atqui de *Alexandro* verbum illic *Joſephus* nullum facit: nec uſquam imperâſſe ait annos 12. neque *Joſephum* Chronologus iſte legit: ſed apud *Ruffinum* interpolatorem *Joſephi* verba illa reperit, *Poſt decimum vero & ſecundum annum imperii* Alexandri, *& poſt quadrage-*

ſimum Ptolemæi *ſalvatoris*, quæ in *Græco* non comparent, & *Ruffinus* de ſuo, ut ſolet, emenſus eſt. Nec illa verò nuperi Chronologi cauſſam promovent. Imperium enim universè pro *Alexandri* regno ſumpſit: quemadmodum & *Ptolemæi* imperium nominat, quod regnum fuit. Tertius eſt *Strabo*, qui in calce *libri* 15. annos 10. vel 11. ab everſo *Dario* imperaſſe ſcribit *Alexandrum*.

Sed nimirum everſionem *Darii* ab anno primo expeditionis *Aſiaticæ Alexandri* & clade *Perſarum* ad *Granicum Strabo* repetiit. Anno quippe regni tertio, ut ait *Zoſimus*, tertio item Olympiadis 111. ut *Diodorus*, aliique teſtantur, ante *Chriſtum* 334. Per. *Jul.* 4380. *Alexander* fuſis ad *Granicum* in *Phrygia Perſis Aſiam* perdomuit. Id initium evertendi *Darii* fuit: à quo anno demùm undecimo inchoato mortuus eſt *Alexander*. Ita verum eſt, quod ἀλογωτέρως prodidit *Strabo*: τοῦτον δὲ καταλύσας Ἀλέξανδρος, αὐτὸς ἦρξε δέκα ἢ ἕνδεκα ἔτη. Falſiſſima eſt igitur & abſurdiſſima profana iſta *Chronologia*.

Chron. ſanƈta p. 847. In æra *Græcorum*, quâ libri *Machabæorum* uſi ſunt, quæ & *Seleucidarum* dicitur, conſentaneus eſt error nuperi Chronologi, qui hanc æram à poſtrema *Alexandri* victoria ad *Arbella* numerandam aſſerit, & *Vignerium* aliter ſentientem redarguit. In quo graviſſimè ipſe labitur. Certiſſimum eſt enim, annum primum *Græcorum* ab autumno cœpiſſe anni 12. poſt mortem *Alexandri*; poſt *Darii* mortem, anni 20. ut in *lib.* 10. *de Doƈt. Temp.* & hujus *Operis lib.* 3. docuimus.

Chron. ſanƈta p. 36. & 40. *Ptolemæorum* tempora apud eundem Chronologum perturbatiſſimè digeſta ſunt. Nam cùm de annis *Alexandri* & ejus obitu ancipitem poſuiſſet ſententiam, ac partim anno mundi 3896. partim 3900. illius mortem illigaſſet, quem poſteriorem annum alteri præferre ſe dixit, his ita conſtitutis, *Ptolemæi Lagidæ*, qui poſt *Alexandrum*

xandrum primus in *Ægypto* regnavit, annum primum illi ipſi 3896. adſcripſit anno 5. adeo ut, quinto, antequam moreretur *Alexander*, anno *Ptolemæus* ei in *Ægypto* ſucceſſerit. Etenim ſi, ut ille ſtatuit, probabilius eſt, *Alexandrum* anno 3900. obiiſſe, quàm 3896. *Ptolemæus* autem anno 3896. in *Ægypto* regnare cœpit; profectò id, quod dixi, ſequitur abſurdum. Neque enim duplicem ibidem, ut *Alexandri*, ita *Ptolemæi* epocham definit ad utramque de *Alexandri* obitu ſententiam accommodatam; ſed unam duntaxat, è quâ reliqui deinceps *Ptolemæorum* anni conſequuntur. Itaque non poteſt effugere, quin annis 5. ante *Alexandri* mortem ex ſua, & veriori ſententia conſtitutam, ſucceſſorem ei *Ptolemæum* dederit.

Ad hæc *Ptolemæum Philadelphum* ſuperſtite adhuc patre regnare cœpiſſe vult anno mundi 3930. cum eoque regnaſſe annis 6. Mortem enim *Lagidæ* collocat in anno 3935. In quo plurium error annorum eſt. Siquidem annus 3930. eſt *Julianæ* Periodi 4443. ante *Chriſtum* 271. Atqui demonſtratum eſt ex Aſtronomicis obſervationibus, initium *Philadelphi* congruere anno Per. *Jul.* 4429. qui eſt ante *Chriſtum* 285. Itaque annis 14. hallucinatus eſt. Chron. ſancta p. 49.

Tum quòd addit, ex *Dionyſii* Mathematici ſententia, & *Metaſthenis*, *Philadelphum* regnaſſe annis 36. at *Prologum Eccleſiaſtici* annos 38. numerare, in utroque falſus eſt. Dicat obſecro, ubinam legerit *Dionyſium* ſcripſiſſe, *Philadelphum* annis regnaſſe ſex & triginta. Nam apud *Ptolemæum* ſparſim ex *Dionyſio* ponuntur anni, quibus ſingulæ obſervationes notatæ ſunt. De *Philadelphi* annis ac regno non meminit. Nos in *lib.* 4. *de Doct. Temp. cap.* 16. omnia illa *Dionyſii* exempla deſcripſimus: ex quibus contra Chronologum efficitur, primum annum *Philadelphi* in Per. *Jul.* 4429. incurrere. De *Metaſthene* (ita enim imperitè vocat, qui *Megaſthenes* appellari debuit) Lib. 3. hujus Operis.

buit) jam pridem ab emunctæ naris Chronologis exceptum eſt, fœneum illum ac nullius auctoritatis eſſe teſtem: qui cum *Viterbienſibus* quisquiliis ab omni literatorum commercio procul eſt rejectus.

Quod ad 38. illos annos attinet, qui in *Eccleſiaſtici Prologo* recenſentur, falſum eſt, eos ab *Philadelphi* primordio numerari: neque id probare poteſt Chronologus. Nos in *lib.* 10. *de Doct. Temp. cap.* 44. aliunde illos eſſe repetendos oſtendimus; nimirùm ab eo tempore, quo in *Ægyptum* profectus eſt, vel certè ab eo, quo avus illius *Jeſus* librum iſtum edidit.

Chron. ſancta p. 600. Denique *Ptolemæi Philometoris*, qui ſextus in ordine cenſetur, annum 1. comparat cum anno mundi 4029. qui eſt Per. *Jul.* 4542. ante *Chriſtum* 172. Oſtenſum eſt autem ex Aſtronomica obſervatione, cœpiſſe illum anno Per. *Jul.* 4533. ante *Chriſtum* 181. Proinde annis 9. vitioſa eſt iſta *Chronologia*. In Diſcip. Temp. Part. 2. Obſerv. 22.

Chron. ſancta p. 43. & 605. Annum primum *Julianum* comparat cum anno mundi 4157. qui eſt ante *Chriſtum* 44. Per. *Jul.* 4670. In quo uno anno fallitur. Quippe annus *Julianus* 1. eſt ante *Chriſtum* 45. Per. *Jul.* 4669. ut *lib.* 8. *cap.* 14. probatum eſt.

Præterea *Chriſtianam* æram, ſive annorum *Chriſti* principium, refert in annum *Julianum* 45. mundi 4201. qui ſit *Jul.* Per. 4714. Verùm anno iſti *Jul.* Per. convenit annus *Julianus* 46. quo cum æræ caput conjungi debet, uti libro eodem illo planum fecimus. Quare unius anni prochroniſmo peccat in anno 1. *Chriſti*.

Chron. ſancta p. 606. In anno porrò Paſſionis Dominicæ ridiculam rem facit. Etenim anno mundi 4233. *Martii* 25. *Chriſtum* ait in crucem fuiſſe ſublatum. Hic eſt æræ *Chriſtianæ* 33. quo litera Dominicalis fuit D. cyclo Solis 14. novilunium *Martii* 20. unde 25. *Martii* Luna fuit 6. feria 4. Iraque ex ſubtiliſſimi Chronologi ratiociniis paſſus erit *Chriſtus* Lunâ 6. feriâ 4. Vides, candide Lector, Cyclo Lunæ 15.

quæ

quæ monſtra pariat bonarum artium & Chronologicorum elementorum inſcitia.

Claudii Imperatoris initium anno *Chriſti* 43. *Neronis* anno 57. imputat. In priori error eſt biennii; cœpit enim anno 41. In poſteriore, triennii; quippe pro anno 54. imperare aggreſſus eſt *Nero*: quod *lib.* 4. demonſtrabitur. Chron. ſancta p. 43.

Domitianus obiit anno *Chriſti* 96. *Septembris* 18. cùm Luna eſſet in Aquario, ut *Suetonius* in ejus *Vita cap.* 16. prodidit. At Chronologus noſter biennio tardiùs ponit, anno 98.

Trajani idem exordium refert in annum 100. qui eſſe debuit 98.

In *Hadriano* verò triennio peccat. Cœpit enim anno 117. ut in *lib.* 4. hujus *Operis* adſtruetur. At iſte conjicit in annum 120.

Sic in *Antonino Pio*, *M. Aurelio*, biennii metachroniſmo fallitur; in *Commodo*, unius anni.

CAPUT XVII.

De abſurda Chronologi nuperi ratione, quâ Olympiadum, & aliarum epocharum, fidem dubiam eſſe cauſſatur, deque aliis ejuſdem peccatis.

MOnitum ſe ab amicis ait *Chronologiæ ſanctæ* conditor, haud benè collocata videri *Cyri* & *Cambyſis* exordia in eo libro, quem *Diſcipulum temporum* inſcripſit. Ibi enim ab communi ipſum & vulgò recepta diſceſſiſſe ſententia, quæ anno 1. Olympiadis 55. *Cyrum* iniiſſe confirmat; ex quo ſucceſſor ejus *Cambyſes* præpoſterè poſitus ſit, cùm tamen hujus 7. annus reſpondere debeat anno *Nabonaſſari* 225. quod in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 11. & hujus *Operis lib.* 2. docuimus. Chron. ſancta p. 545.

Huic argumento ita noſter occurrit: Fruſtrà *Nabonaſſareos* annos, & *Olympiadicos*, objici ſibi, cùm nec illorum, nec Urbis annorum certa exploratáque ſint exordia, ſed in magna opinio-

nionum varietate poſita. Non eſſe porrò certa hæc initia demonſtrat ex eo, quòd non ad eoſdem *Hebræorum* Regum annos à Chronologis applicentur. Exempli cauſâ, primam Olympiadem *Petavius* cum anno *Azariæ* 34. comparat; *Temporarius Euſebium* ſecutus cum anno ejusdem 50. *Salianus* cum 1. *Joatham*; ipſe autem cum 6. *Joatham*; *Vignerius* cum 12. Sic annum 1. Urbis conditæ; *Nabonaſſaris* item, *Cyri*que cum aliis atque aliis Regum *Judaicorum* annis Auctores iidem illi conferunt. Unde conſequens putat, incerta illorum eſſe omnium exordia, de quibus tantoperè inter ſe Chronologi diſſentiant.

Atqui frivola eſt & inſcita hæc argumentandi ratio. Etenim non ex Regum *Judaicorum*, aliorumve iſtiusmodi comparatione æſtimandæ ſunt epochæ Chronologicæ; ſed ad certos fixosque cardines exigendæ. Alioqui, ut habet iſta collectio, nihil erit omninò in profanâ vel ſacrâ Hiſtoriâ & Chronologiâ certi, de quo aſſeverari poſſit. Age enim eligatur, quam voles, fixa explorataque temporis alicujus circumſcriptio. Solem abhinc anno tertio defeciſſe die *Junii* 10. ſub occaſum ipſius, res eſt certiſſima; qui fuit annus *Chriſti* 1630. Hoc ipſum, de quo nemo ſobrius ambigit, incertum eſſe, ſimili ac Chronologus noſter argumento conficiam. Dicam enim, annum eclypſis illius à *Petavio* conſtitui ab Orbe condito 5613. à *Temporario* 5650. à *Vignerio* 5757. à *Saliano* 5683. ab nupero Chronologo 5830. tùm ſi percenſere cæteros velim, longum inſtituam catalogum eorum, qui diverſas ab Orbe condito ſummas annorum computant. Ejusdem modi erit argumentum, ſi à Diluvio, *vel Abrahamo, Moſe, Davide, Babylonicâ* deportatione, vel aliâ quapiam epochâ repetatur initium. Nam omnibus illis diverſus finitur annorum numerus penè ſingulis ab Chro-

Chronologis. Qui ad hunc modum ratiocinetur, & dubium eſſe concludat, an 1630. anno Solis illa defectio *Junii* 10. contigerit, quam nos ipſi oculis adſpeximus, nonne riſu omnium obruatur? Atqui par & germana eſt *Chronologiæ ſanctæ* Auctoris argumentatio; qui Olympiadum epocham, vel *Nabonaßaream* ex eo controverſiam & incertam eſſe contendit, quòd ab initio *Azariæ*, vel *Joatham*, variè computari ſoleat. Qui ſi ad fixum aliquem & opinione receptum omnium temporis cardinem calculos ſuos dirigeret, inveniret profectò, bellè inter peritos artis ſuæ Chronologos & Annalium Scriptores in illis convenire, quæ ab cœleſtibus obſervationibus fidem accipiunt. Ut ſi ad annos *Chriſti* referantur, quorum primus, diſſentiente nemine, cœpit ante annos 1632. ac cyclo Lunæ præditus fuit 2. Solis 10. Ad hunc, inquam, annum ſi Olympiadum, ac cæterarum epocharum ratiocinia dirigantur, mirificè conſentientes reperiemus, non opiliones aut bubulcos, & ignaros artis illius, quam profitentur; ſed eruditos Chronologos. Etenim primus annus *Iphiti* æræ *Chriſtianæ* principium anteceſſit annis 776. in eoque docti omnes conſentiunt, qui in annis ab Orbe condito, vel ab Diluvio, reliquiſque diſſident.

Exempli cauſâ, *Scaliger*, *Calviſius*, & alii, qui hujus artis methodum amplexi ſunt, mundi anno 3174. primam Olympiadem cœpiſſe volunt circa 35. vel 36. *Oziæ*. Iidem natalem *Chriſti* communem attribuunt anno mundi 3949. Per. *Jul.* 4713. Unde perpetuâ methodo ad annos mundi addi jubent 764. ut Periodi *Jul.* annum aſſequamur. Igitur ſi ad annos 3174. adjeceris 764. fiet annus Per. *Jul.* 3938. ante *Chriſtum* 776.

Jacobus Capellus natalem communem confert in annum mundi 3199. Proinde ad Per. *Jul.* obtinendam addit annos 714. Idem primam Olym-

Olympiadem cenſet anno mundi 3224. *Oziæ* 34. cœpiſſe. Additis 714. fiunt anni Per. *Jul.* 3938. ante *Chriſtum* 776.

Salianus annum 1. Olympiadis ponit anno mundi 3278. *Jothami* Regis *Judæ* 1. ante æram *Chriſtianam* 776. quam verò natali *Chriſti* uno anno poſteriorem facit.

Petavius, quem & aliis Chronologis accenſet, annum eundem Olympiadis primæ confert in annum mundi 3208. *Oziæ* 34. Et tamem ille annus ab eo putatur Per. *Jul.* 3938. ante *Chriſtum* 776.

Temporarius quoque ante *Chriſtum* anno 776. Olympiades iniiſſe docuit, quod *Capellus* ad annum mundi 3224. obſervat.

Quocirca licèt annos mundi vel ab *Judæorum* Patriarcharum aut Regum initiis variè ſubducant, nihilominus cùm ad certam aliquam & confeſſam epocham calculos ſuos revocant, tam in Olympiadibus, quàm in cæteris concordant, quæ cœleſtibus nituntur obſervationibus.

Poteram alia, præter hæc, innumera *Chronologiæ* iſtius errata perſequi, ſi aut nos res ea tota delectaret, aut operæ pretium in nugis iſtiusmodi ſcrutandis eſſet ullum. Niſi quem fortè talia quædam ex illo notare ac ſeriò caſtigare juvet; *a* Quòd *Conſtantium* II. *Conſtantini M.* filium ex duabus conjugibus, *Euſebiâ*, & *Fauſtinâ*, *nihil unquam ſuſcepiſſe liberorum* ait, *quòd tam ipſe, quàm ejus uxores ſteriles eſſent*. Et *ibidem* tamen *pag.* ſeq. *Gratianum Valentiniani* filium refert *Conſtantiam* ejusdem illius *Conſtantii* filium duxiſſe, quod poſterius eſt verum. Nam moriens *Conſtantius Fauſtinam* conjugem prægnantem reliquit, ut ſcribit *Ammianus*. *Si quis autem prægnantem uxorem reliquit, non videtur ſine liberis deceſſiſſe*, de reg. jur. 187. Sterilis certè nec ille qui genuit, nec quæ poſteà peperit, cenſeri poteſt.

a Chron. ſancta p. 687.

b Tum

Tum (*a*) quòd *M. Antoninum* Philoſophum a. p. 664.
filium ait fuiſſe *L. Ælii Veri Cejonii.* (*b*) Quòd b. p. 676.
Aſclepiodorum Præfectum Prætorio *Conſtantii Chlori*, à quo ſuperatus eſt *Britannia* Tyrannus *Alectus*, *Regem* vocat *Anglorum.* (*c*) Quòd *Con-* c. p. 707.
ſtantinopolitanam Eccleſiam Patriarchatus titulo affectam eſſe ſcribit ex anno *Chriſti* 331. (*d*) Quòd d. p. 679.
Clodionem, *Pharamundi* ſucceſſorem; *Burgundiam* & *Ingoliſmenſes* ſubegiſſe, ac *Toloſam* usque pervagatum eſſe narrat. (*e*) Quòd ab ultima e. p. 42.
*Darii Codomani Perſarum*que clade ad annum *Chriſti* 226. annos ait præciſè eſſe 538. cùm ſint omninò 557. nempe 331. ante *Chriſtum* ad 226. adjectis.

Item quòd *Aratum* Poëtam ſuper *Acta Apo-* A. C. 539.
ſtolorum ſcripſiſſe narrat. Quòd (*f*) *Optatum Mileti* f. p. 46. ad
vocat *Epiſcopum*, qui fuit *Melevitanus*. Quòd (*g*) A. C. 333.
Boetium illum, qui ſub *Theodorico* Rege *Gothorum* floruit, *Hiſtoricum* nominat. Quòd (*h*) *Tytbo-* g Ibid. ad
nem Brabe ad Anno *Chriſti* 1546. adſcribit, & æ- A. C. 511.
qualem *B. Rhenani* facit. Quòd (*i*) *Caſſium Viſcel-* h. . 58.
linum Conſulem A. U. C. 267. capite trunca- i. p. 450.
tum aſſerit: quem *Romano* more de ſaxo præcipitatum eſſe produnt (k) Annales *Romani*: tum k. Dion.
alia inſuper ridicula, quibus *Chronicon* adſperſit Hal. l. 8.
ſuum. Ego verò libenter miſſa iſta facio: qui ſuperiora illa non niſi neceſſarium in uſum methodi noſtræ ac ſpecimen adduxi; Auctorem verò ipſum indocti & infaceti Operis

Diſcipulorum inter jubeo plorare cathedras.

RATIO-

RATIONARII TEMPORUM, PARTIS TERTIÆ LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Annorum calculo ab Orbe condito ad æram Chriſtianam. *Oſtenditur, non poſſe ſummam illam certò definiri. De diſcrimine* Græcorum *codicum ab* Hebræis *&* Latinis. *Mundum autumno creatum videri. Anni Diluvii* διασκευή.

Vide l. de Doct. Temp. c. 6. & 8.

ANnorum numerus, qui ad hanc ætatem ab Orbe condito fluxerunt, nullâ certâ ratione, ſed veriſimili conjecturâ colligitur. Hinc illa in mundi annis putandis varietas Auctorum: nemo ut ferè ſit, qui hoc in capite cum alterius opinione concordet. Hujus diverſitatis una hæc eſt, præcipuaque cauſſa, quòd annorum illorum calculus non aliunde quàm ex ſacrorum Librorum hiſtoria deducitur; Ea porrò minus liquidam & explicatam temporum ſubductionem continet.

Hic enim primùm ille *Græcorum* codicum cum *Latinis Hebræiſ*que conflictus occurrit: quòd priores mille ferè ac quingentis annis ab *Adamo* ad *Abrahami* natalem ampliùs numerant, quàm reliqui duo. Tum in ſequentibus intervallis communis utroſque temporum obſcuritas exercet; præſertim in eo, quod ab exitu *Hebræorum* ex *Ægypto* ad *Davidem* ve *Salomonem* extenditur. Nam Judicum anni propemodum inexplicabilem quæſtionem continent. Ad hæc utriusque regni, *Juda*, *Iſraëlis*-

que

que, ſucceſſiones, quæ duobus libris *Regum*, totidemque *Chronicorum*, traditæ ſunt, non parvam controverſiam afferunt, nec eodem ab omnibus modo numerantur. Denique, cùm in Scriptura ſacra annorum aliqua ſumma concipitur, ut cùm vixiſſe vel regnaſſe quiſpiam tot annos dicitur, non ſatis exploratum eſt, an rotundum conſectata numerum, aliquot omiſerit, qui ad ſummam explendam deſint, aut ſupra eam excurrant. Sanè *Auguſtinus lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 24. quòd ex *Geneſi* colligi videtur, Gen. V. 31. & VI. 3. *Noëmum* quingentos annos natum fuiſſe, quando Arcam moliri juſſus eſt, reverà quadringentos octoginta duntaxat egiſſe putat, *quos more,* inquit, *ſuo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque ſignificans.* Quod etſi neceſſe non eſt, (nam aliter locus ille poteſt ac ſolet exponi) tamen quid de Scripturæ conſuetudine vir ſummus arbitretur, ex eo cognoſcimus. Ac ſi viginti totos annos nihil à Scriptura diſſimulari vetat, ut eo minùs exactus ſit calculus, multò magis paucioribus uſuvenit: quos plerumque neglectos fuiſſe nemo niſi ſtolidè pervicax inficiari audeat. Ut in utraque genealogia, tam *Adami* poſterorum ad Diluvium, quàm *Noëmi* ad *Abraamum*: nec non in annis Regum, ac ſimilibus numeris, in quibus vel pauci anni excluduntur à ſumma, vel inchoati pro integris uſurpantur; vel, ſi quid menſium ſupra vertentes annos reliquum eſt, omittitur. Itaque *Theophilus Antiochenus* vetus Scriptor *libro* 3. *ad Autolycum*, cùm Patriarcharum ac Regum annos ex ſacrorum Librorum auctoritate retuliſſet in ſummam, prudenter admonet, non poſſe certò accuratum & exactum iniri numerum, quòd excurrentes menſes ac dies à Scriptura prætereantur: ὥσπερ ἡμεῖς τὸ ἀκριβὲς ἴσως ἀγνοοῦμεν ἁπάντων τῶν ἐτῶν τὸν ἀριθμὸν, διὰ τὸ μὴ ἀναγεγράφθαι ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τοὺς ἐπιτρέχοντας μῆνας καὶ ἡμέρας.

Quocirca probabili tantummodo conjectura annorum ab initio mundi numerus conficitur; quatenus qui in illis, quas dixi, genealogiis putantur anni integri omnes habentur ac præciſi, ut ne uno quidem plus aut minus interceſſerit; quod etſi non eſt credibile, tamen, quia fieri aliter non poteſt, eos ſolos Chronologia perſequitur.

Quo anno conditus ſit mundus. Quibus utiliter animadverſis, nos ab Orbe condito ad annum natalem *Chriſti*, ex vulgari calculo, elapſos eſſe putamus annos 3983. quos per intervalla ſex ita partiti ſumus *Operis* hujus initio.

1. Ab rerum primordio ad diluvium abſolutum numeramus annos 1656.

2. Ab eo verò, qui Diluvium proximè ſecutus eſt, ad *Abraami* 75. quo ſtirpem illi pollicitus eſt Deus, anni ſunt 366.

3. Ab anno 76. *Abraami* ad eum, qui in *Iſraëlitarum* exitum ab *Ægypto* deſiit, anni 430.

4. Ab eo, qui proximè ab exitu cœpit *Iſraëlitarum*, ad tertium *Salomonis*, ante templi conditum, anni 519.

5. Ab quarto *Salomonis* anno, quo templi fundamenta jacta ſunt, ad annum *Cyri* 21. ſive ultimum captivitatis *Judaicæ*, anni ſunt 474.

6. Abſolutâ captivitate ad communem *Chriſti* natalem, anni ſubducuntur 538.

Fiunt ab initio mundi ad eum annum, qui æram *Chriſti* præceſſit, anni 3983. Ergo æra *Chriſtiana* annus eſt mundi 3984. orſus ab *Januario*.

Horum intervallorum ratio hoc & ſequentibus in libris reddetur. Et ut à primo longiſſimoque intervallo omnium ordiamur, ejus ſumma decem ex Patriarcharum genealogia conſtat, quæ *cap.* 5. *Gen.* exponitur. In hac verò *Græci* codices ab *Hebræis Latiniſque* diſcrepant. Illi enim plures ferè centenis annos ſingulis imputant, ut ſequens laterculum oſtendit, in quod

quod *Latinorum Græcorum*que calculos conjecimus.

Laterculum ætatis Patriarcharum.		
	Vixerunt ſecundum	
	Hebræos & *Latinos*.	LXX. Interpretes.
Adam	130	230
Seth	105	205
Enos	90	190
Caïnan	70	170
Malaleel	63	165
Jared	162	162
Henoch	65	165
Mathuſalem	187	167
Lamech	182	188
Noë	600	600
Summa	1656.	2242.

Ex *Græcorum* rationibus, quas vulgata Biblia referunt, hoc abſurdum ſequitur, *Mathuſalem* quatuordecim annis ſupervixiſſe diluvio. Vixit enim annos 969. anno verò 167. *Lamechum* genuit, *Lamech* anno ætatis 188. genuit *Noëmum*: fiunt anni 355. Adde 600. quibus ad diluvium vixit *Noë*. Colliguntur anni 955. vitæ *Mathuſalem* usque ad diluvium. Deſunt ad explendam ætatem omnem anni 14. Ideò in ſeptuaginta Interpretum editionem irrepſiſſe putatur error, qui ex *Latinorum* Chronologia caſtigandus eſt. Nam pro 167. annis *Mathuſalem* ſcribendi ſunt 187. Ita fient ab *Adamo* anni 2262. a quot *Epiphanius* numerat, & *Auguſtinus*, nec non *Africanus*, ut in *Chronico Alexandrino* legitur.

a Pana r. p. 5.

Cæterùm cùm hoc vel illo anno genuiſſe poſteriorem prior Patriarcha ſcribitur, non ita ſemper accipi debet, quaſi nullum antè ſuſceperit, ſed is, omiſſis reliquis, à *Moſe* commemoratur, per quem generis ſeries ad *Noemum* deducitur.

Mundum autumno creatum eſſe.

Quæſitum eſt jamdudum, quânam anni tempeſtate mundus à Deo procreatus ſit? Pleriquè vernum tempus præferunt. Nos cum aliis autumno magis arbitramur; cujus conjecturæ inde argumentum ducimus, quòd antè *Moſem* caput anni erat in autumno. Itaque *cap.* 23. *comm.* 16. *Exodi* Scenopegiæ feſtum indicitur *in exitum anni*, & *cap.* 34. *comm.* 22. *in annum vertentem*, ſecundùm *Hebraicam* fidem; quod *Latinus redeunte anno* vertit. Ad hoc tempus autumni fuit, menſe *Tiſri*. Quin, ut pleriquè ſentiunt, primus *Moyſes* novum anni principium in *Niſan* verno menſe ſtatuit, quod ex *cap.* 12. *Exodi* colligitur; etſi dubium id aliis videtur, ut *Gregorio Nazianzeno Orat.* 42. Sed vulgò ſic exiſtimant, & eſt multò altero probabilius. Quare ante id tempus aliud erat initium, quo veteres illi Patriarchæ ſunt uſi.

Igitur mundus à Deo conditus videtur in Libræ cardine, anno Periodi *Julianæ* 730. autumno illo, qui eſt ter milleſimus nongenteſimus octogeſimus quartus ante autumnum anni ab Orbe condito 3983. quo natus vulgò *Chriſtus* ponitur, qui eſt Periodi *Julianæ* 4713. Prima dies mundi in 26. diem *Octobris* incidiſſet, ſi tunc in uſu forma hæc eſſet anni: quo die æquinoctium, ſive medius in Libræ cardinem ingreſſus, contigit. Sed nos ab *Januariis* Calendis annorum exordia ſumemus; ac proinde diſſimulato quod reliquum eſt anni *Juliani* ad *Decembris* uſque finem, ab ſequentibus Calendis numerabimus annos ab Orbe condito; ſicut primus illorum ab anno procedat Periodi *Julianæ* 731.

In

In anno Diluvii, ejuſque menſibus ac diebus talem διασκευὴν ordinandam putamus. Gen. 7. 11.

Cœptum eſt Diluvium menſe ſecundo, ejuſque die 17. ut refert *Moſes*. Quo anni genere tum uſi fuerint homines, nondum certò comperi. Credibile eſt, communes ſaltem adhibuiſſe trecentorum ac ſexaginta dierum, quos identidem intercalaribus augerent. Annus porrò Diluvii ab exordio rerum putatur 1656. cujus caput in 10. *Octobris Juliani* conjicimus diem; quo per id tempus autumnalis æquinoctii cardo continebatur, Sole Libram adeunte. Proinde 17. dies ſecundi menſis *Novembris* 25. diem occupavit, à quo ad *Januarii* 3. totos 40. dies continuus imber fuit. Ab eodem *Novembris* 25. ad *Aprilis* uſque 23. qui menſis ſeptimi 16. numeratur dies centum & quinquaginta diebus aquæ conſtiterunt. Poſt hunc diem ſenſim imminutæ ſunt; adeò ut undecimo poſt die ſeptimi menſis 27. *Maij* 4. in *Armeniis* montibus Arca ſubſederit. Menſe deinde ineunte decimo, *Julii* 7. montium cacumina detecta ſunt. Poſt dies verò 40. *Auguſti* 16. corvum *Noë* dimiſit ex Arca, ac poſt 7. alios columbam, *Auguſti* 23. quam ſubinde reverſam, iteratò ſeptenis elapſis diebus emiſit, *Auguſti* 30. quæ oleagineum ramum roſtro ferens ſub veſperam rediit. Tertiò demùm poſt 7. dimiſſa dies, *Septembris* 6. haud ultra eſt reverſa. Poſtremò anno ineunte 601. vitæ *Noëmi* exſiccatæ ſunt aquæ, ac die ſecundi menſis 27. *Decembris* 5. ex Arca cum ſuis *Noëmus* exſcendit. Initium diluvii factum eſt anno Per. *Jul.* 2385. cœpto jam mundi 1656. ſi ab *Octobri* caput annorum petimus; ſed labente 1655. ſi ab *Januariis* Calendis proficiſcantur. Deſiit anno Per. *Jul.* 2386. mundi exeunte 1656. ſi ab iiſdem Calendis annos auſpicemur; vel ineunte 1657. ſi ab *Octobri*.

Vide 9. de Doct. Temp. c. 9. & 5. Differt. ad Uranol. c. 2.

CAPUT II.

De intervallo annorum à diluvio ad ortum Abraami, *& promiſſam ei ſtirpem, deque* Græcorum *ab* Hebræis *&* Latinis *diſcrepantia. De* Caïnan *inſititio, & de ortu* Abraami, *quoto* Tharæi *patris anno contigerit.*

ALterum intervallum ab fine diluvii ad promiſſam *Abraamo* ſtirpem annorum eſt 366. quod ita colligitur. Ortus eſt *Abraamus* anno 292. poſt diluvium. Idem anno ætatis 75. cœleſte reſponſum habuit de fatali humani ſaluti generis ſtirpe. Fiunt anni, quot dixi, 366. anno 292. poſt diluvium natum eſſe Patriarcham, ſuadet genealogica ſeries, *Gen. cap.* 11. quæ ſic habet.

Laterculum ætatis Patriarcharum ab Diluvio ad ortum *Abraami.*		
	Vixerunt ſecundum	
	Hebræos.	LXX. Interpretes.
Sem poſt Diluvium	2	2
Arphaxad	35	135
		Caïnan 130
Sala	30	130
Heber	34	134
Phaleg	30	130
Reu	32	132
Seruch	30	130
Nachor	29	179
Thare	70	70
Summa	292	1172

In

In hac annorum conficienda ſumma par atque in ſuperiore cautio eſt. Non enim liquidò conſtat, ſingularum γενεῶν plenos annos fuiſſe; qui interim pro plenis habentur, dum quantum iis deſit, aut ſuperſit ad exactum, in incerto ponitur. Sed hoc paucorum annorum diſcrimen eſt. Plurium *Græci* controverſiam movent, qui ſingulis ferè capitibus centenos emetiuntur. Ita non 292. ſed 1172. ſumma conflatur. Id, ſive corruptelâ librorum, ſive alia quapiam ex cauſſa contigit, nemo hodie Chronologiâ dignum putat. Sed ſunt è noſtris, qui *Caïnam*, quem *Græci* tertium numerant, in *Latinam* ſeriem intrudant, quod non tam LXX. Seniorum auctoritate ducti faciunt, quàm *Lucæ*, qui in percenſendis originibus *Caïnanum* amplexus eſt. Sed è *Græcis* Bibliis irrepere hoc nomen potuit in *Lucam*. Nam in vetuſtiſſimis quibusdam codicibus non comparere dicitur. Omittatur itaque, cùm in *Latinis Hebraiſque* deſit. Vide l. 9. de Doct. Temp. c. 17.

Non minor in altera quæſtione controverſia eſt, quæ ex *Abraami* natali ducitur. Hunc enim *Thare* genitum anno ejus ſeptuageſimo *a* Scriptura docet. Verùm eadem *b* capite ſequenti dubiam rem facit. Quippe *Abraamum* dicit ætatis anno 75. è *Chaldæa* migraſſe, poſt parentis obitum, quem 205. annos vixiſſe tradit. Quo fit, ut demptis *Abraami* 75. de 205. reſiduus ſit annus 130. *Tharei*, quo in lucem editus eſt *Abraamus*: quæ eſt recentiorum quorundam opinio; qui idcirco annos à diluvio ad natalem *Abraami* plures computant, nempe 352. vel (ſi *Caïnanum* inferas, cui 30. annos attribuunt) 382. ſed nos *Abraamum* anno *Tharei* 70. genitum eſſe, Scripturæ ac Veteribus penè omnibus aſſentimur. Nec aliter prudens quisque ſentire poterit, qui hoc ſecum cogitabit, *Moſem Geneſeos capite* 11. humani generis ætatem ab diluvio ad *Abraami* ortum per eos annos putare,

Vide 9. de Doct. Temp. c. 18.

a Gen. 11. 26.

b cap. 12. 4.

quibus quiſque Patriacharum filium illum genuit, qui ad ſeriem pertinet. Sunt autem Patriarchæ, qui genuiſſe dicuntur, numero novem, ſummoto ſcilicet *Abraamo*; totidem ſunt, qui geniti memorantur, quorum poſtremus eſt *Abraamus*, primus *Arphaxad*. Ut igitur in octo prioribus Patriarchis, qui *Abraamum* antecedunt, nemo dubitat, quin eo parentum anno nati ſint, qui à *Moſe* ponitur, ut puta *Thare* anno *Nachoris* 29. *Nachor* anno *Seruchi* 30. & ita reliqui, per quos annorum ab diluvio ſumma decurrit; ita cùm Scriptura anno *Tharei* 70. natum aſſerat *Abraamum*, qui præcipuum in ea ſerie locum ſibi vendicat, adeò ut ejus propemodum unius cauſsâ narratio hæc & enumeratio Patriarcharum inſtituta ſit, non eſt conſentaneum alteri, quàm ſeptuageſimo patris anno, ortum illius adſcribere: ne, quod abſurdiſſimum meritò judicat *a Abulenſis*; ejus natalis annus prætermiſſus ſit, in quem præcipuè *Moſes* animum ac ſtilum intendebat; fratrum autem illius, aut amborum, aut alterius, notati ſint, qui obiter & unius *Abraami* cauſsâ commemorantur. Sanè, ut rectè *Abulenſis* idem obſervat, cùm *Noëmi* filiorum trium nomina & progeniem *Moſes* retuliſſet, in unius tamen *Semi* ſtirpe annum ætatis numeravit, quo *Arphaxadum* genuit; quod & deinceps in *Iſaaci* & *Jacobi* ortu fecit, omiſſis annis, quibus nati erant *Iſmaël* & *Eſaü*. Quænam igitur fingi cauſſa poteſt, cur cùm *Tharei* poſteritatem per *Abraamum* potiſſimùm Scriptura propagare vellet, ejus ortum in obſcuro reliquerit, immò verò fucum fecerit, ac ludicrâ ambiguitate Lectorum judicia fruſtrata ſit; *Vixit*, ait *Moſes*, Thare *ſeptuaginta annis*; *& genuit* Abram, *&* Nachor, *&* Aram. Contrà noſtri illi Chronologi vixiſſe dicunt *Thareum* annis 130. cùm *Abraamum* genuit, ac totis ſexaginta annis poſterio-

Thareus anno ætatis 70. Abraamum genuit.

a Quæſt. 31. in cap. 11. Gen.

poſteriorem hunc faciunt. Si uno alterove, vel tertio, aut quarto ampliùs putarent, ferri utcumque poſſent; cùm autem annos totos ſexagenos ad ſummam adjiciant, miror, ſi quis illis potiùs, quàm *Moſi*, auſcultandum exiſtimet.

At enim facere ſe neceſſariò dicunt, ut anno *Tharei* 130. natum eſſe *Abraamum* aſſerant. *Quippe* (*a*) *ex Scriptura conſtat*, inquiunt, Abraamum *quinto & ſeptuageſimo ætatis anno Dei juſſu exiſſe de* Haram, *ut veniret in terram* Chanaan. *Ex eadem etiam conſtat inde exiſſe, poſtquam mortuus eſt pater ejus*, (*ut affirmat b D.* Stephanus) *qui mortuus eſt* 205. *ætatis anno*, *ut affirmat* Moſes. *Ex quibus conſequens eſt* Abraamum *natum eſſe anno* 130. *vitæ patris ſui. Nam* 130. *&* 75. *efficiunt omninò* 205. Hæc illi. Hunc nodum *indiſſolubilem* vocat *Hieronymus* in *Hebraïcis Traditionibus*, & ſolvit tamen, quomodo poteſt. *Auguſtinus* verò rem accuratiùs exſequitur in *libro* 16. *de Civit. Dei cap.* 15. Neuter ob quæſtionis difficultatem conturbandas *Moſis* rationes putavit; neque ortum *Abraami* in annum alium rejicere eſt auſus, quàm qui à Scriptura concipitur. Quàm enim multa ſunt in ſacris Libris, quæ dicuntur ἄπορα, è quibus audaciores quique Chronologi, quibus ſcilicet

Nil intra eſt oleam, nihil extra eſt in nuce duri,

nullo ſe negotio explicant: prudentiores inſcitiam plerumque fateri malunt, quàm perſpicuam verborum auctoritatem novis commentis eludere. Atqui non ſic impedita eſt iſta quæſtio, ut propterea vadimonium deſerendum ſit. Reſpondit ei pridem *Auguſtinus*, ac poſt eum *Abulenſis*: tum *Pererius*, *Delriùs*, aliique innumeri: quorum in hanc ferè ſummam conſpirantes ſunt ſententiæ, bis vocatum à Deo *Abraamum*; primùm è *Chaldæa* ceſſiſſe

Solvuntur argumenta Chronologorum.

a Gen. 12. 4.

b Act. 7. 4.

Abraami non una vocatio.

 anno

anno ætatis, ut *Hebræi* volunt, ſeptuageſimo, & in *Meſopotamiam* ejusque oppidum *Charram* abiiſſe: tum poſt annos 5. rurſus patre ac propinquis relictis, in *Chananæam* migraſſe anno vitæ 75. *Tharei* patris 135. Ibi cùm annos 60. circiter hæſiſſet, ſub *Tharei* obitum, divino, ut credibile eſt, inſtinctu *Meſopotamiam* adiiſſe, cùm ageret ipſe ætatis annum 135. Inde mortuo parente ac ſepulto, diviſoque cum fratribus patrimonio, in *Chananæam* rediiſſe; ac tum denique *tranſlatum* dici ab *Stephano Abraamum*, vel, ut legit *Auguſtinus*, *collocatum* in *Chananitide*, cùm jam nullam bonorum partem extra illam haberet. Nam hactenus haud omninò, hoc eſt πανοικεὶ, migraverat, cùm pars aliqua ejus domeſticæ rei penes patrem eſſet in *Meſopotamia*. Non eſt autem inſolens in Scriptura, tum dici aliquid fieri cùm plenè perfectèque fit, quamvis multò antè ſit factum, uti plus uno loco docti Scripturæ Interpretes obſervant. Ergo *inde*, inquit *Stephanus*, *poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam*, μετῴκισεν αὐτὸν, penitus ac perfectè tranſtulit; re familiari ac ſervitiis non ampliùs loco disjunctis, ſed in unum coactis atque translatis. Prima *Abraami* profectio è *Chaldæa* ab *Moſe* refertur *Gen.* 11. 31. ac Dei mandato ſuſcepta proditur ab *Stephano Act.* 7. 2. quando & Dominus his eum verbis allocutus eſt, quæ *Gen.* 12. 1. narrantur: *Egredere de terra tua*, & *de cognatione tua*, &c. Quæ tametſi poſt *Tharei* obitum edita ponantur à *Moſe*, tamen ex *Stephani* oratione tum eſſe dicta conſtat, *cùm eſſet in* Meſopotamia, *priùs quàm moraretur* in Charram. Ideo priora tria *commata capitis* 12. *Geneſeos*, *Dixit autem Dominus ad* Abram, *Egredere de terra tua*, &c. κατ' ἀνακεφαλαίωσιν ſcripta ſunt; vel, ut rectè interpretantur alii, *dixit* idem valet ac *dixerat*. Nam quòd mortis *Tharei*

Mo-

Moſes in fine *capitis* antecedentis meminit, id eò feciſſe conſtat, quòd ad *Abraami* geſta properans, quæ de *Thareo* narrare cœperat, ſemel abſolvere voluit, ac mortem illius pertexere. Ab *commate* 4. *capitis* 12. *Geneſeos Moſes* priorem è *Charris* profectionem in *Chananaam* deſcribit: poſteriorem *Stephanus* attigit *commate* 4. *capitis* 7. *Act. Apoſt.*

Sic ad amuſſim omnia conſtant, ſine ulla Scripturæ παραςροφῆ, quam contraria ſententia devitare non poteſt. Hîc multa contra nos diſputant adverſarii, atque illud inprimis: *Si* Abraamus, inquiunt, *natus eſt anno patris* 70. *ergo moriente patre agebat annum* 135. Veriſſimè. *Ergo*, ajunt, *jam genuerat* Iſmaëlem *& Iſaacum*. Quid tum? *At D.* Stephanus *ait translatum ipſum in terram* Chanaan, *eique promiſſionem factam de ea poſſidenda, cùm nondum haberet filium.* Non translatum eſſe *Abraamum* ait *Stephanus*, antequam haberet filium; neque enim ad illud prius, *Et inde poſtquam mortuus pater ejus, tranſtulit illum*, referri, quæ deinceps dicuntur, omnia neceſſe eſt, & ad idem pertinere tempus. *Repromiſit*, inquit, *dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, quum non haberet filium.* Sola ergo repromiſſio facta dicitur, antequam haberet filium; non autem translatio, & ſecunda in *Chananæam* migratio: quaſi diceret, repromiſit illi *jam tum quum non haberet filium.* Porrò iſta promiſſio jampridem edita eſt, cùm primùm è *Chaldæa* proficiſceretur, ut indicat *Stephanus.*

Quærunt exinde, in priore illa profectione, quâ *Chananæam* primùm adiit, ſolusne, an cum omni familia & *Loto* eò ſe contulerit. Reſpondet *Moſes*, cum omni, quam tum in poteſtate

poteſtate habebat, familiâ profectum. Hoc ſi ita eſt, quærunt denuò, cùm ex intervallo patrem reviſeret, ſecumne familiam omnem deduceret, an ſolus eò pergeret. Etſi otioſa iſta ſunt, neque digna, quorum ratio ducatur, tamen, ne quid neglectum à nobis queri poſſint, veriſimile eſſe dico, *Abraamum* neque familiam univerſam in *Meſopotamiam* revexiſſe ſub *Tharei* obitum, neque porrò incomitatum illò veniſſe. Non enim aut tam crebra, quàm iſti hariolantur, aut diuturna fuit illa profectio, ſed paucorum dierum, aut ad ſummum, menſium, ut & patris funus curaret, & de erciſcunda hæreditate cum fratre tranſigeret.

„ At enim *ſi crebrò patrem adibat*, inquiunt, *quomodo ex vicino nepotum ſuorum ortum non diſcebat*, *ut neceſſe foret ei per nuncium, non unius, ſed duodecim filiorum ſobolem ſimul nunciare?* Hoc eò nobis objiciunt, quòd *Gen.* 22. 10. nunciatum eſſe dicatur *Abraamo*, *Melcham Nachori* fratri numeroſam peperiſſe ſobolem. Quod quidem ſub idem tempus incidit, quo *Iſaacum*, Deo imperante, ad aram admovit, qui fuit ætatis annus *Abraami* circiter 125. ante *Tharei* mortem decimus.

Atqui neque tam frequenter in *Meſopotamiam* è *Chananæa* profectum eſſe dicimus *Abraamum*, ſed ſemel omninò ſub patris obitum, & quòd tanto intervallo de *Nachoris* ſtirpe allatus eſſe nuncius dicitur, mirum videri non debet. Fieri enim poteſt, ut ad id tempus *Nachor* in *Chaldæa* permanſerit, quem cum patre *Thareo* minimè eſſe profectum in *Meſopotamiam* *Abulenſis* obſervat. Quamobrem cur tum primùm de *Nachoris* rebus ad *Abraamum* nuncius venerit, ea eſſe cauſſa potuit, quòd tunc *Nachor* relictâ *Chaldæâ* ad patrem ſe receperit. Hæc à nobis dici probabiliter, ne illi quidem inficiari poſſunt *eruditi viri*, qui ſe *intelligere dicunt, nos illis tam facilè reſpondere poſſe, ac flare ſimul*

atque

atque ſorbere. Ita enim faceti voluerunt; quod minimè neceſſe fuit. Nam nullum ex iis argumentis omnibus, quæ contra nos allata ſunt, tanti eſſe video, ut vel mediocri harum literarum uſu præditum ab ſententia dimovere poſſit.

ANNOTATA AD CAP. II.

De Caïnan juniore.

"Arphaxad ſecundum Græcos Codices genuit Caïnan, qui etiam apud beatum Lucam legitur cap. 3. 35. cujus major debet eſſe autoritas. Hebræi verò & Chaldæus Paraphraſtes, ac utraque editio Samaritana, ab Arphaxado immediatè genitum dicunt Sale.

"Alii aliter hunc nodum ſolvunt. Quidam aiunt ideo B. Lucam Caïnan inſeruiſſe, quòd cum Græcè ſcriberet, editionem Septuaginta ſequi voluerit, quorum codices longè lateque jam diſperſi erant, ne diſſenſu ſuo turbaret Eccleſiam naſcentem, in re præſertim levioris momenti, & quæ ad fidem nihil pertineret.

"Veriſimilius tamen eſt Caïnan iſtum non ſolum Moſi ignotum, ſed nec ſeptuaginta duobus Interpretibus agnitum, nec beato Lucæ, ſed per errorem Librarii. Primò enim neque in omnibus codicibus novi Teſtamenti qui adhuc ſuperſunt habetur, nec primitivæ Eccleſiæ temporibus in Lucâ legebatur, ut colligitur ex Irenæi lib. 3. cap. 33. ubi ait Lucam oſtendere Chriſti Genealogiam uſque ad Adam 72. generationes habere, ſi enim Caïnan inſeratur, reperientur ſeptuaginta tres.

"Deinde neque in ipſis Septuaginta primitus fuiſſe evincitur, nam Joſephus qui Græcè ſcripſit, & Septuaginta ſequi ſolet, eum tamen non

„ non admittit Antiq. lib. 1. cap. 6. Quin Philo, Euſebius & Africanus non annumerant, qui tamen ſequuntur epilogiſmum τῶν Septuaginta. Ut neque Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autol. quamvis in numero annorum, Græcos ſequatur : neque Epiphanius hæreſ. 55. contra Melchiſedecianos : neque beatus Hieronymus in Traditionibus Hebr. quanquam de diſſenſu Codicum Hebræorum & Græcorum expreſsè diſſerat.

„ Immo neque etiam nunc in omnibus Codicibus Græcis legitur in 1. Paralip. abeſtque nominatim ab editione Romanâ & Pariſienſi, quæ omnium caſtigatiores ſunt. Apud Moſen verò in Cod. Hebr. Chaldæo aut Samaritano nuſquam legitur, nec aliquando lectum fuiſſe auditum eſt, ut magno ſit argumento hoc nomen prorſus irreptitium & ſuppoſititium eſſe. Quod ex Beroſo Chaldæo, Græcis interpretibus antiquiore etiam patet, qui de Abrahamo loquens, ut referunt Joſephus & Euſebius, eum ait decima poſt Diluvium generatione extitiſſe : id enim minimè verum erit, ſi iſte Caïnan inſeratur. Quâ de re qui plura volet, Spanhemium adeat de dubiis Evangelicis.

AD CAPUT II.

De Abrahami ortu, ejuſdemque Vocatione.

„ THare cum genuit primogenitum, annorum erat ſeptuaginta. Sed quis ille primogenitus fuerit, inter doctos quæritur. Ait enim Moſes : Vixit Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. Gen. 11. 26. Unde id ſuſpicari promtum eſt, eum velle Abrahamum hac ætate patris genitum, ab eoque factum gignendi initium, quem priori loco poſuerit.

„ Verùm

Verùm huic ſententiæ non parum adverſa- “
tur quod ait eodem capite verſ. 32. & facti “
ſunt dies Thare ducentorum quinque anno- “
rum, & mortuus eſt in Haran. Quibus ver- “
bis capite mox ſequente ſubjungit : ſeptua- “
ginta quinq; annorum erat Abram, cum egre- “
deretur de Haran. Hos enim ſeptuaginta quin- “
que ſi auferas de Thare annis 205. reſidui “
fient 130. unde concludas tot annorum fuiſſe “
Thare cum Abram ei naſceretur. “

Firmat hanc opinionem beatus Stephanus “
Act. 7. 4. ex cujus maximè narratione locum “
Geneſeos exponendum cenſet Auguſtinus, “
Quæſt. ad Geneſ. 25. Hic enim diſertè ait “
Abraham tum demùm de Charan exiiſſe, & “
n Canaan exiiſſe, cum pater ejus mortuus “
ſſet. Nam qui duplicem Abrahami exitum “
le Charan comminiſcuntur, ut Stephanum “
umMoſe concilient, id ſubtilius fortaſſe quàm “
erius, atque adeò gratis omninò excogitaſſe “
ridentur; aperteque repugnat Chryſoſtomus “
Homil. 31. in Geneſ. “

Et ſane ſi alius fuit Abrahami exitus qui me- “
noratur à Moſe, alius qui à Stephano : illum “
ecundum exitum unde habuit Stephanus: cu- “
s ne umbra quidem apparet in Moſe, qui fo- “
rti tamen diligentiâ omnia Abrahami facta, “
icta, manſiones, peregrinationes, locorum- “
ue mutationes perſecutus eſt. Quî ergo fieri “
otuit, ut Judæos perſuaſurus Stephanus, & “
re ipſis ex ſolo Moſe cognita orationem “
bens, atque ex ejuſmet narratione omnem “
m faciens, aliter quàm ipſe Moſes loquere- “
r, aut ab ipſo Legislatore hac in re diſſide- “
t, cujus una authoritate fidem illis erat fa- “
rus? “

Adde quod mirum in modum res con- “
rbare coguntur qui in aliâ ſunt ſententiâ. Ex- “
pli gratiâ, ſi Abraham natus eſſet anno patris “
, vixiſſet cum patre annis 135. atque adeò “
moriente “

„ moriente Thare egiſſet Iſaac annum 35. cum „ è contra dicat Scriptura patre mortuo eum „ tranſlatum eſſe in terram Chanaan, & tum „ promiſſionem illi factam, cum nondum „ haberet filium Geneſ. 12. cum Actor. 7. cu- „ juſmodi alia abſurda plurima quæ inde ſe- „ querentur videre eſt apud Torniellum, Sa- „ lianum, Tirinum, Lud. Capellum, & alios.

„ Et ſanè argumentum non ſatis firmum eſt „ quod ex ordine nominatorum filiorum de- „ ducitur, ſicut jam in Noë filiis vidimus, cum „ Scripturæ non inſolens ſit, ut in liberis re- „ ferendis dignitatis potiùs quàm naturæ ſive „ temporis ordinem obſervet, ac in Abrahamo „ id factum eſſe Lirani, Vatabli, Caietani, „ Harvillei, Tornielli, Saliani, Tirini, & alio- „ rum plurimorum eſt opinio. Immo ex anti- „ quioribus expreſſa Procopii Gazæi ſententia „ fuit, qui diſertè ait Abrahamum natum eſſe „ anno Thare non 70. ſed 130. cui etiam fa- „ vent Chryſoſtomus, Theodoretus, & Augu- „ ſtinus.

„ Nam quod illi objiciunt, abſurdum videri, „ Moſen qui cæterorum Patriarcharum annos „ tam explicatè diſtinctèque notavit, id in „ uno Abrahamo non extitiſſe, propter quem „ texebatur ille catalogus; vix quicquam effi- „ cit. Etenim cum illum præcipuè reſpiceret, „ nec tamen de fratribus ejus penitus ſilere fas „ eſſet, ſic ejus ortum cum fratribus miſcuit, ut „ cum primùm de iis quos ultimo loco ideo „ nominaverat, aliud breviter perſtrinxiſſet, „ de hoc uno poſtea accuratiùs pleniùſque „ toto volumine loqueretur: quod in filiis quo- „ que Noëmi factum cernere eſt.

„ In Genealogia Chriſti à Matthæo quid ſi- „ mile obſervatum videmus; Filii David, in- „ quit, filii Abraham, Davidem juniorem „ priùs, Abrahamum poſteriùs nominans, „ quod ab eo deinceps ſeries generationis eſſet

deducenda,

deducenda, immo & in ipſâ primâ rerum productione primum ſingula complexus eſt Moſes quæ primis diebus creata ſunt, in hiſque productionem primorum hominum, & eorumdem poſtea formationem ſigillatim explicavit, quod eodem ferè modo in hac filiorum Thare hiſtoriâ ab eodem obſervatum eſt. Chronologiæ vero ſua ſatis ſtat ratio, ſi quot annorum fuerit Abraham conſtet, cum Thare pater ejus mortuus eſt, quod magnæ curæ Moſi fuiſſe ſatis apparet.

Qandiu verò moratus ſit Abraham in Charan cum patre, non dicit Scriptura. Quidam annos quinque ibi fuiſſe poſtquam de Ure Chaldæorum egreſſus eſt, ſuſpicantur, quod aliqua mora innui videatur, cum ibi habitaſſe tam Moſes Geneſ. 11. 31. quàm Stephanus Actor. 7. 4. dicat: Et cum egrederentur, eos animas tuliſſe quas fecerant in Haran. Verùm id propemodum divinare eſt, quod nos præcipuè refugimus, nihil addendum opinati temporibus iis quæ nobis à Scriptura exprimuntur, ſi quis exactam priorum temporum rationem habere velit.

Unum itaque eundemque annum utrique profectioni adſcribendum cenſemus, cùm plures non ſignificet Scriptura: in eoque duces ſequimur, cum Euſebium in Chronicis, tum Auguſtinum lib. 16. de Civit. c. 16. & 24. & alios plures authores graviſſimos, qui 430. annos quos à promiſſione ad legem decurriſſe narrat Apoſtolus, ut poſtea videbitur, ab hoc Abrahæ anno 75. numerari debere aſſerunt. Illud certè ſpatium ſufficere poſſe arbitramur ut ibi manſiſſe & aucta dicatur eorum familia, ſi Abrahamum initio anni, hoc eſt autumno, Ure egreſſum ponamus, & eodem demum vertente anno, Charane profectum, puta circa veris initium. Quippe fœtus jam oves ibi fœtu liberaſſe non abſimile eſt

„ eſt à vero. Quod eodem modo de mu-
„ lieribus prægnantibus dicere poſſis, ſi non
„ ſolum pecudum, ſed & vernarum incremen-
„ tum intelligendum cenſeas: quanquam non
„ omnes illic natos, ſed partim natos, partim
„ emptos dicere poſſimus. Quin & idem ſpa-
„ tium etiam ſufficere opinamur, ſi ut Chal-
„ dæus Paraphraſtes & Hebræi aliqui expo-
„ nunt, animas quas fecerant, de hominibus
„ ad Dei cultum perductis, accipiendum pu-
„ temus. Nec enim ibi aliâ causâ Abraham
„ videtur detentus, quàm patris prægravi
„ ſenectute atque infirmitate, quæ ſi diu
„ duraſſet, viam ille inveniſſet, ut inde eum
„ transferret, ac Deo vocanti promptam præ-
„ ſtaret diligentemque obedientiam.

CAPUT III.

De Aſſyriorum *imperio, nec non* Ægyptiorum, *ac* Sicyoniorum, *quæ omnium vetuſtiſſima produntur.*

Lib. 9. de Doct. Temp. c. 12. & ſeq.

ANtiquiſſima omnium regna, poſt ſciſſam linguarum diſſidio concordiam hominum, fuiſſe perhibent tria, *Aſſyriorum*, ſive *Chaldæorum*, *Ægyptiorum*, ac *Sicyoniorum*.

Belus, ſive Nembroth.

Conditor illius imperii *Belus* ab exteris, *Nembroth* à noſtris perhibetur: ut unius hominis ambo illa vocabula fuerint, qui turris illius ædificandæ princeps, novum ſibi rudes in populos uſurparit imperium. Quoto verò mundi anno regnare cœperit, Chronologica ratio hoc modo conficiet.

Demonſtratur Aſſyriorum initium.

Etenim inter omnes convenit, primos in Oriente *Aſſyrios* imperaſſe; poſtea *Medos*; inde *Perſas*. *Perſarum* regni conditor fuit extra controverſiam *Cyrus*, cujus initium incidit in annum primum Olympiadis 55. quod ipſum poſtea demonſtrabitur. Annus primus Olympiadis 55. *Chriſtianam* æram antecedit annis 559. Eſto

539. Eſto is annus *Julianæ* Periodi 4155. mundi 3425. quo primus Olympiadis illius erat in curſu, ſicut æſtivis diebus ſecundus inierit.

Hæc eſt epocha *Perſici* regni, in quam Hiſtoricos omnes egregiè conſentire docet *Africanus* apud (*a*) *Euſebium*. Qui illos anteceſſère *Medi*, auctoribus (*b*) *Cteſiâ* & *Diodoro*, annis imperarunt paulò ampliùs trecentis, hoc eſt 317. Quia poſt Diluvium imperia cœperunt, & quidem annis ampliùs centum; videlicet orto jam *Phalego*: annus autem Diluvii, mundi numeratur 1656. ab hoc anno ad exordium *Cyri* putantur anni ſolidi 1768. de quibus dempto intervallo *Medorum* annis 317. reliqui ſunt anni poſt Diluvium 1451. Rurſus *Aſſyrios* annis circiter mille ac trecentis imperaſſe complures perhibent. Eâ ſummâ de 1451. abjectâ, reſidui ſunt anni poſt diluvium 151. Quare anno ab Diluvio 152. *Aſſyriorum* regni fundamenta jacta ſunt; qui eſt ab Orbe condito 1808. Periodi *Julianæ* 2538.

a Lib. 10. de Præp. b Cteſ. Diod. 2. Clem. Alex. 1. Str. Juſt. Aug. de Civit. Dei lib. 12. cap. 10. De Doct. Temp. lib. 9. cap. 15.

Quod ad *Ægyptios* attinet, eorum origines, & quæ ex *Africani Chronico* commemorantur ab *Euſebio* Dynaſtiæ multis annorum millibus comprehenſæ, ab vero diſſident. Exitus illius regni anno *Cambyſæ* quinto contigit, quo *Ægypto* ille potitus eſt. Atque hoc tempus in annum mundi 3459. Periodi *Julianæ* 4189. incidere ex Aſtronomicis obſervationibus ſuo loco declarabitur. Quare hoc intervallo annorum 1803. qui ab Diluvio ad 5. *Cambyſæ* propagantur, contineri neceſſe eſt *Ægyptiorum* tempora; de quibus illud inſuper demendum eſt ſpatium, quod à Diluvio ad terrarum partitionem interceſſiſſe novimus, annorum ampliùs centum.

Sicyone, quæ urbs in *Peloponneſo* fuit, haud procul Iſthmo, regnatum eſſe mille circiter annis teſtis eſt *c Apollodorus*, & *Caſtor*, ex iiſque *Chronicon Euſebianum*; hoc eſt ſub Regibus

Sicyoniorum regnum. c Excerpta Euſeb. Scal. p. 19.

967. vel

967. vel 959. ſub Sacerdotibus, tribus & triginta vixiſſe. *Pauſanias* verò in *Corinthiacis* poſtremum regnaſſe *Zeuxippum* refert; eoque mortuo *Agamemnonem Sicyoniam* rem ad *Mycenæos* tranſtuliſſe.

Lib. 9. de Doct. Temp. cap. 16. Ut in re perobſcura conjecturæ permittatur aliquid, *Sicyoniorum* initium ponimus anno mundi 1820. Periodi *Julianæ* 2550. à quo putati Regum anni 967. deſinunt in *Agamemnonis* primordium, qui regnare cœpit anno Periodi *Julianæ* 3516. mundi 2786. hoc eſt quindecim ſolidis ante *Trojanum* excidium, quod annum mundi 2800. obtinere poſtea docebitur.

ANNOTATA AD CAP. III.

De Aſſyriorum & Babyloniorum Imperii primordio, nec non rediviva ejus potentia.

„ PErobſcura ſunt Aſſyriorum Babyloniorumque Imperii primordia, quæ multi „ ad Nimrothum referunt, quoniam de eo Geneſ. 10. 8. ſic legimus: Ipſe cœpit potens eſſe „ in terrâ, fuitque principium regni ejus Babylon. Sanè pervetuſtam eſſe Babyloniorum „ gentem negare non poſſumus, cum & antiquitatis nomine celebrata imprimis fuerit, „ ipsâmet atteſtante Scripturâ Jerem. 5. 15. „ Quod ex Simplicio etiam ſcimus, qui Comment. in lib. de cælo refert Ariſtotele procurante, à Caliſtene miſſas Babylone fuiſſe „ obſervationes cœleſtes annorum 1093. ad „ Alexandri uſque tempora. Unde apparet ſyderum contemplationi vacare cœpiſſe Babylonios ipſius Nimrothi temporibus, cum „ totidem anni inde ad captam ab Alexandro „ Babylonem juxta noſtrum calculum reperiantur.

„ Non ergo de antiquitate, ſed potentia illius gentis diſputamus: & quærimus cum „ Nimro-

Nimrothi iſtus ſuaſu condi primùm Babylon “
cœpta ſit, ut in Antiquit. lib. 1. cap. 5. habet “
Joſephus, & tota Babyloniorum regio etiam “
terra Nimrod ſit appellata Mich. 3. 6. num ab “
eo nominatiſſima illa Babyloniorum dedu- “
cenda ſit monarchia, de quâ tam multa apud “
prophanos, qui Belum ſuum illius condito- “
rem faciunt, ut unius hominis ambo illa “
vocabula fuerint, ut vult Petavius, aut ad “
illud ſæculum referendus ſit Ninus, qui ejus “
dicitur filius, & Aſſyriorum imperii conditor “
ut habent Juſtinus, Africanus, & Euſebius, “
quibus annos pluſquàm mille trecentos ar- “
rogant. “

Mihi quidem id veriſimile non ſit. Fuit “
enim Nimrod filius Chus, nepos Canaan, “
pronepos Chami, quod ex Moſe diſcimus “
Geneſ. 10. 10. Ita ut antiquius ejus imperio “
Aſſyrium fuerit, quod ita dictum ab Aſſure “
Semi filio, qui Ninivem urbem gentis Aſſyriæ “
principem condidit, ut ipſemet Moſes atte- “
ſtatur. Totas certè regiones illas in princi- “
patus exiguos, & minima quædam regna “
primùm diviſas par eſt potius credere, quàm “
in tantam potentiam tam citò coaluiſſe, quæ “
toti Aſiæ, Indiam ſi excipias, dominata ſit, “
ut authores ſunt Euſebius, & alii quos ſuprà “
memoravi. “

Sanè cum Nini incredibilis copiarum fuerit “
numerus, ut verbis Diodori utar, in cujus “
quippe exercitu quando Bactrianam invadere “
properabat, recenſita ſint decies ſepties cen- “
tena peditum, & ducenta ac decem equitum “
decemque curruum falcatorum millia, cum “
paulominus ſexcentis; quis ſibi perſuadebit “
annis circiter ducentis ab Diluvio in tantam “
multitudinem excreviſſe mortalium genus, “
ut ad ingentes adeò exercitus ſufficeret, in “
uno præſertim imperio ac populo, cum ſi- “
mile quidpiam in reliquis quoque gentibus “

„ nobis cogitandum ſuperſit, quandoquidem
„ nemo in exiguos numero, tanta manu pro-
„ grediatur armatus. Quidam ut illi ſcrupulo
„ ſubvenirent, probabile putaverunt, vel in
„ pueris ipſis generandi vim, & uſum fuiſſe:
„ cum contra fieri ſoleat, ut ubi vivaciores
„ ſunt homines, tardiores quoque pubertatis
„ anni ſint. Immo ſi Nini extremis tempori-
„ bus natus eſt Abrahamus, ut Euſebio pla-
„ cet, quî fieri poterit ut ejus ætate quatuor
„ reges adverſus quinque bellum moverent,
„ qui omnes in Aſiâ numerantur Geneſ. 10.
„ ac unus illorum præciſè rex Sennaar ap-
„ pellatur, hoc eſt illius regionis in quâ con-
„ dita eſt Babylon; ſi, ut illis placet, Baby-
„ lonicum ſimul & Aſſyrium imperium uni
„ parebant moderatori, qui ſummâ potentiâ
„ toti Aſiæ dominaretur.

„ Verùm huic ſententiæ locus nunquam
„ fuiſſet, ni Cteſias totam hiſtoriam mendaciis
„ plurimis inquinaſſet, in quibus ingenti
„ cautione utendum eſt, præſertim cum hunc
„ ullâ fide dignum neget Ariſtoteles lib. 8.
„ hiſt. Anim. cap. 28. Vanitatis Plutarchus
„ arguat (in Artaxerxe) & ineptum Græ-
„ culum, appellet Joſephus Scaliger, qui nihil
„ penſi habet, modò Herodoto adverſetur.
„ Mirum itaque homini adeò vano tantum
„ fidei habitum eſſe à Diodoro Siculo, Tro-
„ goque, quos alii more potiùs quàm judicio
„ ſunt duces ſequuti: nempe impoſuerat illis
„ quod Cteſias profitetur, ut Diodorus refert
„ libro 2. ſe cuncta hauſiſſe ex regiis membra-
„ nis, adde quod in iis primis & obſcuris
„ temporibus autorum diligentia laudetur,
„ judicium ſæpè requiratur. Unde Poſtellus
„ lib. de Origin. ait: Diodorus altiſſimo prin-
„ cipio omnes et hiſtorias fabulas elapſorum
„ temporum nullo ſanè judicio, ſed quâdam
„ diligentiâ accumulat.

„ Nobis

Nobis itaque potior hac in parte autoritas "
Herodoti hiſtoriarum patris, ut Cicero ap- "
pellavit. Hic lib. 1. cap. 95. ait Aſſyrios "
annis quingentis & viginti ſuperiorem Aſiam "
obtinuiſſe, primoſque Medos ab iis deficere "
cœpiſſe, quod in operis ſui initio Appianus "
Alexandrinus eſt ſecutus. Hæc autem defe- "
ctio duce Arbace, anno mundi 3257. eve- "
niſſe poſtea patebit; ita ut initium hujus "
Aſſyrii imperii ex mente Herodoti in annum "
mundi 2737. ante æram Chriſti 1267. ſit "
conjiciendum: unde fit ut quæ de Chaldæ- "
orum & Arabum imperio ante Aſſyrium "
memorant Euſebius & Africanus, nihil nos "
cogat tanquam fabuloſum, quod alii cenſent, "
rejicere. "

Ninum autem Beli filium hujus imperii "
conditorem fuiſſe conſentiens eſt omnium "
ferè Scriptorum authoritas. "

Belum poſt Arabas in Babylonia annis 55. "
regnaſſe refert Africanus. "

Nino annos 52. tribuit idem cum Euſebio. "

Semiramis Nini uxor poſtea per 42. an- "
nos regnum obtinuit, cum ad 62. vixiſſet "
Diod. Sicul. lib. 2. Juſtinus lib. 1. mortua "
itaque anno mundi 2831. ante Chriſtianam "
æram 1173. "

Ninias ejus filius & ſucceſſor regnavit an- "
nos 38. Euſeb. deſiit itaque anno ante æram "
Chriſti 1211. "

Alii deinceps Imperatores obſcuri, & ab "
Scriptoribus vix nominati. "

Primùm Phulis cujuſdam Regis Aſſy- "
riorum meminit Scriptura anno Azariæ "
39. (deſinente) 4. Reg. 15. 19. hoc eſt "
à morte Ninge 440. Periodi Julianæ 3943. "
ſive ante æram Chriſti 771. Is verò Uſſe- "
rio videtur Sardanapali fuiſſe pater, ab "
eo Sardanphul dicti, ut Merodach Babylo- "
nius à patre Baladan, cognomentum Merodac- "

 Baladan "

„ Baladan accepiſſe legitur Iſa. 39. 1. eun-
„ demque eſſe quem Euſebius Ocrazapem;
„ Strabo, Arianus & Suidas Anacyndataxem
„ nominant. Quin ille ipſe videri poſſit qui
„ prædicatione Jonæ (Ninivem circa annum
„ ante æram Chriſti 808. miſſi) ad reſipiſ-
„ centiam perductus eſt: ſi ab initio Nabonaſ-
„ ſari (quem cum Sardanapali exitu conjungit
„ Uſſerius) retro numerentur anni ab Africa-
„ no & Euſebio ipſi Sardanapalo, & patri ejus
„ aſſignati. Regnavit enim ipſe annos 42. ita
„ ut inierit anno ante Chriſt. 809. Nam
„ Sardanapalus regnavit annos 20. ut ini-
„ tium ipſius anno ante Chriſtianam æram
„ 767. tribuendum ſit, hoc eſt anno mundi
„ 3237. ſiquidem
„ Arbaces anno mundi 3257. ante æram
„ Chriſti 747. conjuratione cum Beleſi Baby-
„ lonio præfecto (quem eundem atque Na-
„ bonaſſarum exiſtimamus) initâ, Niniven
„ expugnavit, in eâque Rex eſt à conjuratis
„ appellatus, cum Sardanapalus ſe & regiam
„ cum divitiis omnibus incendio abſumpſiſ-
„ ſet, & Nabonaſſarus regnum Babylonicum
„ obtinuit.
„ Atque ita Aſſyriorum ingens illud impe-
„ rium deſtructum eſt, poſtquam à Nini initio
„ ſuperiorem Aſiam annis 520. obtinuiſſent,
„ ut patet ex Herodoto. Neque tamen fundi-
„ tùs tunc Ninive eſt deleta: ſiquidem ibi poſt-
„ ea adhuc regnatum teſtatur idem Herodo-
„ tus, & alios præterea Aſſyriæ reges memorat
„ veraciſſima Scripturæ autoritas.

De Ægyptiorum Dynaſtiis.

„ ÆGyptiorum Dynaſtiæ & origines pror-
„ ſus fabuloſæ non ſunt; cum enim iſtas,
„ neque in immenſum extendi, ita etiam nec
„ omninò rejici debere, exiſtimant eruditi.
„ Illas

Illas multi adeò enumerant hiſtorici, ut eas prætermittere nobis non libuerit; hac in re ſecuti Marshamum, qui veras Ægypti Regum ſucceſſiones perudité vindicat. Videnda igitur eſt ſeptima, ſequenteſque ex iis, quas in Parte 2ª contulimus, Regum ſucceſſiones.

De Sicyoniorum Regno.

Sicyoniorum regnum, ipſiuſque Regum ſucceſſionem eſſe ſuppoſititiam, indicare ſe poſſe putant eruditi. Veteres enim Phoroneum nobis exhibent, ut antiquiſſimum totius Græciæ Regem. *Anticlides* (ait Plinius) *Phoroneum antiquiſſimum Græciæ Regem* appellat. *Plin. l. 7.* *Acuſilaüs* (inquit Clemens Alexandrinus) *dixit Phoroneum Argivum, fuiſſe primum hominem; & Poëta Phoronidis eum nuncupavit,* *Clem. Alex. Strom. 1. p. 321.* Πατέρα τῶν θνητῶν ἀνθρώπων ipſiuſque Platonis ævo, nullum innotuit tempus Phoronei, Niobeſque ætate vetuſtius; *Plato in Timæo.* hinc Syncellus, *nihil in hiſtoriis Græcis continetur, ante Inachum, ejuſque filium Phoroneum, qui primùm regnarunt Argis.* *Syncell. p. 68.* At Phoroneus non eſſet regum vetuſtiſſimus, ſi ante illum, per ducentos ampliùs annos, Sicyone regnatum fuiſſet; chronologi enim Sicyonis regni initia conferunt in annum 2550. Periodi Julianæ; initium verò Phoronei Regis confertur in an. 2872. ejuſdem Periodi. Sed & alias ob cauſas iſta regum Sicyoniorum ſeries ſuſpecta habenda eſt, quas hîc enumerare longius foret; conſulendus tantum eſt Marshamus in Chronic. pag. 15. & 16. editio. Lipſi. Verùm etſi dubiam, expreſſimus tamen Sicyoniorum Regum ſucceſſionem, inter eas quas in Partem ſecundam contulimus.

CAPUT IV.

De tertio annorum intervallo, quod ab 76. Abraami *ad migratam* Ægyptum *extenditur, cujus ratio diſeritur.*

De Doct. Temp. lib 9. cap. 24. AB anno ſeptuageſimo ſexto ineunte *Abraami*, ad eum, qui migrationem ex *Ægypto Iſraëlis* anteceſſit, anni ſunt quadringenti & triginta vertentes, quot ab Apoſtolo numerantur in (*a*) *Epiſtola ad Galatas*: ubi cùm *Abraami* ſemini promiſſam divinitùs terram eſſe dixiſſet, poſt annos inde triginta ſuprà quadringentos Legem ait editam fuiſſe. Quam ſummam ita partiri convenit. Natus eſt *Iſaacus* (*b*) anno *Abraami* centeſimo. *Iſaaco* (*c*) ſexagenario *Rebecca Eſaü* & *Jacobum* peperit. *Jacob* (*d*) annum agens 130. in *Ægyptum* cum ſtirpe ſua profectus eſt. Fiunt ab ortu *Abraami* ad *Ægyptiacam Jacobi* profectionem anni 290. à promiſſione verò, & epochâ, quam ad *Galatas* ſcribens indicat Apoſtolus, anni 215. *Joſephus*, quo tempore in *Ægypto* patrem excepit, annum agebat 40. ſi quidem (*e*) tricenarius *Pharaoni* ſe ſtitit. Exinde ſeptem anni ubertate inſignes, ac duo ſteriles prætererunt, ita ut (*f*) tertius in adventum *Jacobi* ceciderit. Vixit autem annos in totum (*g*) 110. Proindè à promiſſione ſtirpis *Abraamo* editâ ad *Joſephi* mortem anni ſunt 285. Hinc ad ortum *Moſis* anni 75. quippe *Moſes* annum (*h*) agebat octogeſimum, quando populum ex *Ægyto* tranſportavit. Colliguntur à promiſſione ad migrationem ex *Ægypto* anni 430. Ergo anno 431. ineunte, Legem in *Sina* monte *Judaicus* populus accepit. Hunc in modum ex ſacrorum auctoritate Librorum probabiliter ſumma iſta digeritur.

a Gal. 3. 17.
b Gen. 21. 5.
c Gen. 25. 26.
d Gen. 47. 9.
e Gen. 42. 46.
f Gen. 45. 9.
g Gen. 50. 25.
h Exod. 7. 7.

Duo ſunt loca, quæ adverſari videntur Primus

mus *Geneſ.* 15. 13. ubi annis 400. peregrinum fore genus *Abraami*, ac ſerviturum eſſe prædicitur. Huic ſic occurritur : annos illos ab ortu *Iſaaci*, & *Abraami* anno centeſimo computari ; à quo ad exitum *Iſraëlitarum* ex *Ægypto* quadringenti ferè numerantur ; hoc eſt ampliùs quatuor.

Alter longè explicatu difficilior locus *Exodi* 12. 40. *Habitatio*, inquit, *filiorum* Iſraël, *quâ manſerunt in* Ægypto, *fuit quadringentorum annorum.* Hic verò neceſſariò quædam ex LXX. Seniorum interpretatione ſupplenda ſunt; apud quos ita locus ille concipitur : *Habitatio filiorum* Iſraël, *quâ inquilini in* Ægypti *terra & in* Chananæa *fuerunt, tam ipſi, quàm eorum patres fuit annorum* 430. Ut ab *Abraami* anno 76. & in *Chananæam* tranſitu, numerus ille putetur annorum; ut paulo antè calculos poſuimus. Nam revera in *Ægypto Jacobi* poſteri annos haud ampliùs 215. hæſerunt. Nec audiendi ſunt, qui 430. iſtos annos à *Jacobi* profectione deducunt ; cui *Moſis* genealogia ipſa reclamat. Exod. 6. 16. & 10. Etenim *Caath* avus *Moſis* vixit in totum annos 123. qui cum *Jacobo* venit in *Ægyptum*. *Amram* pater vixit annos 137. Adde *Moſis* annos 80. fient anni 340. de quibus demptis iis, quos cum patribus ſuis ſinguli vixerunt ; (neque enim ultimo ætatis anno ſuum quiſque filium procreavit, quod in iſta computatione ſumitur) tùm verò longè pauciores intercedent à *Jacobi* migratione ad *Iſraëlitarum* exitum.

ANNOTATA AD CAP. IV.

De tertiâ mundi ætate ab Abrahami migratione ad Exodum.

Tertiam ergo annorum mundi epocham “ ab eo tempore deducimus quo Abraham tra- “ jecto Euphrate, profectus eſt in Cananæam ; “ & ad “

„ & ad exitum ex Ægypto hanc eandem „ perducimus. Quæ quanti temporis fuerit „ pluribus fortaſſe opus erit demonſtrare. „ Manifeſtum fiet hanc omnem ætatem per „ 430. annos fuiſſe commoratos: quod tri- „ bus præcipuè argumentis exequimur.

„ *Prima probatio, de 430. annis ab Apoſtolo „ imo & à Moſe aſſignatis: ubi de Ure Chal- „ daorum agitur, eamque in Meſopotamia fu- „ iſſe demonſtratur.*

„ Controverſiam hanc omnem dirimit Apo- „ ſtolus Galat. 3. verſ. 16. 17. 18. cum dicit „ legem datam poſt 430. annos à facta Abra- „ hæ promiſſione. Ipſiuſmet verba primùm „ apponam, ut quibus contradicere nemo „ poſſit. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſe- „ mini ejus. Non dicit & ſeminibus quaſi in „ multis; ſed quaſi in uno: & ſemini tuo qui „ eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtamentum „ confirmatum à* Deo, *quæ poſt quadringentos „ & triginta annos facta eſt lex, non irritum „ facit ad evacuandam promiſſionem. Nam ſi ex „ lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abra- „ hæ autem per repromiſſiones donavit Deus.*

„ Videmus ergo Apoſtolum loqui de pro- „ miſſione facta non Iſaaco, aut Jacobo, „ ſed ipſi Abrahæ, ut vel eo auctore rejici- „ antur qui hoc ſpatium temporis ab aliis „ promiſſionibus dinumerandum volunt. Vi- „ demus præterea illum non numero rotun- „ do, ſed fixo teſtari legem poſt 430. annos „ datam, à promiſſione Abrahæ exhibitâ; „ ut ex illo numero nihil fas ſit omittere. At „ Abrahæ factæ ſunt promiſſiones, cum non- „ dum haberet ſemen, idque poſtquam mor- „ tuus eſt pater ejus, ut jam monuimus ex „ Stephano, cujus etiam verba hic referre non „ pigebit *Deus gloriæ apparuit patri noſtro „ Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamiâ priuſ-* „ *quam*

quàm moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terrâ tuâ ...... tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitavit in Charan. Et inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis, & non dedit illi hæreditatem in eâ, nec paſſum pedis: ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cùm non haberet filium. Actor. 7. 4. quæ omnia apprimè congruunt cum iis, quæ à Moſe Geneſ. 12. referuntur, atque ab iis depromta ſunt: quibus etiam concinunt quæ in cap. 15. 7. repetuntur: *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.*

Ur verò iſta, quam cum Stephano etiam Abarbenel (in Geneſ. cap. 11.) nec non Ammianus Marcellinus in Meſopotamiâ collocant, à Sacerdotibus & Genethliacis ex artis vocabulo Chaldæorum appellationem ſortitis (quo etiam nomine in ipſâ Chaldæâ Aſtrologi à reliquis Magis diſtincti reperiuntur, Dan. 2, 2. 10: 4, 7: & 5, 11.) habitata fuit, & ab iiſdem denominata. Undè etiam Marcellinus notat Chaldæos, non ab Arphaxad dictos: ſed ſectæ nomen fuiſſe quæ in gentem poſtea excreverit. Quin Chaldæos Meſopotamiæ fuiſſe populos non obſcurè ſignificare videtur Joſephus 1. Antiquit. c. 8. ubi ait: Quamobrem cum Chaldæi, Meſopotamitæque cæteri, contra eum (Abrahamum) inſurgerent, &c. quidnam enim eſt dicere Chaldæi, Meſopotamitæque cæteri, niſi apertè indicare Chaldæos inter Meſopotamitas comprehendi? Ex horum itaque conſortio & Thare, & Nachor, & Abraham idolorum cultum didicerant, ſervierantque diis alienis, cum trans fluvium habitarent ab initio, ut eſt Joſue 24. 2. quod de Charane intelligi nequit; ubi nec

,, nec habitaverant ab initio, & Abrahamum
,, jam à Deo vocatum adhuc idola coluiſſe
,, opinari nefas : nec item de Urâ Plinii, aut
,, de Urchoâ, ſive Orchoe Ptolemæi in Baby-
,, loniâ ſitis, quæ reſpectu Palæſtinæ trans-
,, flumen dici non poſſunt, ut omninò Urem
,, in Meſopotamiâ fuiſſe Scripturas rimanti-
,, bus, fatendum videatur. Certè apud eun-
,, dem Joſue adjunxit Deus; & tuli patrem
,, veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus
,, (*ἐκ τοῦ πέραν τοῦ ποταμοῦ, d'audela du fleuve,*)
,, & adduxi eum in terram Chanaam. Uni-
,, cæ Abrahami ſive habitationis, ſive evo-
,, cationis mentionem faciens, quod omnem
,, Meſopotamiam pro uno eodemque loco
,, haberet.

,, Abrahamum ergo vocavit primum Deus
,, Ure Chaldæorum (ut adhuc 2. Eſdræ 9. 7.
,, repetitur) quam Ammianus inter Tigrim
,, amnem & Niſibim collocat, unde in Ju-
,, dæam via recta per Charan eſt. Deinde
,, cum Charæ, in eâdem atque Ur Meſopo-
,, tamiâ ſitæ, mortuus eſſet pater ejus; denuò
,, vocavit eum, ut confirmat Chryſoſtomus
,, Homil. 35. in Geneſ. à terrâ ſuâ, hoc eſt
,, Meſopotamiâ; & à cognatione ſuâ atque à
,, domo paternâ : additâ etiam fœderis Evan-
,, gelici promiſſione, de benedicendis in ipſo
,, (hoc eſt in ſemine ejus benedicto Jeſu
,, Chriſto) omnibus familiis terræ. Atque
,, ita ab hâc promiſſione & migratione Abra-
,, hami eam incunctanter ſubſecutâ, dedu-
,, cendi ſunt illi 430. anni peregrinationis
,, ejus, & poſterorum ipſius in terrâ non ſuâ;
,, initio & fine eorum in 15. die menſis Abib
,, (ſive Niſan) conſtituto : ita ut Charaneæ
,, commorationi non pluſquam menſes ſex
,, ſint attribuendi.

,, Hoc ipſum nos olim docuerat Moſes
,, Exodi 7. 40. & 41. ut attentè legenti fiet
mani-

manifeſtum; ſic enim ſonat Hebraïca veritas: “
Peregrinatio autem filiorum Iſraël, qui qui- “
dem habitaverunt in Ægypto, fuit triginta “
anni & quadringenti. Fuit autem in fine “
quadringentorum & triginta annorum, fuit “
inquam. Hâc ipsâ die (quâ nempe impleti “
ſunt illi anni) egreſſi ſunt omnes exercitus “
Domini de terrâ Ægypti. Eos autem 13. die “
menſis primi ſub mediam noctem egreſſos, “
clarè teſtatur Scriptura, cum ad veſperam diei “
præcedentis, primum Paſcha celebraſſent, “
Exod. 12. & Num. 33. Ita ut cum Moſe “
congruat Apoſtolus, qui proindè hâc eum “
mente & legiſſe, & intellexiſſe videtur, “
atque adeò ex hoc ipſo Geneſeos loco ſen- “
tentiam ſuam deprompſiſſe; quicquid alii “
dicant, qui nos ad vulgarem revocant inter- “
pretem, quibus capite ſequenti faciemus, “
ut opinor, ſatis. “
“
*Secunda probatio de 400. annis à Moſe & Ste- “
phano allegatis, quibus peregrinum futurum “
erat ſemen Abrahami: eos non de ſolâ ſervi- “
tute Ægyptiacâ intelligendos oſtenditur.* “
“
Firmatur id etiam ex Geneſ. 15. 13, 16. “
ubi aliquot annis poſt prædictam promiſſio- “
nem, dictum ab Abraham jam in Chana- “
næâ habitantem, ſcito prænoſcens, quòd “
peregrinum futurum eſt ſemen tuum in ter- “
râ non ſuâ, & ſubjicient eos ſervituti, & “
affligent quadringentis annis: numero qui- “
dem à præcedenti paulum diſpari; ſive quòd “
numero rotundo uti tunc maluerit, ſive quòd “
jam aliqui elapſi erant anni & de illâ 430. an- “
norum ſummâ delibati: ſive etiam quòd de “
futuro ſemine loqueretur, quod nondum erat “
natum. At ſententia certè vel in modica hac “
numerorum diſcrepantia quam ſimili quæ “
iiſdem ferè verbis, & eodem ſenſu adhuc “
repetitur “

„ repetitur à Stephano Act. 7. 6. Locutus eſt „ autem ei Deus, quia erit ſemen ejus „ accola in terrâ alienâ & ſervituti eos „ ſubjicient, & malè tractabunt eos annis 400. „ Nam velle hos quadringentos annos ſive à „ Moſe, ſive à Stephano notatos, totos ad „ ſervitutem Iſraëlitarum in Ægypto referre, „ ut quidam interpretati ſunt, abhorret prorsùs „ à vero, tum quòd hîc adſcriptæ generationes „ id non patiantur.

„ Sanè in illâ nec paſſum pedis Abrahæ do- „ navit Deus, ut Stephanus ait Act. 7. 5. ita „ ut Iſaac ſtatim natus, ſtatim hoſpes & pere- „ grinus eſſe cœperit: immò & paulò poſt ma- „ lè acceptus ab ipſo Iſmaële, qui perſequeba- „ tur eum, ut loquitur Apoſtolus. Quod ſi „ ex eo tempore quo ab Iſmaële deludi Iſaa- „ cum ſuum vidit Sara, Geneſ. 21. 9. dinume- „ rare placet, hoc eſt ab anno ætatis ejus 5. „ quo ablactatus eſt, & Iſmaël ejectus ut poſt „ Hieronymum in Traditionibus Hebræis; „ putant viri docti, integrum numerum „ quadringentorum annorum ab Apoſtolo aſ- „ ſignatum reperiemus.

„ Verùm ſive hos quadringentos annos præ- „ cisè incipiendos dicamus ab hoc quinto Iſaa- „ ci anno, ſive numero rotundo dictos pro „ 405. ab ejus nativitate ſumendos, non ad- „ modum intereſt, dummodo illud ſtet, non „ eos totos intelligendos eſſe de commoratione „ in Ægypto; quæ eadem mens eſt ſeptua- „ ginta Interpretum ac Joſephi Hiſtorici, ut „ poſtea declarabitur.

„

„ *Tertia probatio de annis circiter* 450. *quos ab* „ *electione patrum ad diviſionem terræ fluxiſſe* „ *notat Apoſtolus.*

„

„ Quin hoc iterum ex eo ſtabiliri poteſt, quod „ ait Apoſtolus referente Luca (Act. 13. 17. & „ ſeq.)

ſeq.) *Deus plebis Iſraël elegit patres noſtros, & plebem exaltavit, cum eſſent incolæ in terrâ Ægypti; & in brachio excelſo eduxit eos ex eâ, & per quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in diſerto; & deſtruens gentes ſeptem in terrâ Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorum, qui poſt quadringentos & quinquaginta annos; & poſt hæc dedit Judices uſque ad Samuelem Prophetam* &c. "

Ibi enim notandum quinque tempora Iſraëlitarum memorari. Primum in electione patrum: alterum in commoratione in Ægypto: Tertium in manſione deſerti: quartum in diſtributione terræ, quam dicit factam quaſi poſt 450. annos, ab ea ſcilicet electione patrum quam primo loco poſuit: quintum in Judicum adminiſtratione: quibus etiam ſextum deinde ſujungit de regno Saülis, quod nihil ad præſentem facit quæſtionem; immò nec quintum eſt hujus loci, quia ſolum dicit quatuor priorum intervallum eſſe annorum quaſi 450. "

Cum itaque integrum ſexennium in debellandis gentibus Joſue inſumpſerit, nec niſi uno aut altero anno diſtributionem terræ perficere potuerit; ſic 8. annos cum his 40. quos egerunt in deſerto jungas, efficies 48. unde ſic colligitur, ut reſulterit anni 450. annos requiri circiter 400. qui fluxerint ab electione patrum ad Exodum. "

Hoc autem noſtro calculo facilè elicitur, ſive hanc electionem accipias à nato Iſaaco, de quo ſcriptum eſt: in Iſaac vocabitur tibi ſemen, ſive ab ejecto Iſmaële, cum primum electio cœpit manifeſtior fieri. Natus eſt enim Iſaac Abrahamo jam centenario, ac proinde anno mundi 2108. ut inde ad exitum quem ſtatuimus anno 2513. numerentur anni 405. ab ejectione autem Iſmaëlis quam "

„ anno poſt quinto factam ſuprà oſtendimus,
„ anni præciſè 400. Ita ut ab hujus ejectione
„ ad diſtributionem terræ ab Apoſtolo memo-
„ ratam anni ſint 448. & ab illius nativitate
„ 453. utrobique circiter 450.
„ Scio quoſdam ut hoc quod ex eo loco
„ Actuum ſtabilivimus evertant, ita conten-
„ dere legendum ac diſtinguendum ex Græco:
„ fortè diſtribuit eis terram eorum, & poſtea an-
„ nis circiter quadringentis quinquaginta dedit
„ Judices, ut annos quibus Judices præfuerunt,
„ ibi velint enumerari. Verùm id ſi ita fo-
„ ret annos 448. qui ab Exodo ad templi ini-
„ tium effluxiſſe dicuntur 3. Reg. 6. 5. (de qui-
„ bus poſtea) cum his 450. conciliare prorſus
„ impoſſibile eſſet. Potius itaque iis aſſentien-
„ dum, qui priorem lectionem ſequuntur,
„ quæ multis etiamnum veteribus libris &
„ codicibus firmatur. Nam ut tomo 6. Bi-
„ bliorum Polyglottorum refert Valtonius,
„ pro eâ faciunt variæ lectiones ex 16. exem-
„ plaribus collectæ per * Marchionem Vele-
„ ſium Hiſpanum, quorum octo ſunt ex il-
„ luſtri Bibliothecâ Regis Hiſpaniæ Lauren-
„ tianâ: Item Græca Biblia typis Vechelia-
„ nis excuſa, quibus varias lectiones adnotavit
„ Franciſcus Junius: nec non & Acta
„ Apoſtol. Græca MSS. quæ in Collegio
„ Oxonienſi aſſervantur: ut taceam antiquam
„ editionem Pariſienſem, & vetuſtiſſimum
„ codicem à Voſſio, & aliis allegatum. Fi-
„ dem itaque Vulgatæ editionis hac in parte
„ in dubium vocare prorsùs iniquum eſt,
„ quando veterem interpretem non aliter apud
„ Græcos ſuæ ætatis legiſſe pateat, & qui
„ alteram lectionem ſequuntur, omnem Chro-
„ nologicam perturbent rationem.
„
„ *Solvun-*

* Le Marquis de Velez.

Solvuntur objecta quadam ab iis, qui contendunt filios Iſraël totos dictos 400. annos in Ægypto habitaſſe.

Objiciunt qui Iſraëlitas totos 400. vel 430. annos permanſiſſe in Ægypto contendunt, non ambiguam hac de re ſententiam extare Exodi 12. 40. ubi legimus; Habitatio autem filiorum Iſraël quâ manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

At Hebræorum, ut ante jam, viros doctos ſecuti, monuimus, aliter interpretari oportet, ſic nempe: peregrinatio autem filiorum Iſraël qui (non quâ) manſerunt in Ægypto fuit 430. annorum. Et ſanè eo modo Apoſtolum accepiſſe ſuprà oſtendimus. Immo & eandem antiquorum Hebræorum mentem fuiſſe claret, quandoquidem Joſephus expreſsè ait, reliquerunt autem Ægyptum menſe Xanthico, Lunâ 15. anno 130. poſtquam Abraham pater noſter in Chananæam venit; & poſt Jacobi migrationem in Ægyptum anno 215. Moſes verò annum tunc agebat 80. & frater ejus Aaron triennio erat major, Antiq. 2. cap. 6. Quin & ſeptuaginta Interpretes illud Exodi ſic vertunt; Habitatio autem filiorum Iſraël, quâ inquilini in Ægypti terrâ & in Chananæâ fuerunt, tam ipſi quàm patres eorum, fuit 430. annorum. Quod idem codex ſequitur Samaritanus, ut nihil omninò ex vulgaris Interpretis autoritate hac in parte effici poſſit.

Objiciunt præterea verba Achioris Judithæ 5. qui de Iſraëlitis ſic loquitur: Cùm operuiſſet omnem terram fames, deſcenderunt in Ægyptum, illicque per 400. annos ſic multiplicati ſunt, ut dinumerari eorum exercitus non poſſet.

„ At facile eſt reſpondere; primùm hæc verba per 400. annos; quamvis in editione Vulgata reperiantur, abeſſe tamen à Græcis codicibus, quorum magna habenda eſt auctoritas in iis libris. ubi Hebræi deficiunt. Secundò Achiorem ut alienigenam, potuiſſe non tam exactè res Hebræorum noſſe. Tertiò, ſi recipiendus ſit iſte contextus, ex aliorum locorum ſenſu quem ſuprà expoſuimus, eum eſſe explicandum, & ſanè Scripturam ſæpe totum numerum ei loco aſcribere, in quo completus eſt, non in quo peractus ex Auguſtino diſcere poſſumus, & vel ex ipſa Judithæ hiſtoriâ patet, quæ cap. 16. v. 26. & 28. poſt debellatum Holofernem, dicitur manſiſſe in domo viri ſui annos centum & quinque, cum neceſſariò intelligendus ſit ille numerus de toto ſpatio vitæ ſuæ, quam illa ad uſque centeſimum quintum productam, in hâc domo viri ſui tandem finivit.

„ Objiciunt tertiò de ingenti illa multiplicatione. Verùm illud parum firmum eſt, cum aliis jam demonſtratum ſit nihil habere abſurdi, ſi intra 215. excreverint Iſraëlitæ uſque ad ſexcenta millia. Et ſanè illud inficiari nemo poteſt quod atteſtatur Scriptura: Jam ab exceſſu Joſephi Iſraëlitas fuiſſe exoſos, quod eorum numerus Regi Ægypti fuiſſet formidini. Si ergo non multò poſt mortem Joſephi tantopere erant multiplicati, quid mirum ſi multis partibus major fuerit numerus, cum excederent ex Ægypto, cum multo majus ſit ſpatium ab Joſephi morte ad exitum Iſraëlitarum, quàm à Jacobi ingreſſu ad Joſephi mortem.

„ Sunt etiam qui pro annis quadringentis præſidium ſibi eſſe putent apud Joſeph. Antiq. 2. cap. 9. ubi ait: Per annos 400. fuiſſe (in Ægypto) laboratum; Ægyptiis id agentibus,

agentibus, ut Iſraëlitas nimio labore per- “
derent. Sed parum veriſimile eſt acris judicii “
virum id ibi ſcripſiſſe, quod poſtea cap. “
mox 13. retractaret. Locum ſuprà retuli- “
mus, ubi totum tempus ab exceſſu ex Ha- “
ram uſque ad exceſſum ex Ægypto per “
ſingulos ſic digerit articulos, ut mendum in “
uno ſuſpicari non poſſis, quin ab alio ſtatim “
corrigas. Quamobrem cenſebat diligentiſ- “
ſimus Gerardus Voſſius ſubveniendum “
huic loco capitis 9. ac σ pro δ, quæ figuræ “
ſatis vicinæ ſunt, ſive ducentis pro qua- “
dringentis, legi oportere. “

At ſi nos alia argumenta deficerent, vel “
ipſe generationum numerus, quem intra “
hoc in Ægypto commorationis tempus “
recenſet Scriptura, ſatis indicaret quadrin- “
gentorum illud annorum eſſe non poſſe. “
Etenim Caath filius Levi cum patre ſuo “
atque avo Jacob deſcendit in Ægyptum “
Geneſ. 46. 11. Amram autem filius Caath “
pater fuit Moſis Exod. 6. 18. & 20. immo “
& Jocabed mater Moſis filia dicitur ipſius “
Levi quæ nata eſt ei in Ægypto, Numer. “
26. 59. Ita ut Levi proavus quidem paternus “
Moſis, & avus maternus fuerit, & Amram “
amitam ſuam duxerit, nondum vetito “
ejuſmodi conjugio, quod poſtea expreſsè “
prohibitum eſt Levitici 18. 12. & 20. 19. “
Quamquam alii Jocabed immediatè filiam “
Levi fuiſſe negent, & Amrami non amitam, “
ſed patruelem, ut Græci Interpretes expreſ- “
ſerunt Exod. 6. 20. fuiſſe affirment. “

Ut ut ſit, unam vel duas generationes per “
400. annos, aut 430. extendere prorſus ab- “
ſurdum eſt. Sanè Caath ſaltem anniculus “
fuit, quando cum patre Levi deſcendit in “
Ægyptum. Vixit autem 123. annis Exod. “
6. 18. Amram filius ejus vixit 127. ibid. Mo- “
ſes verò Exodi tempore annum agebat 80. “

 Sed “

„ Sed ii omnes anni ſimul collecti ſummam
„ 330. non ſuperant, ex qua tamen detrahendi
„ ſunt illi, quos filii cum patribus vixerunt,
„ qui pauci eſſe non poſſunt.

„ Quod autem aiunt aliquas ibi genera-
„ tiones prætermiſſas, infirmo admodum ſe
„ protegunt argumento, cum id aliunde pro-
„ bare non poſſint; & ſi quæ alicubi quan-
„ doque omiſſæ ſint, id nec ſine causâ factum
„ ſit (ut cum Matthæus per teſſeradecadas
„ Chriſti genealogiam deſcribere voluit) &
„ alibi eas inſeri Spiritus ſanctus curaverit:
„ adeò illi conſilium fuiſſe apparet, ut quæ-
„ cunque ad priorum temporum rationem
„ neceſſaria ſunt, haberemus in Scripturis.
„ Immo cum dicat Moſes Jocabed filiam Levi
„ ei natam in Ægypto, id procul dubio ſignifi-
„ care videtur, ipſam, etiam ſi neptis potiùs
„ quàm filia ſit, tamen ſuperſtite adhuc avo
„ vel patre Levi, & in ejus, ut loquuntur,
„ gremio natam.

„ Cum itaque ex dictis conſtet annos 430.
„ dinumerandos eſſe ab ingreſſu Abrahæ in
„ terram Chanaan, ad egreſſum Iſraëlitarum
„ ex Ægypto, ſic nos cum Joſepho, aliiſque
„ quos ſuprà laudavimus, eos diſtribuimus,
„ ut ab ingreſſu Abrahami in Chanaan ad
„ ingreſſum Jacobi in Ægyptum 215. effluxiſſe
„ demonſtremus, ac proinde totidem annos
„ 215. Iſraëlitas in Ægypto manſiſſe. Poſterior
„ pars ex priori ſequitur: prior autem ſic
„ breviter demonſtratur.

„ Abraham, ut ſuprà vidimus, erat 75. an-
„ norum, cum ingreſſus eſt Chanaam, Iſaacum
„ verò genuit anno ætatis centeſimo Geneſ. 21.
„ 5. Ergo ab ingreſſu ejus ad natum Iſaacum
„ anni ſunt 25.

„ Iſaac verò genuit Jacob anno ætatis
„ 60. Geneſ. 25. 21. 60

Jacob

Jacob verò deſcendit in Ægyptum annos natus 130. Geneſ. 47. 9. 130 "

Summa 215 "

Hæc autem & alia ſcitu digna pleniùs exhibet ſequens Tabula. "

Tabula annos & res notatu dignas exhibens, ab ingreſſu Abrahami in terram Chanaan ad exitum ex Ægypto.

	Anno ab orbe condito.	A Diluvio.	A peregrinatione Abrahā.	Ante Exodum.	Ante æram Chriſti.
Abraham venit in Chanaam Thare mortuo	2083	427	0	430	1921
Iſmaël naſcitur.	2094	438	11	419	1910
Iſaac naſcitur anno Abraham 100.	2108	452	25	405	1896
Iſaac ablactatur & Iſmaël ejicitur.	2113	457	30	400	1866
Iſaac ducit Rebeccam natus annos 40.	2148	492	65	365	1856
Jacob naſcitur anno Iſaaci 60.	2168	512	85	345	1836
Abraham moritur annos natus 175.	2183	527	100	330	1821
Moritur Iſmaël.	2231	575	148	282	1773
Jacob fugit ad Laban annos natus 77. cui ſervit ann. 20.	2245	589	162	268	1759

	Anno ab orbe condito.	A Diluvio.	A peregrinatione Abrahã	Ante Exodum.	Ante æram Chriſti.
Ducit Liam & Rachelem anno vitæ 84.	2252	596	169	261	1752
Levi de Lia naſcitur.	2255	599	172	258	1749
Joſeph ex Rachele	2259	603	176	254	1745
Jacob redit ad patrem	2265	609	182	248	1739
Joſeph venditur & ſervit annis 14.	2276	620	193	237	1728
Iſaac moritur	2288	632	205	225	1716
Joſeph ſiſtitur Pharaoni	2289	633	206	224	1715
Jacob deſcendit in Ægyptum	2298	642	215	215	1706
Moritur Jacob	2315	659	238	198	1688
Joſeph moritur cum præfuiſſet Ægypto 80 ann.	2369	713	286	144	1635
Levi moritur	2392	736	309	121	1612
Moſes naſcitur	2433	777	350	80	1571
Fugit ad Jethro ſervitque ann. 40.	2473	817	390	40	1531
Exodus.	2513	857	430	0	1491

CAP.

CAPUT V.

De Argivorum *regno*, Ogygis *diluvio*, Promethei *tempore*, *&* Athenienſium *regni primordio.*

A*Rgivorum* regni primordium ex *Euſebianis* calculis ita conficitur. In *Chronico* poſteriore, anni circiter 675. fluxiſſe perhibentur ab *Inacho* ad *Agamemnonis* necem, quæ *Trojanum* excidium haud longo conſecuta ſpatio eſt. Quare deductis annis 675. de anno proximo à capto. *Ilio*, qui eſt Periodi *Julianæ* 3531. mundi 2801. ut paulò pòſt exponam, relinquentur anni Periodi *Julianæ* 2856. Igitur anno ſequenti 2857. Periodi *Julianæ*, mundi 2127. *Inachus* regnare eſt orſus, ſexto videlicet ab obitu *Abraami*. Regum *Argivorum* ſeriem è *Caſtore*, & *Euſebio*, ac *Tatiano* deſcribam: tum è *Pauſania* quædam adjungam.

De Doct. Temp. lib. 9. cap. 18.

Apud Euſeb. 1. Chron. p. 13. edit. Scal.

Laterculum Regum *Argivorum*.

		Anni regni.	Anni Per. *Jul.* quibus cœperunt.
1	*Inachus.*	50	2857
2	*Phoroneus Inachi* filius.	60	2907
3	*Apis Phoronei* filius.	35	2967
4	*Argus.*	70	3002
5	*Criaſus.*	54	3072
6	*Phorbas.*	35	3126
7	*Triopas.*	46	3161
8	*Crotopus.*	21	3207
9	*Sthenelus.*	11	3228
	Gelanore pulſo, qui *Sthenelo* ſucceſſurus erat, *Danaus* regnavit.		
10	*Danaus*	50	3239
11	*Lynceus Ægypti* filius.	41	3289
12	*Abas.*	23	3330
13	*Prœtus.*	17	3353
14	*Acriſius.*	31	3370

Anno ante *Chriſtum* 1312. occiſo *Acriſio*, regnum *Mycenas* à *Perſeo* tranſlatum, cùm regnatum eſſet *Argivis* annos 546.

Laterculum Regum *Argivorum* è *Pauſania Corinth. pag.* 58.

1	*Inachus.*
2	*Phoroneus Inachi* filius.
3	*Argus Phoronei* nepos ex filia.
4	*Piraſus Argi* filius.
5	*Phorbas Argi* filius.
6	*Triopas Phorbantis* filius.
7	*Jaſus Triopæ* filius.
	Hujus *Io* filia in *Ægyptum* abiit.

8 *Cro-*

8	*Crotopus Agenoris* filius fratris *Jaſi.*
9	*Sthenelas Crotopi* filius.
10	*Gelanor Sthenelæ* filius.
	Huic *Danaus Æygptius* advena regnum eripuit.
11	*Danaus.*
12	*Lynceus Ægypti* filius fratris *Danai.*
13	*Abas Lyncei* filius.
14	*Acriſius Abantis* filius.
	Hujus frater *Prœtus Heræum, Mideam* & *Tirynthem* obtinuit.

De *Ogygis* diluvio non una conjectura fit. In *Euſebii Chronico*, ex editione *Pontaci*, confertur in annum *Abraami* 254. qui ex methodo *primo libro Partis* hujus traditâ, Periodi *Julianæ* putatur 2951. Alii ante primam Olympiadem 1020. annis incidiſſe volunt. Is erit Periodi *Julianæ* 2918. quæ fuit *Acuſilaï* ſententia. Vetus apud *Cedrenum* Chronologus annis 248. ante *Deucalioneum* diluvium ponit *Ogygium*. Hoc modo cùm *Deucalioneum* congruat in annum Periodi *Julianæ* 3185. (ut poſteà demonſtrabitur) *Ogygium* cadet in 2937. Proinde *Jacobi* Patriarchæ tempore diluvium iſtud evenit; annis ante *Chriſtum*, ex *Acuſilai* calculo, 1795. poſt *Noëmiticum*, 532. *Ogygis diluvium.* *Excerpt. Gr. Scal. p. 383. a*

Tertio poſt *Ogygiam* eluvionem labente ſæculo, clarus ille Poëtarum fabulis vixit *Prometheus* cum *Atlante* fratre; quorum ætas in incerto poſita eſt apud *Euſebium*. Quidam enim circa annum ſtatuunt, quem ab *Abraamo* 332. numerant, qui eſt Periodi *Julianæ* 3028. ſub *Joſepho* Patriarchâ. Longiùs alii *Promethei ſæculum.*

relegant

relegant in eum, qui putatur ab *Abraami* epocha 431. Periodi *Julianæ* 3127. quem ab ortu *Moſis* ſeptimum *Euſebius*, ex eóque *Cyrillus lib.* 1. *cont. Julian.* numerant. Nec longè aberrat *Auguſtinus de Civit. Dei lib.* 18. *cap.* 8. *Tatianus* verò ſub *Triopa* ſeptimo *Argivorum* Rege collocavit. Initium *Triopæ* capit annus Periodi *Julianæ* 3161. & *Trojano* excidio prius eſt annis 370. Hæc Veterum ratio fabulatoribus quibuſdam diſplicet, qui *Prometheum Herculis* & *Alcmenæ* filii æqualem fuiſſe contendunt. Sed inepta eſt περιεργία: nec in fabulis Scriptorum quærenda concordia eſt. *Prometheum* ecce *Japeti* filium primum homines luto finxiſſe, Poëtæ cecinerunt. Hunc eumdem *Pallade* antiquiorem facit *Apollodorus libro* 1. & *Deucalionis* parentem ait fuiſſe, ut & *Ovidius lib.* 1. *Metamorph.* Atqui *Deucalion Herculem* ſæculis anteceſſit aliquot, uti poſteà docebitur. Proinde frivola eſt eorum argutia, qui ſuper ætate *Promethei* ex Poëtis litigare inſtituunt.

Athenienſium regnum. Nobiliſſimæ civitatis *Athenarum* regnum in eodem intervallo initium habuit, etſi propter Veterum diſſenſionem certus annus obfirmari nequeat. *Euſebius*, ut jam dixi, triplicem eorum, qui *Athenis* præfuerunt, ordinem commemorat. Primus eſt Regum numero 17. quorum princeps *Cecrops*, poſtremus fuit *Codrus.* Secundus Archontων, ſive Prætorum perpetuorum. Tertius decennalium Archontων, poſtquàm Magiſtratus perpetui ſublati ſunt. Ex Regibus undecimus *Meneſtheus* annos 23. regnaſſe ponitur, atque anno eodem, quo *Ilium* captum eſt, obiiſſe; ad quem à *Cecrope* computantur anni 375. quibus de anno calamitatis *Trojanæ* demptis, qui eſt Periodi *Julianæ* 3530. reſiduus aſt annus 3155. Ergo anno Periodi *Julianæ* 3156. mundi 2426. *Cecrops* iniit.

Arundel-

Arundelliana verò *Marmora*, in quibus illuſtriora ſic dicta quæque intervalla deſcripta ſunt, rationes noſtras nonnihil conturbant. Siquidem ab exordio *Cecropis*, quo terra ipſa primùm *Cecropia* dicta eſt, ad eum annum, in quem Scriptor ille deſiit, qui eſt Periodi *Julianæ* 4450. vel 4451. computat annos 4318. Qui ſi auferantur ex annis 4451. reſidui erunt anni Periodi *Julianæ* 3133. Ita tribus & viginti circiter annis antecedet initium *Cecropis* & *Attici* regni *Euſebianam* epocham. Sed quia nullum alium Auctorem habemus, quàm *Euſebium*, qui Regum annos ſingillatim enumeret; ideo collectam ab illo ſeriem præterire non poſſumus; ne ex ingenio ac divinatione ſingulorum proferre ſpatia cogamur, ſi altiùs iſtius regni primordia repetamus. Cætera, quæ in Regum *Atticorum* catalogo quæſtionem habent, in alio intervallo, ubi proprius Regum illorum locus eſt, diſceptanda venient.

CAPUT VI.

De quarto intervallo ab egreſſu Iſraëlitarum *ad Salomonis* 3. *quod annis* 519. *finitur, contra multorum opinionem.*

AB eo anno, quo *Moſes* ex *Ægypto* trans *Arabicum* fretum *Iſraëlitas* eduxit, ad *Salomonis* tertium, qui proximè templi conditum anteceſſit, annos putamus 519. adeo ut viceſimus ille ſit, quo templi fundamenta ſunt jacta.

Hic verò nos à pleriſque Chronologis diſſentire cogimur: qui anno quadringenteſimo octogeſimo ab *Iſraëlitarum* exitu templum extrui cœpiſſe non dubitant: quibus & Scriptura ipſa ſuffragari videtur. Nam 3. *Reg. cap.* 6. 1. totidem numerantur anni. *Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum* Iſraël *de terra* Ægypti, *in anno quarto,*

quarto, menſe Zio: *ipſe eſt menſis ſecundus regni* Salomonis *ſuper* Iſraël, *ædificari cœpit domus Domini.*

Sed cùm ex eadem Scripturâ, in libro *Judicum* ac 1. *Regum*, multò plures anni colligantur, quàm 480. interpretatione opus eſt, ne ſecum ipſa pugnare videatur. Etenim liber ille *Judicum*, ſingulorum Principum, qui poſt *Moſem* ac *Joſuë* populo præfuerunt, *Judiceſ*que ſunt vocati, percenſet annos, nec non interregna, per quæ alienigenis in ſervitutem traditi ſunt *Iſraëlitæ*; quibus ſi anni *Moſis* quadraginta, & hujus ſucceſſoris *Joſuë*, itemque Seniorum, qui poſt *Joſuë* populum rexerunt, addantur incerta, ſed non exigua ſpatia, ſexcenti propemodum anni conficientur. Sanè *Joſuë* poſt *Moſis* obitum annos 25. *a Joſephus* aſſignat. *Clemens* autem *Alexandrinus lib.* 1. *Strom. Joſuë*, Senioribus omiſſis, 27. Quare ut ſolos 25 *Joſuë*, ac Senioribus attribuamus, annorum numerus in ſequente laterculo colligetur 599.

a Joſeph. Antiq. lib. 5. cap. 1.

Laterculum Judicum ac Rectorum *Judaïci* populi ab exitu ad templi conditum.

Nomina Rectorum.	Anni in Scriptura expreſſi.		Cõmunis calculus annorum.	Ex noſtra computatione.
Moſes.	40	*Exod.* 7. 7. &	40	40
Joſuë.	0	*Deut.* 34. 7.	17	14
Seniores.				10
1 *Servitus*	0			
Meſopotamena	8	*Jud* 3. 8.	0[illegible]	8
Othoniel.				
2 *Servitus*	40	*Jud.* 3. 11.	40	40
Moabitica			0	18
Aod.	18	*Jud.* 3. 14.		

Ser-

3 *Servitus*	80	*Jud.* 3. 30.	80	80
Chanana.			0	20
Debora.	20	*Jud.* 4. 3.		
4 *Servitus*	40	*Jud.* 5. 32.	40	40
Madiani-			0	7
tica.				
Gedeon.	7	*Jud.* 6. 1.		
Abimelech.	40	*Jud.* 8. 28.	40	40
Thola.	3	*Jud.* 9. 22.	3	3
Jaïr.	32	*Jud.* 10. 2.	23	23
5 *Servitus*	22	*Jud.* 10. 3.	22	22
Ammoni-				
tica.			0	0
Jephthe.	18	*Jud.* 10. 8.	6	6
Abeſan.	6	*Jud.* 12. 7.	7	7
Abialon.	7	*Jud.* 12. 9.	10	10
Abdon.	10	*Jud.* 12. 11.	8	8
6 *Servitus*	[illegible]	*Jud.* 12. 14.		
ſub Phili-			0	0
ſtais.				
Samſon.	40	*Jud.* 13. 11.	20	20
Heli.	20	*Jud.* 16. 31.	40	20
Samuel,	40	1. *Reg.* 4. 18.	40	40
Saül.	40	*Act.* 13. 20.		
David.	40	2. *Reg.* 5. 4.	40	40
Salomon.	4	2. *Reg.* 6. 1.	4	4
Fiunt anni expreſſi 574. Additis 25. *Joſuë* fient 599.			Summa 480.	Summa 520.

Plerique Chronologi, ut ad ſummam illam annorum 480. quam liber *Regum* tertius exprimit, calculos ſuos redigant, intervalla ſervitutum ſupprimunt, & annos Judicum refundunt; quaſi interim, dum Rempublicam Magiſtratus illi tenerent, ſub exterorum dominatu vixerint. Ex quo ita catalogum Judicum Principumque contexunt, quomodo in ſuperiore laterculo deſcripſimus.

Hæc

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 32.

Hæc multorum communis hodie deſcriptio mihi propterea non probatur, quòd vim afferat Hiſtoriæ ſacræ, & quæ in ea diſtincta ſunt tempora permiſceat. Etenim, ut exempli cauſſâ unus alterve locus expendatur, *cap.* 3. *Jud. vers.* 8 *Iſraëlitæ* ab offenſo Deo traditi referuntur in manus *Chuſan*, eique ſerviiſſe annis octo; ſed cùm ad ſeſe reverſi Dei operm imploraſſent, liberatorem excitavit illis Dominus *Othonielem*, à quo *Chuſan* eſt oppreſſus. *Quievit terra*, ait Scriptura, *annis quadraginta*. Quis non videt annos iſtos ab octo prioribus omninò eſſe ſejunctos, quorum hi pleni clamoris ac querelæ, illi pacis ac quietis fuiſſe dicuntur? Rurſus *Judicum* 8. 28. poſtquam annos 9. ſub *Madianitarum* fuiſſe dominatu *Iſraëlitas* retulit, atque ab *Gedeone* liberatos, mox ita loquitur: *Quievit terra per quadraginta annos, quibus* Gedeon *præfuit*. Atqui non priùs *Gedeon* populo præfuit, quàm ſervire *Madianitis* deſiit, &, quod eſt conſequens, quàm 7. illi anni ſunt expleti. Non poſſunt igitur intra annos 40. Judicis *Gedeonis* ſeptem illi ſervitutis includi; quod eodem modo de pleriſque aliis interregnorum ſpatiis demonſtrari poteſt. Sanè *Auguſtinus de Civit. Dei lib.* 17. *cap.* 13. diſertè intervalla pacis à bellicis, ſollicitiſque diſcernit; velut octoginta illos annos, quibus *Aod* Rempublicam adminiſtraſſe dicitur.

Mea igitur hæc ratio eſt; cùm ſint ſervitutum intervalla ſex, horum priora quatuor eâ verborum ſerie deſcribi, ut cum antecedentium aut conſequentium annis Judicum permiſcere non liceat; poſteriora verò duo licere. Nam *Judicum cap.* 10. 8. *Ammonitæ Iſraëlitis*, qui erant in *Peræa*, domitis, in *Chananæam* ac trium maximè Tribuum regiones irruperunt, eodemque tempore *Palæſtini* propinquos finibus ſuis agros infeſtarunt. Utraque populatio &

runt. Utraque populatio & calamitas annos octodecim tenuiſſe dicitur *Jud.* 10. 8. quam ſub *Jaïre* cœpiſſe nihil prohibet, & ad *Abeſan* uſque perſeveraſſe: adeo ut in *Peræa* victis ac repreſſis *Ammonitis* à *Jephthe*, *Palæſtini* vicina ſibi loca deprædari pergerent. Similiter poſtrema ſervitus, quam ſub *Palæſtinorum* jugo annos 40. toleraſſe dicuntur *Jud.* 13. in antecedentes & conſequentes Judicum annos refundi poteſt ac diſtribui, quod in *lib.* 9. *de Doct. Temp.* explicavimus. Ad hæc *Samſoni* & *Heli* non plures annos, quàm vicenos ſingulis, imputamus. Cùm enim LXX. Seniores, ut ex *Euſebii* teſtificatione & *Sixtianâ* editione liquet, *Heli* non niſi 20. annis judicaſſe ſcribant, *Hebræi* verò codices 40. tribuant, hæc nobis conciliandi viſa non inepta ratio eſt, ſi *Heli* diceremus *Samſonis* tempore judiciariam functionem obiiſſe. Quod & *Maſius* in *Commentariis ad librum Joſuë* meritò ſecutus eſt, & nos uberiùs *capite* illo 33. *libri* 9. *de Doct. Temp.* oſtendimus.

His animadverſis, de ſumma illa annorum, qui è ſacris Libris colligi videntur, fiuntq; 599. ad tertium *Salomonis* expletum, ſi annos 79. detrahas, hoc eſt duarum ſervitutum, 58. unà cum viginti *Heli*, & uno, quem *Joſuë* ac Senioribus adimimus, quibus 24. concedimus, exiſtet ille, quem poſuimus, annorum 520. numerus ab exitu poſterorum *Iſraëlis*, ad *Salomonis* quartum. Quod in ſuperiori diagrammate ſub adſpectum poſuimus.

Quod ad illum verò locum *libri Regum* 3. *cap.* 6. pertinet, in quo anni putantur quadringinti octoginta ab egreſſu *Iſraëlitarum* ad templi conditum, nos egreſſionem ex *Ægypto* pro anno illo accipimus, quo poſt quadragenariam in *Arabiæ* ſolitudine manſionem *Chananæam* ingreſſi ſunt, *Jordane* trajecto. Ita enim ſolet interdum in ſacris literis uſurpari: ut *Deuteron.* 4. 45. & 46. *Hæc ſunt teſtimonia, &*

ceremoniæ, *atque judicia*, *quæ locutus eſt ad filios* Iſraël, *quando egreſſi ſunt de* Ægypto *trans* Jordanem, &c. Mox: *In terra* Sehon *Regis* Amorrhæi, *qui habitavit in* Hesbon, *quem percuſſit* Moſes. *Filii quoque* Iſraël *egreſſi ex Ægypto poſſederunt terram ejus.* Sed *Hebræa* paulò aliter: *quem percuſſit* Moſes, *& filii* Iſraël, *cùm egrederentur de* Ægypto, quæ obſervationem noſtram adjuvant. Hæc enim omnia anno quadrageſimo ab exitu ſunt geſta. Præterea *Pſalm.* 113. *In exitu* Iſraël *de Ægypto*, cùm alia facta memorantur, tùm *Jordanes* retrò converſus, & alia quædam, quæ anno illo quadrageſimo poſt exitum inciderunt. Quocirca ἔξοδος & egreſſio ex *Ægypto* non neceſſariò tempus illud ſignificat, quo relictis *Ægypti* finibus trans rubrum mare profecti ſunt *Hebræi*; ſed id etiam, quo *Chananæam* & erroris longiſſimi terminum attigerunt. Nec abſimili ratione S. *Auguſtinus Quæſt.* 151. & 173. *in Gen.* nec non *libro* 16. *de Civit. Dei cap.* 43. *Jacobi* ingreſſum in *Ægyptum* ad illud omne tempus extendit, quo tam ipſe, quàm ejus filius *Joſeph* in *Ægypto*, ſuperſtites fuerunt.

ANNOTATA AD CAPUT VI.

De quartâ mundi ætate; ab Exodo ad conſtructionem Templi.

„ QUarta mundi ætas ab exitu ex Ægypto „ ad jacta fundamenta Templi extendi„ tur, in quâ Hebræi Principibus ſuis parere „ cœperunt. Summa hujus intervalli præcisè „ definitur à Scripturâ 3. Reg. 6. 1. cum ait „ Templum ædificari cœptum, anno 4. regni „ Salomonis menſe Zio, ſive ſecundo, ac „ quadringenteſimo & octuageſimo anno ab „ egreſſione

egreſſione Iſraëlitarum ex Ægypto. Quæ "
Scripturæ autoritas adeò conſtans eſt, ut "
nemo mendum ſuſpicari poſſit, ſiquidem "
habetur non ſolum ex Vulgatâ Verſione "
noſtrâ, ſed etiam ex Hebræis Codicibus, ex "
Chaldæo, item & Syro, atque Arabe, imò "
& hoc pacto habet transſlatio Græca in "
editione Complutenſi, ubi ὀδιηκοςῷ legas "
octuageſimo, non ut in Romanâ habetur "
πετρακοσιοςῷ quadrageſimo, quod mendo- "
ſum eſſe Hebræorum, & aliorum quos retuli "
conſentiens lectio perſuadet. "

Ibi autem notanda venit diligentiſſima "
numerandi ratio à Scriptura adhibita, quæ "
ſingulos periodorum nexus atque terminos, "
tum menſis, tum diei apponit, ſi exigat "
neceſſitas, ut firmus ſit ejus calculus, nec "
aberrandi detur occaſio. Neque enim hic "
poſt annos 480. ab egreſſione id factum eſſe "
dixit; ſed anno demum quadringenteſimo "
& octuageſimo, nimirum inchoato, quippe "
Iſraëlitas menſis primi (initio numerandi "
tum à vere facto) die 15. ex Ægypto egreſſos "
eſſe, notat, Num. 33. 3. & illo anno 480. "
poſt exitum menſis ſecundi, die ſecundo, "
Salomonem Templum extruere cœpiſſe 3. "
Reg. 6. 1. cum 2. Paralip. 3. 1. unde colligere "
eſt, non integros annos iſtos 480. ſed annos "
præcisè 479. cum diebus 17. pro dictæ periodi "
ſpatio eſſe aſſumendos: ut ille quartus "
Salomonis annus, neceſſariò cum anno "
3702. Periodi Julianæ concurrat, qui ſit "
mundi ex noſtro calculo 2992. ante æram "
Chriſti 1012. "

Verùm cum illi anni qui ex libro Judicum "
ac 1. Regum poſſunt colligi, hanc ſummam "
multò ſuperare videantur; diligentiâ aliquâ "
& meditatione opus eſt, ne ſecum ipſa "
pugnare Scriptura videatur. Etenim liber "
ille Judicum, ſingulorum principum qui "

 poſt "

„ poſt Moſen ac Joſue populo præfuerunt, per-
„ cenſet annos, necnon interregna per quæ ali-
„ enigenis in ſervitutem traditi ſunt Iſraëlitæ.
„ Quibus ſi anni Moſis 40. addantur, itemque
„ ſpatium illud incertum quidem, ſed non exi-
„ um, quod partim Joſue, partim Senioribus,
„ qui longo poſt eum vixerunt tempore, par-
„ tim etiam defectioni populi, cum ſe primùm
„ polluit falſorum numinum cultu, competere
„ manifeſtum eſt. Si jungantur prætereà anni
„ Samuelis, Saülis & Davidis, 600. conficient
„ anni, ut vult in eo capite Petavius, quod cum
„ illo loco minus convenit quem ſuprà ex 3.
„ Regum c. 6. 1. referebamus.
„ Plerique Chronologi ut ad ſummam illam
„ ann. 480. calculos ſuos redigant, intervalla
„ ſervitutum in annos Judicum refundunt. Ve-
„ rùm hæc ratio propterea minùs probanda,
„ quod vim afferat ſacræ Hiſtoriæ, & quæ in
„ eâ diviſa ſunt permiſceat. Siquidem clarè di-
„ ſtinguit tempus illud quo cum ſuſcitaret do-
„ minus Judices, flectebatur miſericordiâ, ab
„ eo quo poſt mortem Judicum iterùm reverte-
„ batur populus ad peccata, & pejora faciebat,
„ ut eſt cap. 2. 18.
„ His tantis tenebris ut aliqua lux affera-
„ tur, animadvertendum eſt cum ſint ſervitu-
„ tum intervalla ſex: harum priores quatuor,
„ ea verborum ſerie deſcribi, ut cum Judicum
„ annis permiſceri non queant, alternantibus
„ ſcilicet pacis & belli temporibus. Quod
„ idem de duabus poſterioribus dicere non
„ poſſis, quæ nec, ſi ad tempus attendas,
„ aliquâ inſigni pace aut quiete ſunt termi-
„ natæ, nec, ſi ad locum ſpectes, univerſæ.
„ Nam qui cap. 10. Judæos oppreſſiſſe refe-
„ runtur Ammonitæ, non in univerſam Ju-
„ dæam, ſed in Peræam trans Jordanem,
„ ac deinde in Chananæam irrupiſſe, &
„ trium maximè tribuum regiones populati
dicuntur,

dicuntur. Quibus ad Dominum clamantibus, ſe non additurum ait, ut ultrà eos liberaret, quod toties vindicati ab hoſtibus, eum tamen deſeruiſſent: unde octo & decem annos illos quibus afflictæ illæ Judaicæ Reip. partes dicuntur, ad Jaïri tempora referre nihil prohibet. Similiter & poſtremam ſervitutem quam ſub Philiſtinorum jugo annos 40. toleraſſe dicuntur Judic. 13. ad Heli tempora referendam eſſe poſtea clarebit.

In quatuor ergo priorum ſervitutum intervallis tota difficultas vertitur, quæ nec in annis Judicum includere, ſuffragan. ſcripturâ poſſumus, nec rurſus ſeorſim numerare, niſi in errore manifeſto teneri velimus, ut ex dictis claret. Confirmatur id ex eo quod Jephte, cum Ammonitarum rege agens, qui terras ab Iſraëlitis occupatas repetebat, inter alia quæ objicit, poſſeſſionem trecentorum annorum allegat Jud 11. 26. ab eo ſcilicet tempore quo altero ante mortem anno, Moſes populos iſtos debellaverat Num. 21. At in ejuſmodi loquendi formulis, ubi numero rotundo uti volumus, quin ille potiſſimùm eligatur qui cauſæ maximè prodeſt, dubitat nemo. Jephten itaque par eſt credere verum annorum numerum auxiſſe potius quàm minuiſſe, quod contrà fiet, ſi omnis illi anni eo quo ſolent modo colligantur.

Ab initio enim Othonielis ad Jephtes initium, anni ſunt præciſé 311. ut ſic oſtendi poteſt.

Othoniel judicavit annos 40.
Secuta eſt ſervitus Moabitica per annos 18.
Aod, ſive Ehud judicavit Iſraëlem annis 80.
Subſecuta ſervitus Chananæa annorum 20.
Debora judicavit annis 40.
Servitus Madianitica duravit annis 7.
Gedeon rexit annis 3.

 Abime-

Digitized by Google

" Abimelech annis 40.
" Thola 23
" Jair 28.
" Servitus Madianitica duravit annis 18.

" *Conſiunt anni* 311.

" His ſi addantur anni, quos Joſue, Seniori-
" bus, & idololatriæ populi ſuprà tribuen-
" dos eſſe dicebamus, extabunt ferè 360. ut
" potiùs quadringentos, quàm trecentos dicere
" Jephte debuiſſet, ſi ille calculus eſſet adhi-
" bendus.

" Patet ergo aliam prorſus viam in eundam:
" quàm mihi reperiſſe videntur, qui per pactas
" pacificationes, & quietes terræ datas, hæc
" priora quatuor intervalla omninò cenſent
" dinumeranda. Nam cum numero cardinali
" quem vocant, pro ordinali uti Judæis non
" ſit inſolens: putant viri eruditi id in eo
" libro Judicum eſſe factum, ut cum legimus
" v. gr. cap. 3. 11. quieviſſe terram quadra-
" ginta annis ſub Othoniece, id de anno
" intelligendum ſit quo pax illa eſt ſancita,
" qui quadrageſimus fuit ab alia quiete à
" Joſue terræ data Joſ. 10. 14. quibus etiam
" eo favere videtur textus Hebræus, quod
" legat שבת ſchana, non שבם ſchanim, hoc
" eſt anno, non annis, ut promptum ſit intel-
" ligere quadrageſimo, itaque cum cap. 8. 28
" legitur quievit terra per quadraginta annos,
" quibus Gedeon præfuit, vertunt illi: quievit
" terra quadrageſimo anno in diebus Gedeo-
" nis, ab ultima præcedente ſcilicet pace
" ſumpto termino, & ſic de aliis. Quod ita
" cum ſit, res tota ab omni controverſiâ vin-
" dicatur, & modo qui cum Scripturâ bellè
" conveniat ita deſcribitur.

Tabula

Tabula annos exhibens ejus quartæ ætatis.

Anni ab orbe cond.		An- ni 4. æta- tis.		Ann ante æram vulg.
2553	Moyſes mortuus eſt anno ab exitu	40	Exod. 7. 7. cum Deut. 1. 3. & 34. 7.	1471
2559	A morte Moyſis ad quietem per Joſue datam ſunt an.	6	Joſ. 14. 10.	1445
2599	Hinc ad quietem per Othoniel datam, anni	40	Judic. 3. 11.	1405
2679	Hinc ad quietem datam per Aod, anni	80	Ibid. 30.	1325
2719	Hinc ad quietem datam per Debora, anni	40	Judic. 5. 32.	1285
2559	Hinc ad quietem datam per Gedeon, anni	40	Judic. 8. 28.	1245
2768	Mortuo Gedeone averſi ſunt filii Iſraël ad Baal per aliquot annos (Judic. 8. 33.) puta	9	patebit infrà	1236
2771	Poſtea Abimelech præfuit annis	3	Jud. 9. 22.	1233
2794	Thola annis	23	Jud. 10. 2.	128

Anni ab orbe cond.		Anni 4. ætatis.		Ann ante æram vulg.
2816	Jaïr annis	22	Ibid. 3.	1188
2822	Jephte annis	6	Jud. 12. 7.	1182.
2829	Abeſan annis	7	Ibid. 9.	1175.
2839	Ahialon annis	10	Ibid. 11.	1164
2847	Abdon annis	8	Ibid. 14.	1157
2887	Heli annis	40	1. Reg. 4. 18.	1117.
2909	Samuel annis	21 ½		1095
2949	Saül annis	40	Actor. 13. 21.	1055
2989	David annis	40	2. Reg. 5. 4.	1015
2992	Templi fundamenta jacta ſunt ineunte Salomonis anno	4	3. Reg. 6. 1.	1012

Summa 480.

„ Hæc numerandi ratio propterea mihi probatur, quod calculos ſuos ab ipſomet ſacro „ Contextu maximè eruat: quam ſi veram eſſe „ ſinguli loci citati indicant de interregno novem annorum quod Gedeonem inter & Abimelechum inſeruimus, ambigere nemo poteſt, „ Patet enim ex ſerie narrationis aliquod tempus interfluxiſſe, per quod filii Iſraël Baali „ ſervierunt Jud. 8. 33. illud verò decem annorum ſpatio circumſcribendum, vel ex eo probari poteſt: quod aliis præciſe declaratis, tot „ neceſſariò deſiderentur, ut ad ſummam 480. „ annorum quam 3. Reg. 6. aſſignari jam diximus, numerus perducatur.

CAPUT

Caput VII.

De annis Sabbaticis, qui & Semitah *nominantur ; deque Jubilais.*

Exodi 23. ac *Levit.* 25. mandatum *Judæis* editum eſt, ut, cùm in *Chananæa* poſſeſſionem pedem immiſiſſent, ſex annis terram colerent, frugeſque meterent, ſeptimū verò quemque ab omni cultu ſatuque feriatum haberent; ut quemadmodum poſt ſex dies negotioſos ſeptimus quilibet ab opere vacuus erat, ita ſeptimus annus quieti ac ceſſationi tribueretur, unde Sabbatum terræ *Levit.* 25. vulgò *Semitah* dicitur, quæ vox *dimiſſionem* ac *quietem* ſignificat. Horum annorum initium ſemper ab autumno deductum eſt: unde & agrorum cultus, & popularis *Judæorum* annus capit exordium. Quod in *Talmudicis Digeſtis*, tam de Sabbaticis quàm de Jubilæis annis docent Magiſtri initio *Tract. Roſ-haſchanah.* Ea porrò lex ſic à *Judæis* accepta eſt, ut ei malignè neque conſtanter obtemperaverint. Non fuit igitur Sabbaticorum annorum perpetua ſeries. Sed è *Machabæorum* hiſtoria, & *Joſepho* colliguntur omninò tres: è quibus tam in anterioribus ſæculis, quàm in poſterioribus, certæ illorum ſedes inveſtigari queunt: ſiquidem, ex quo ſemel inſtituta res eſt, eodem curſu ac tenore propagata fuit; ut poſt primum Sabbaticum ſeptimi deinceps anni ſimili religione cenſerentur.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 26.

Primus annus Sabbaticus eſt, quo *Antiochus Eupator Epiphanis* filius *Hieroſolymam* obſedit cum *Lyſia*, qui fuit annus *Græcorum* centeſimus quinquageſimus, ut ex 1. *Mach. cap.* 6. *comm.* 20. 49. & 53. conficitur. Sed & *cap.* 7. 1. proximus ab illo annus putatur *Græcorum* 151. Adſtipulatur & *Joſephus lib.* 12. *cap.* 14.

De

De annis *Græcorum* dicemus poſtea, eorumque principium ab autumno duci monſtrabimus in ſecundo *Machabæorum* libro ; in priore verò, ab verno menſe, qui eſt *Niſan*. Interim ſciri convenit, autumnum illum, à quo annus iſte Sabbaticus iniit, cadere in annum *Julianæ* Periodi 4550. mundi 3820. Ita pars major anni ſequentis Sabbatica fuit. Quo anno Per. *Julianæ* 4551. mundi 3821. *Antiochus Eupator Hieroſolymam* obſedit.

Secundus Sabbaticus eſt ille quo *Simon Joannis Hyrcani* pater, inſidiis *Ptolemæi* generi ſui in caſtello *Dagon* interfectus eſt: quod menſe undecimo, qui eſt *Schebath*, anni *Græcorum* 177. contigit, ut eſt in 1. *Machab. cap.* 16. 14. quem & Sabbaticum fuiſſe a *Joſephus* indicat. Annus *Seleucidarum* 177. cœpit ab autumno anni Per. *Julianæ* 4578. mundi 3848. adeo ut inſequentem annum Sabbatiſmus occuparit.

a Antiquit. lib 13. cap. 16.

Tertius annus Sabbaticus ille fuit, quo ab *Herode*, & *Soſio* capta ſunt *Hieroſolyma*, *Agrippâ* & *Caninio* Coſſ. ut auctor eſt b *Joſephus*. Incidit hic annus in eum, qui eſt Per. *Julianæ* 4677. Igitur ab autumno anni antecedentis 4676. ad autumnum anni 4677. Sabbaricus annus extenditur.

b Antiquit. lib 14. cap. 28.

Hi ſunt annorum Sabbaticorum cardines, ex quibus tam antecedentibus, quàm ſequentibus, certus, ut paulò ante docui, locus aſſignari poteſt: nimirum anni Per. *Julianæ* 4551. 4579. 4677.

Quibus conſtitutis, primus omnium Sabbaticus poſt aditam *Chananæam* ita deprehenditur. *Joſua* ſex totos annos in promiſſæ terræ parte maximâ debellandâ poſuit: quod ex Scriptura colligitur. Nam *Caleb* 40. ſe annos natum ad explorandam *Chananæam* miſſum eſſe dicit: indèque quinque & quadraginta confectos, cùm annos haberet ætatis octoginta quinque. Miſſi ſunt exploratores anno ab exitu ſecundo, ſub vindemiæ tempus. Quare hinc

Joſ. 4. 10.

hinc ad *Moſis* obitum anni conſecuti ſunt octo & tricenti cum menſibus ſex. Quippe anno evoluto quadrageſimo ab *Ægyptiaca* migratione mortuus eſt. Porrò 40. & $38\frac{1}{2}$. efficiunt $78\frac{1}{2}$. Deſunt igitur ad explendos *Calebi* annos 85. anni ſex integri cum menſibus ſex. Quocirca quoniam ſex annis obſeri terram metique lex jubet, ac demum ſeptimo quieſcere, nec ante perdomitos *Chananeos*, & agros eorum diviſos coli terra potuit; quod ſub annum ab exitu 46. fieri cœptum eſſe monſtravimus, veriſimile eſt annum κληρονομίας, quo agri Tribubus aſſignati, & à pleriſque occupati ſunt, fuiſſe Per. *Jul.* 3228. mundi 2498. Quare primus annus γεωργίας & agricolationis iniit ab autumno anni ejuſdem, primus verò Sabbaticus ab autumno anni Per. *Jul.* 3234. mundi 2504. quo cœpit ab ingreſſu *Chananææ* decimus tertius, ſi ab autumno annos ordiare; vel adhuc duodecimus erat in curſu, ſi ab *Niſan* inchoentur. Unde major Sabbatici pars incurrit in annum Per. *Jul.* 3235. mundi 2505. Diſcrimen anni Periodi *Jul.* 3255. & 4551. qui eſt Sabbaticus è tribus allatis prior, anni ſunt 1316. qui numerus per ſeptem diviſus nihil relinquit; quod & in cæteris apparet.

Ex iis deprehendi poteſt, plurimùm in conſtituendis annis Sabbaticis aberraſſe Chronologos nonnullos; in primis verò *Torniellum*, qui primum annum Sabbaticum numerat eum, qui ſit ab egreſſu ex *Ægypto Hebræorum* ſeptimus, & quadrageſimus, mundi 2590. cujus error ita convincitur. *Chriſti* natalem confert Auctor ille in annum mundi 4051. primum æræ *Chriſtianæ* in annum 4052. Deductis de anno Periodi *Julianæ* 4714. annis 4052. ſuperſunt anni 662. perpetuâ methodo addendi ad annos mundi, ut eorumdem annorum ſitum habeamus in *Juliana* Periodo, ſecundùm regulam à nobis *capite 9. libri* 1.

Partis

Partis hujus editam. Proinde ſi ad annos 2590. addas 662. exiſtet annus Periodi *Julianæ* 3252. quem primum Sabbaticum *Torniellus* computat; ita ut ab autumno cœperit anni antecedentis 2589. mundi, Periodi *Julianæ* 3251. Sumatur annus aliquis Sabbaticus, de quo nulla controverſia eſſe poſſit, cujuſmodi tres à nobis deſcripti ſunt in primo *libro Partis* hujus *cap.* 15. Eſto hic annus, quo Conſules fuere *Agrippa* & *Caninius*, quem ex *a* *Joſepho* Sabbaticum fuiſſe conſtat, & inſignem nece *Antigoni Haſamonæorum* poſtremi. Fuit hic annus *Julianæ* editionis nonus, ante *Chriſtum* 37. Periodi *Julianæ* 4677. Annus ergo Sabbaticus iniit ab autumno anni 4676. Eſt autem hæc ratio Sabbaticorum annorum inter ſe comparatorum, ut amborum differentia ſeptenario numero conſtet; quippe diſcrimem duorum ſeptenariorum, exempli cauſa 7. & 14. ſunt 7. & ſic in cæteris. Si igitur anno Per. *Jul.* 4676. cœpit annus Sabbaticus, auferatur ex eo annus primus Sabbaticus iniens *Tornielli*, qui eſt Per. *Jul.* 3251. Diſcrimen amborum eſt 1425. qui numerus per 7. diviſus reſidua facit 4. Falſò igitur primus ab illo conſtitutus eſt annus Sabbaticus. Sed & perperam annus idem, quo Sabbaticus cœpit ab autumno Conſulatus *Claudii* & *Norbani*, ab eodem *Torniello* putatur mundi 4016. hoc eſt, additis 662. Per. *Jul.* annus 4678. Biennio quippe fallitur.

a Antiquit. lib. 14. cap. 18. Vide lib. 2. Part. hujus cap. 7.

Minùs aberrat, ſed aberrat tamen qui eundem annum mundi cum *Torniello* præfinit anno primo Sabbatico ineunti, nempe 2589. ſed annum primum æræ *Chriſtianæ* putat ab orbe condito 4054. qui de annis Per. *Jul.* 4714. deductus relinquit 660. Adde igitur annos 660. ad annum mundi 2589. conflet annus Per. *Jul.* 3249. quo Sabbaticum r. inchoat. Differentia annorum 3249. & 4676. ſunt 1427.

qui

qui numerus per 7. diviſus relinquit 6. Uno itaque anno labitur.

De Jubilæis annis exſtat divina ſanctio *Levit.* 25. 8. quâ numerari jubentur annales hebdomadæ ſeptem ab eo anno, quo terra primùm eſt cœpta coli; ac menſe ſeptimo, qui eſt autumnalis, Jubilæus annus indici clangore buccinæ. *Sanctificabiſque*, ait, *annum quinquageſimum*, &c. Ex quo multorum fert opinio Jubilæos annos quinquageſimos eſſe poſt antecedentes Jubilæos: ut ſi annus Jubilæus incurrerit in annum *Chriſti* 1600. proximus ab eo ſit anno 1650. tum 1700. atque ita deinceps. Verùm nonus & quadrageſimus quiſque Jubilæus fuiſſe potiùs videtur, qui incluſo anteriore, ut aſſolet, ritè quinquageſimus putatur; adeo ut Jubilæus omnis etiam Sabbaticus fuerit, ſed majori quadam religione conſecratus. Hoc eò ſtatuimus, quòd cùm Deus quietem illam agrorum & ceſſationem nonniſi poſt ſex agricolationis annos obſervari juſſerit, ut paulò antè ſignificavi; ſi Jubilæus à Sabbatico diverſus eſſet, non raró contingeret poſt unam aut alteram meſſem, agros otioſos ac feriatos relinqui. Sit enim, exempli cauſâ, Sabbaticus annus, qui proximè ſæculi hujus initium præceſſit, *Chriſti* 1599. Jubilæus autem inſequens annus 1600. erit Sabbaticus annus *Chriſti* 1648. Jubilæus item annus 1650. Itaque unus tantummodo agriculturæ annus poſt Sabbaticum intercedet: biennium autem inter Sabbaticum 1697. & Jubilæum 1700. Mihi verò credibile non videtur tam inuſitatæ rei, obſervationiſque nullum, aut in *Moſaicis* libris, aut in Hiſtoria, veſtigium apparere: neque Legiſlatorem vel ſemel illius admonuiſſe, ſed præcisè ſex annis obarari terram obſerique juſſiſſe. Sed ne longiores hîc ſimus, quàm volumus, ad ea Lectorem rejicimus, quæ ſuper utraque quæſtione *libro nono de Doct. Temporum* expli-

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 27.

explicamus. Quibus modò illud adjicimus, *Iſidorum Hiſpalenſem* nobiſcum facere ; qui *libro de mundo cap. 6. Annus Jubilæus*, inquit, *eſt remiſſionis, qui ſeptem annorum hebdomadibus, id eſt, 49. annis texitur. Baſilius* item *Epiſt.* 317. Ἑπτὰ δὲ ἑϐδομάδες ἐτῶν τῶν ὀνομαστῶν Ἰωϐηλαῖον ἐποίουν ἐν τοῖς πάλαι, ἐν ᾧ ἐσαϐϐάτιζε μὲν ἡ γῆ, χρεῶν ἦσαν ἀποκοπαὶ δουλείας ἀπαλλαγὴ, καὶ οἱονεὶ νέος ἄνωθεν κατίστατο βίος, ἐν τῷ ἑϐδομαστικῷ ἀριθμῷ τοῦ παλαιοῦ τρόπον τινὰ τὴν συντέλειαν δεχομένου. *Septem verò hebdomades annorum celebrem illum Jubilæum olim efficiebant ; per quem terra velut Sabbatum ſuum agebat, ac tum novæ tabulæ fiebant ; & ſervi manumittebantur, & nova quodammodo vita de integro inſtituebatur, cùm vetus in ſeptenario numero ſuum quaſi finem acciperet. Petrus* quoque *Chryſologus* luculenter id docet *Serm.* 139. *Septimus*, inquit, *numerus cùm vadit per annos, ſeptimanas facit : facit annum, qui requiem dat terræ, nexus omnes fraternæ obligationis abſolvit. Septimus numerus annorum cùm circuit ſeptimanas, annum quinquageſimum qui Jubilæus vocatur, ad plenitudinem totam veniæ & remiſſionis adducit, ut tollatur ſervitus, redeat libertas*, &c. *Et ſi ſeptimus numerus ſeptemplicatus per dies, per menſes, per annos locum contulit remiſſionis & veniæ, ſeptemplicatus ſeptuageſies ſepties ſeptimus numerus quid afferre poſſit*, Chriſtianus *æſtimet*, & *advertat auditor.*

Primus Jubilæus eſt Sabbaticus ſeptimus, cujus initium cadit in autumnum anni Per. *Jul.* 3283. mundi 2553.

CAPUT VIII.

De Athenienſium *ac* Mycenæorum *Regibus*, & *illo-*

& illorum Archontibus; *nec non de* Heraclidarum *in* Peloponneſum *irruptione.*

REgum ac Prætorum, qui *Athenis* ſummam rei geſſerunt, tempora, propter Auctorum diſſenſionem, haud ſatis explorata ſunt; quorum imprimis ex *Euſebio* ſeriem adſcribam, paucis duntaxat immutatis.

Laterculum Regum *Athenienſium* ex *Euſebio.*

		Anni regni.	Anni Periodi *Julianæ* quibus inierunt.
1	*Cecrops.*	50	3156
2	*Cranaus.*	9	3206
3	*Amphictyon Deucalionis* filius.	10	3215
4	*Erichthonius.*	50	3225
5	*Pandion Erichthonii* filius.	40	3275
6	*Erechtheus Pandionis* filius.	50	3315
7	*Cecrops* II. *Erechthei* frater.	40	3365
8	*Pandion* II. *Erechthei* filius.	25	3405
9	*Ægeus Pandionis* filius.	48	3430
10	*Theſeus Ægei* filius.	30	3478
11	*Meneſtheus Petei* filius.	23	3508
12	*Demophoon Theſei* filius.	33	3531
13	*Oxynthes Demophoontis* filius.	12	3564
14	*Aphidas Oxynthæ* filius.	1	3576
15	*Thymœtes Aphidantis* frater.	8	3577
16	*Melanthus Andropompi* filius.	7	3585
17	*Codrus Melanthi* filius.	21	3622

Hactenus Reges, qui circa annum Per. *Jul.* 3643. deſierunt, & annis 487. perſeverarunt.

Archon-

Archontes perpetui.			
1	*Medon*	20	3644
2	*Acaſtus*	36	3664
3	*Archippus*	19	3700
4	*Thereſippus*	41	3719
5	*Phorbas*	31	3760
6	*Megacles*	30	3791
7	*Diognetus*	28	2821
8	*Phereclus*	19	3849
9	*Ariphron*	20	3868
10	*Theſpieus*	27	3888
11	*Agameſtor*	20	3915
12	*Æſchylus*	23	3935
13	*Alcmæon*	2	3958

Hactenus Archontes perpetui, qui annos 316. tenuerunt.

Archontes decennales.			
1	*Charops*	10	3960
2	*Æſimedes*	10	3970
3	*Clidicus*	10	3980
4	*Hippomenes*	10	3990
5	*Leocrates*	10	4000
6	*Apſandrus*	10	4010
7	*Eryxias*	10	4020
Deſierunt Archontes decennales anno Per. *Jul.* 4029.			

Colliguntur anni à *Cecropis* initio ad *Eryxiæ* finem 874.

In hac *Euſebiana* deſcriptione haud pauca ſunt, quæ ab aliorum Chronologorum ratione diſſident. Imprimis Auctor ille, cujus *Chronicon* marmori inciſum in *Aſia* ante paucos annos repertum eſt, quæ *Arundelliana marmora* dicuntur,

dicuntur, & *Joannis Seldeni* Commentariis illuſtrata prodierunt anno 1628. annis tribus & viginti *Euſebianam* antevertit epocham, ut ſuprà docui; & *Cecropis* initium conjicit in annum Per. *Jul.* 3133. ex quo reliquorum deinceps Regum anticipanda ſunt exordia. Exempli cauſsâ, *Amphictyonis* initium ponit anno illo, qui eſt Per. *Jul.* 3192. *Theſei* anno 3455.

De *Theſeo* quoque ipſo non levis eſt quæſtio. Nam *Euſebius* annos ei 30. ſucceſſori verò ejus *Meneſtheo* 23. imputat. Ita initium *Theſei* cladem *Trojæ* præcedit annis 53. At vetus *Clementis Alexandrini* Chronologus anno 47. ante *Trojanum* excidium cœpiſſe ponit *Theſeum*, ex quo *Meneſtheo* non plures 17. annis relinquuntur, ſi *Theſeus* 30. regnaverit. Sed *Meneſthei* anno 22. captam *Trojam* notant *Arundelliana Marmora*. Vide quæ de *Theſeo* poſtea dicentur, cùm de *Heraclidis* ſermo erit. Eſt & ſuper *Melantho* 16. Rege magna dubitatio: cujus exordium collocat *Euſebius* anno circiter 55. poſt *Trojæ* vaſtitatem, & 25. ante *Peloponneſum* ab *Heraclidis* occupatam: quæ ἡ τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδος dici ſolet; ea verò octoginta poſt *Trojanam* cladem annis incidit: quod poſtea demonſtrabimus. Atqui (*a*) graviſſimi Scriptores *Melanthum* aſſerunt ab *Heraclidis* è *Poloponneſo* fugatum, *Athenas* ſe recepiſſe, ibique regnum occupaſſe, interfecto *Thymœte*, ac pulſos deinde ab *Achæis Ionas* excepiſſe. Id ſi verum eſt, non rectè calculos ponit *Euſebius*.

a Pauſ. Achaic. & Corinth. Conon lib. 39. apud Phot. Cod. 186.

Neque verò ſuperiorum Regum annis addere quicquam aut detrahere per *Caſtorem* antiquum Chronographum licet. Hic enim, ut refert (*b*) *Euſebius*, ab anno primo *Cecropis* ad *Thymœtæ* ultimum, annos numerabat 429. quot in noſtro diagrammate cernuntur.

b Chron. poſt. ad A 882.

Charopis præterea primus annus, qui decennalium Prætorum princeps fuit, ab (*c*) *Euſebio* in annum *Abraami* confertur 1264. qui eſt *Jul.* Per. 3960.

c Edit. Pont.

3960. quo tertius iniit Olympiadis ſextæ. Atqui *Dionyſius Halicarn.* anno primo ineunte Olympiadis ſeptimæ *Charopem* decennalem præturam inchoaſſe ſcribit : qui eſt annus Per. *Jul.* 3962. *Pauſanias* autem in *Meßen.* annum 2. Olympiadis 9. comparat cum *Æſimedis* quinto; is eſt Per. *Jul.* 3971. Hoc modo primus *Æſimedis* erit Per. *Jul.* 3967. & primus *Charopis* 3957. Hæc non congruunt.

Ad hæc decennales omnes Prætores perperam, niſi fallor, decem quique ſuos annos expleſſe perhibentur. Etenim *Suidas Hippomeni*, quòd filiam ſuam in ſtupro deprehenſam equo laniandam objeciſſet, abrogatum eſſe magiſtratum aſſerit. Tum ejus annus quartus expletus eſt anno 1. Olympiadis 14. Per. *Jul.* anno 1390. ut auctor eſt *Pauſanias*. Igitur primus ejuſdem cœpit anno 3986. non 3990. ut putat *Euſebius*.

Meſſen. p. 124.

Denique quo anno ex decemnovennalibus annui Prætores eſſe cœperint, non planè convenit. *Pauſanias* in *Meſſeniacis* anno quarto Olympiadis 23. jam inſtitutos annuos ait Archontas, ac *Tleſiam* eo anno præfuiſſe ſcribit: & ſcilicet annuum & ipſum fuiſſe, neque tamen primus is fuit. Nam primus *Creon* numeratur, ut & *Vellejus* narrat, & *Euſebius*. At *Marmora Arundelliana* primum annuum Archontem conferunt in annum Per. *Jul.* 4030. quo 24. Olympias iniit; in quo ſuffragatorem habet *Euſebium*.

Ibid. p. 125.

Vellej. l. 1.

Mycenæorum regnum.

Mycenæorum Regum ſeries à *Perſeo* cœpta, & à *Pelopidis* continuata, in *Heraclidarum* adventum deſinit. *Acriſio* circa annum Per. *Jul.* 3400. (qui eſt *Euſebianus* 704.) ab nepote cæſo: *Perſeo*, tranſlatum eſt *Mycenas* imperium quam urbem *Perſeus* exſtruxerat, ut ſuprà ſignificavi. In nonnullis codicibus *a Euſebianis* poſt *Acriſium*, nullâ *Perſei* mentione factâ ſtatim *Sthenelus* ſubjicitur, ac deinceps *Euryſtheus*,

a in poſteriore Chron.

beus, ut in *Scaligeriana* editione. At in *Pontacena Perſeus* poſt *Acriſium* ponitur, eique anni 8. tribuuntur, omiſſo *Sthenelo*; etſi *Perſei* primus annus non ſubinde poſt *Acriſii* ultimum ſubtexitur, ſed anno pòſt ſeptimo. Annus *Abraami* 704. eſt ultimus *Acriſii*: primus autem *Perſei* eſt 711. Per. *Jul.* 3408. Apud *Scaligerum Sthenelus* iniit anno *Abraami* 705. Per. *Jul.* 3402. Rurſus *Euryſtheo Pontaci* editio annos aſſignat 38. *Scaligeriana* 43. utraque *Mycenæorum* regnum *Trojano* excidio claudit. Quæ omnia in ſequenti diagrammate complectar.

Laterculum *Mycenæorum* Regum poſt *Acriſii* obitum, ex *Euſebii Chronico* poſteriore.

	Ex edit. *Scaligeri.*				Ex edit. *Pontaci.*			
		Anni regni.	Cœpit anno *Abraami.*	Cœpit anno Per. *Jul.*		Anni regni.	Cœpit *Abr.*	Per. *Jul.*
1	*Sthenelus*	8	705	3402	*Perſeus*	8	711	3408
2	*Euryſtheus*	43	713	3410	*Euryſtheus*	38	718	3415
3	*Atreus* & *Thyeſtes*	65	756	3453	*Atreus* & *Thyeſtes*	65	756	3453
4	*Agamemnon*	15	821	3518	*Agamemnon*	15	821	3518

Deſiit *Mycenarum* regnum anno Per. *Jul.* 3531. Poſt *Agamemnonẽ*, Ægiſthũ atque *Oreſtem* deinde nominat *Euſebius*; nec tamen in ſerie deſcribit. Sed cùm in illa deſcriptione multa reprehendenda ſunt, tum id imprimis, quod *Atrei* & *Thyeſtæ* primordium anno ei, qui eſt Per. *Jul.* 3453. aſſignat. Hoc ſi verum eſſet, *Euryſtheus* anno ſeptuageſimo ante obitum *Herculis* occubuiſſet. Siquidem exſtinctus eſt *Hercules* anno *Euſebii* 825. ut eſt in editione *Scaligeri*, Per. *Jul.* 3522. aut ſexageſimo quarto, ſi, ut *Pontaci* habet editio, deceſſerit *Hercules* anno 819. qui eſt Per. *Jul.* 3516. Neutrum verò tolerabilem habet errorem. Nam ab *Herculis* poſteris *Euryſtheum* in *Attica* occiſum eſſe non dubium eſt, vitâ jam functo *Hercule*, ut teſtatur gravis auctor *Thucydides lib.* 1. & *Iſocrates* in *Panathenaico* & *Panegyrico*. Addit etiam *Diodorus*, *Theſeo* & *Hyllo* ducibus contra *Euryſtheum* pugnaſſe poſteros *Herculis*. At verò *Theſei* primordium imputat *Euſebius* anno *Abraami* 783. qui eſt Per. *Jul.* 3480. & quadrageſimus tertius ante obitum *Herculis*, cujuſmodi refert editio *Scaligeri*, vel ſeptimus & triceſimus ex *Pontacena* fide: cùmque *Theſeus* haud plures 30. regnarit annos, ante *Herculem* obierit oportet; quæ eſt fœdiſſima, ſed iſti Chronologo non inſolens ἀλογιςία. *Thucydidis* Scholiaſtes primam *Heraclidarum* eruptionem in *Peloponneſum* viginti ante *Trojanum* excidium annis conſtituit; poſteriorem, poſt idem excidium, octoginta. Ita prior impreſſio convenit in annum 3511. quarto anno poſtquam *Euryſtheus* obiit, & *Atreus* cum fratre regnavit, ut ante demonſtravimus. Ex his nonnulla contra *Euſebii* rationes conſequentia ſunt. Imprimis *Atreum* & *Thyeſtem* non 65. annis regnaſſe, ſed ad ſummum 8. Nam *Agamemnoni* annos in *Chronico* poſteriore tribuit 15. quos ab anno

Pe-

Periodi *Julianæ* 3516. ordiri neceſſe eſt, ut in annum proximum ab *Trojæ* calamitate deſinant. Quòd ſi 18. vel 17. eidem annos cum vetere apud *Clementem Alexandrinum* Chronologo concedat, ut ab anno Per. *Jul.* 3514. regnare cœperit, tum *Atreo & Thyeſtæ Mycenæi* regni ſex haud amplius annos adſcribes. Hæc propter Antiquorum diſſidium liquidò definiri nequeunt; etſi de *Heraclidarum* prima expeditione maximè ſit probabilis Scholiaſtæ ſententia.

Ut ad vetuſtiora tranſeam, inter *Acriſii* mortem, quæ anno circiter 3401. Per. *Jul.* accidit, & *Euryſthei* necem, quæ anno 3508. incidit, anni ſunt 107. de quibus ſi *Euryſthei* 43. & *Stheneli* 8. id eſt, in totum 51. detrahas, reliqui erunt 56. ab *Acriſii* morte ad *Euryſthei* obitum: quo toto intervallo non ſolus imperavit *Perſeus*, ſed præter hunc *Electryo*, & *Taphius*, ut *Appollodorus* ait.

Jam *Pelopis* è *Phrygia* adventus in *Græciam* ab *Euſebio* confertur in annum *Abraami* 696. Periodi *Jul.* 3393. ſed cùm ejus filii *Atreus* & *Thyeſtes* anno 3508. *Mycenis* regnare cœperint, poſt annos inde 115. tardiùs iſte ipſe *Pelopis* in *Peloponneſum* tranſitus collocandus videtur.

Ex his *Mycenæorum* Regum catalogus aliter atque *Euſebius* fecit, ita digerendus videtur.

Cata-

Catalogus *Mycenæorum* Regum ex probabili ſententia.

		Anni regni.	Anni Per. *Jul.* quibus inierunt.
1	*Perſeus* *Electryo*	56	3401
2	*Taphius*		
3	*Sthenelus*	8	3457
4	*Euryſtheus*	43	3465
5	*Atreus & Thyeſtes*	8	3508
6	*Agamemnon* *Ægiſthus*	15	3516
7	*Oreſtes*	7	3531
8	*Tiſamenus* *Penthilus*	70	3538
9	*Cometes.*	3	3608

Ab anno primo *Perſei* ad *Mycenæorum* Regum ultimum anni ſunt 209.

CAPUT IX.

Deucalionis diluvium.

VEtus apud *Clementem* in *Stromat.* Chronologus *Deucalioneum* diluvium anteceſſiſſe docet excidium *Trojæ* annis trecentis ac triginta. Quare cùm anno Per. *Julianæ* 3530. mundi 2800. everſam eſſe *Trojam* poſtea probaturi ſimus, conſequens erit, anno Per. *Jul.* 3200. mundi 2470. diluvium incidiſſe, regnante, ſi *Euſebium* ſequimur, *Athenis Cecrope* primo illarum Rege. *a* *Apollodorus* verò ſub ejus ſucceſſore ponit *Cranao*, qui ſex annis poſtea regnavit. At antiquus ille Chronologus, qui ex *Arundellianis Marmoribus* apud *Smyrnam* effoſſis nuper editus eſt, quique an-

a Apollod. 3.

anno 1. Olypiadis 129. Per. *Jul.* 4450. ſcribebat, eo ipſo videlicet, quo bellum primum *Punicum* cœpit, *Deucalioneum* diluvium confert in annum Periodi *Jul* 3185. mundi 2455. Quippe annis 1265. ante ſuam epocham, quam eſſe diximus annum Per. *Jul.* 4450. illud incidiſſe refert, regnante *Athenis Cranao*, decimo ſexto nimirum ante eum, quem alter apud *Clementem* Chronologus fixit.

Quare haud longo tempore poſt demigrationem *Hebræorum* ex *Ægypto* diluvium iſtud evenerit. Poſt annos inde octo *Deucalionis* filius *Hellen* regnavit in *Theſſalia*, ſi qua fides *Smyrnæo* Chronologo; nempe *Julianæ* Periode 3193. regnante *Athenis Amphictyone*. Quod *Cecropis* anno 28. ex *Euſebiano* calculo congruit.

Biennio poſt *Cadmi* adventum in *Bœotiam*, ac *Thebarum* conditum idem Chonologus ſtatuit, Per. *Jul.* 3195. quem *Euſebius Abraami* anno 583. Per. *Jul.* 3280. aſſignat. Sed cùm *Danaus Cadmi* patruelis anno Per. *Jul.* 3239. *Argis* in *Peloponneſo* regnare cœperit, (ut ex *Euſebii Chronico* ſuprà demonſtravimus) credibile eſt multò ante præſtitutum ab eodem *Euſebio* tempus *Cadmum* in *Græciam* adventaſſe In *Thebaicis* Anonymi Poëtæ à *Neandao* editi anno 1588. anno 109. ante *Argonautarum* expeditionem *Cadmus* in *Græciam* navigaſſe legitur. Quod nimis ſerum arbitror, ut mox intelligetur.

Cadmi adventus in Bœotiam.

Argonautarum profectio apud *Clementem Alexandrinum* ex antiquo Chronologo ponitur anno 79. ante *Trojanam* everſionem, ut ſit annus Per. *Jul.* 3452. ſiquidem *Trojana* clades fixa eſt in anno Per. *Jul.* 3530. ut poſtea conſtabit. Nec longè abeſt *Euſebius*, qui anno illam accommodat *Abraami* vel 756. ut eſt in editione *Scaligeri*, vel, ut in *Pontacena*, anno 752. vel denique anno 755. ut ſe in quibuſdam codicibus inveniſſe teſtatur *Pontacus*:

Argonautarum expeditio.

è quibus primus annus eſt Per. *Jul.* 3453. ſecundus eſt 3449. tertius eſt 3452. prorſus ut vetus ille Chronologus, cui *Jacobus Capellus* ſubſcribit. Sed adverſus hanc ſententiam multa ſolent objici ex *Argonautarum* hiſtoria; cujuſmodi ab (*a*) *Diodoro*, *Apollodoro*, *Hygino*, ac Poëtis memoriæ proditur; quorum nonnulla ſibi ipſi *Euſebius* opponit: velut quòd *Caſtor* & *Pollux Helenæ* fratres inter Heroas illos recenſeri ſolent: non eſt autem veriſimile, ſororem eorum *Helenam* poſt annos inde 60. tantâ fuiſſe pulchritudine, ut ejus gratiâ inter *Græcos* & *Trojanos* decennale bellum exarſerit. Quanquam ne iſtud quidem incredibile ſit, *Ledam* anno ætatis 14. vel 15. *Caſtorem Pollucem*que peperiſſe, & poſt annos 30. *Helenam*, quæ cùm rapta eſt, annum egerit 30. Verùm alia ſunt, quæ nos movent. Imprimis autem quòd omnes ferè, qui de *Argonautis* meminerunt, ut *Dares Phrygius*, *Diodorus*, *Hyginus*, aſſerunt paulò poſt eorum reditum è *Colchide*, *Trojam* ab *Hercule* eſſe captam, &, occiſo *Laomedonte*, *Priamum* ejus loco ſubſtitutum. At verò *Priamus* nequaquam annos 79. imperavit, cui quidem Anonymus Poëta *Neandri* 40. ſolos tribuit. Hoc ſi verum eſt, ejus initium incidet in annum circiter *Julianæ* Periodi 3490. *Argonautarum* verò profectio anno proximè antecedente, vel biennio antè, à quo non abhorremus.

(*a*) Lib. 4.

De Herculis tempore.

De *Hercule Alcmenæ* filio ſumma quoque Veterum eſt diſſenſio. Nam *Vellejus* ait, annis 120. ante *Heraclidarum* poſteriorem in *Peloponneſum* reditum exceſſiſſe *Herculem*; qui eſt annus Per. *Jul.* 3491. quadrageſimus ante *Trojæ* vaſtitatem. Sed idem ſecum pugnat paulò pòſt, dum ſcribit ante annos 1250. quàm Conſul eſſet *Vinitius*, *Herculem Olympicis Atrei* ludis fuiſſe victorem. Conſulatus *M. Vinitii* convenit in annum æræ *Chriſtianæ* 30. Per. *Jul.* 4743. demptis inde 1250.

reſidui ſunt 3493. quo adhuc ſuperſtes erat *Hercules.* Vetus *Clementis Alexandrini* Chronologus *Olympica* certamina cenſet inſtituta ab *Hercule* anno 442. ante *Iphitea*, qui eſt annus Per. *Jul.* 3497. *Euſebius* verò anno 430. ante eadem *Iphitea*, ut ſit Per. *Jul.* annus 3509. Si *Argonautarum* expeditio annis quadraginta uno vel duobus *Trojanum* anteceſſit excidium, poteſt *Herculis* obitus longiùs ſummoveri, ut paucis annis *Euryſthei* necem præceſſerit; quæ annum occupat 3508. *Julianæ* Periodi.

Cæterùm *Heraclidarum* prior impreſſio, quæ centum annis ante poſteriorem ab Scholiaſte *Thucydidis* ponitur, adeòque viginti ante *Trojam* exciſam, collocanda videtur in anno Per. *Jul.* 3511. Ea verò rurſus bifariam eſt tribuenda. Nam principiò ducibus *Iolao*, *Theſeo*, & *Hyllo* cum *Euryſtheo* conflixerunt; &, eo cæſo, annum circiter *Peloponneſo* potiti ſunt. Poſtea ob peſtilentiam inde digreſſi, tertio pòſt anno rurſus irrumpunt, quando cum *Atreo* pepigit *Hyllus*, ut ſi in pugna vinceretur, non ante centeſimum annum *Heraclidis* fas eſſet regredi. Ita quartus iſte numerandus eſt annus, quo *Hyllus* interfectus eſt ab eo, quo primùm eruptionem fecit cum *Theſeo*: ut id argumento ſit, *Theſeum* haud diu poſt opem *Heraclidis* allatam *Athenis* manſiſſe; ſed illo ipſo, quo *Euryſtheus* occubuit, anno Per *Jul.* 3508. à quo quartus eſt 3511. idemque ante *Trojæ* cladem viceſimus. Ex his conſtat *Herculis* obitum haud multis annis ſuperiorem eſſe anno 3508. ac morte *Euryſthei*, atque *Theſei.*

Caput X.

De tempore Trojani *excidii, quod firmiſſimis rationibus aſſeveratur, ac de* Trojanorum *&* Latii *antiquis Regibus; deque* Lacedæmonio-

rum & Corinthiorum *regnis*, *ac* Periandri *tempore*.

CArdo veteris Hiſtoriæ, præſertim illius, quæ Poëticis infecta fabulis minùs habet explicata tempora, *Trojanæ* urbis eſt excidium, cujus annum ita ſtatuemus. Omnium, qui de eo ſcripſerunt, accuratiſſimus fuit *Eratoſthenes* in Commentario, quem *Canones* inſcripſit. Hunc *Dionyſius Halicarnaſſenſis libro* 1. *Orig*. ſequitur, ejuſque ſententiam ita declarat: *Ilium* captum eſſe deſinente vere. Sic enim apud *Dionyſium* legendum eſt πελευῶντος ὖ δὴ τοῦ ἔαρος, non, ut eſt vulgò, θέρους: diebus ante ſolſtitium æſtivum ſeptemdecim; *Thargelionis* viceſimâ tertiâ, ſecundùm *Atticam* anni rationem, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι. Idem annus viginti diebus ultra ſolſtitialem cardinem redundabat: ita ut ab eo die, quo capta urbs eſt, ad finem anni, dies eſſent ſeptem & triginta. Hæc *Dionyſius* ex *Eratoſthene*. Qui eodem libro *Romam* conditam aſſeverat ex *Catone* poſt annos quadringentos triginta duos ab excidio *Trojano*.

Annus conditæ Urbis ex *Halicarnaſſenſis* opinione fuit is *Julianus*, in quo deſiit quartus Olympiadis ſextæ, & iniit primus ſeptimæ, ut ſuo loco colligemus: qui eſt Periodi *Julianæ* 3962. mundi 3232. Demptis ergo 432. de 3962. reſidui ſunt Periodi *Julianæ* anni 3530. Ergo anno iſto capta eſt *Troja* ex *Eratoſthenis* & *Dionyſii* ſententia. *a* Neque verò alius annus conſtitui poteſt, in quem characteres illi competant, quos ex ambobus enumeravimus. Eſt enim *Thargelion* lunaris menſis *Atticus*. Solſtitium verò, civile itidem *Atticum* fuit, ex antiquis Aſtronomis *Junii* 28. conſtitutum. Novilunium *Thargelionis* eo anno contigit *Maji* 21. cyclo Lunæ 15. feriâ 4. Ergo viceſima tertia ejuſdem incidit in *Junii* 12. feriamque quintam, quæ fuit dies decima ſepti-

a Vide lib. 1. de Doct. Temp. cap. 22. & lib. 9. cap. 29. nec non 4. Diſſert. ad Uranol. c. 13.

ſeptima ante ſolſtitium. *Scirophorionis* neomenia incurrit in 20. *Junii*, feriâ 6. *Hecatombæonis* verò, *Julii* 19. feriâ 6. Igitur 20. dies poſt ſolſtitium ſuperant ad illius anni finem, nempe à *Junii* 29. ad 18. *Julii*. Sed admirabiliter convenit opinioni noſtræ cum *Eratoſthenis* ratiociniis; nec alius omninò, quàm qui à nobis poſitus eſt, annus accommodari poteſt. Accedit & *Diodorus Siculus*, qui annum primum Olympiadis 94. putat ab excidio *Trojæ* ſeptingenteſimum octogeſimum. Primus Olympiadis illius annus convenit in annum Per. *Julianæ* 4310. de quo decerptis 780. reliqui fiunt anni 3530. Denique *Euſebius lib.* 10. *de Præparat. Græcos* ait à capta *Troja* ad primam Olympiadem numerare annos 408. quot ab eodem illo anno Per. *Jul.* 3530. interjecti ſunt in annum 3938. quo prima celebrata eſt Olympias *Iphitea*. Igitur anno Per. *Jul.* 3530. mundi 2800. ante *Chriſtianam* æram 1184. nobiliſſimum illud excidium incidit. *Marmora Arundelliana* idem ei anno vindicant, qui ſit Per. *Jul.* 3505. *Thargelionis* ἑβδόμη φθίνοντος, hoc eſt 24. die; quod Antiquorum omnium rationes conturbat.

Diod. lib. 14. init.

Computato anno *Trojani* excidii, regni totius in illa urbe tempus ita ſtatuetur.

Auctor ille *Troïcorum*, qui cum *Iliade* parva aliiſque carminibus *Græcè* editus eſt à *Michaële Neandro*, *Trojanum* regnum annis trecentis perſeveraſſe dicit, ac Reges fuiſſe ſex, quorum ſingillatim annos enumerat; qui in unum collecti minùs quatuor trecentos conficiunt, ut rotundo numero dixiſſe videatur,

.... εἰ πέρας ἦλθε τριηκοσίων λυκαβάντων

Proinde ſi de anno *Trojani* excidii, & ultimo *Priami*, qui eſt Per. *Jul.* 3530. adimas 296. primus annus *Trojani* regni cadet in annum Per. *Jul.* 3234. ex quo deinceps reliquorum initia

initia deſcribuntur; quæ in hoc laterculum conjecimus.

Laterculum Regum *Trojanorum*.		
Trojani Reges.	Anni ſingulorum.	Anni Per. *Jul.*
Dardanus	31	3234
Erichthonius	75	3265
Tros	60	3340
Ilus	54	3400
Laomedon	36	3454
Priamus	40	3490
Deſiit hic anno		3530
Summa regni totius anni 296.		

Vetus in Italia regnum. Vide Aur. Vict. de Orig. Urb. & Meſſalam Corv.

Quod ad priſcos *Latii* Reges attinet, antequam *Æneas Latino* Regi ſucederet, regnatum jam annos aliquot ibidem fuerat. *Euſebius* in *Chronico Pontaceno*, ante *Æneam* Reges ait fuiſſe quinque, qui 150. circiter annos imperarunt, *Janum*, *Saturnum*, *Picum*, *Faunum*, & *Latinum*. *Æneas* (ut ex *Dionyſio* colligitur *lib.* 1.) anno quinto ab excidio *Trojæ* regnare cœpit, Per. *Jul.* 3534. De his ergo ſi annos 150. detrahas, reliqui erunt anni 3384. In *Excerptis Georgii Monachi* apud *Scaligerum p.* 31. tres ſolùm Reges hoc ordine deſcribuntur: *Picus Saturni* filius 37. annis: *Faunus Pici* filius annis 44. *Latinus* annis 36. cujus anno 33. *Æneas* in *Italiam* appulit. Colliguntur anni 117. ad mortem *Latini*, & *Æneæ* ſucceſſionem. Quocirca ad explendos 150. *Jano* nonniſi reliqui 33. fiunt. Quo regnante *Saturnum* è *Creta* profugum in *Latium* veniſſe cum Hiſtoricis Poëtæ conſentiunt.

*Lacedæmoniorum Corinthiorum*que Regum initia

initia ex *Diodori*, *Pauſaniæ*, aliorumque fide ſtatuuntur. Prioris exitus regni ex *Polybio* definitur paulò poſt Olympiadem 140. Poſterius in *Periandro* deſiit *Cypſeli* filio: qui 44. annos apud *Ariſtotelem* regnaſſe perhibetur, etſi 40. plerique cum *Laërtio* tribuant. Idem *Laërtius* anno quarto Olympiadis 84. mortuum eſſe *Periandrum* aſſerit; qui eſt annus Per. *Jul.* 4129. Demptis annis 44. cœperit *Periander* anno Per. *Jul.* 4086. primo Olympiadis 38. *Cypſelus* verò anno 4056. Olympiadis 30. tertio. Igitur *Bacchiadæ* poſt Reges deſitos *Prytaneatum* obtinuerunt annis 121. ab anno ſcilicet *Jul.*Per.3936.ad 4056. non annis 90. ut *Diodorus* in (a) *Excerptis Euſebianis Scaligeri* prodidit, quem de hac hiſtoria conſule: nec non *Pauſaniam Corinthiacis*, *Herodotum lib.* 5.

Lib. 4.

[a] p. 33.

CAPUT XI.

De Hebræorum *Regibus, ac diviſo bifariam illorum regno, in* Judaïcum, & Iſraëliticum. *Utriuſque* ἀπορα *declarantur.*

QUò longiùs ab mundi ac temporis initio progredimur, eò nobis & certior & uberior copia rerum atque hiſtoriæ ſeges oſtenditur. Hoc enim intervallum, quod ab orbis conditu quintum ordine putatur, illuſtrium regnorum exordia aliaſque inſignes epochas amplectitur, quæ in omni Chronologica diſputatione principatum tenent. De quibus ſingillatim agendum erit. Sed priùs, more noſtro, intervalli hujus annos ratione ac methodo colligemus.

Initium ducimus ab anno eo, quo templum à *Salomone* fundatum eſt, qui quartus numeratur illius regni, eſtque in *Juliana* Periodo 3702. mundi 2972. ante *Chriſtum* 1012. ut ex anteceden-

dentibus patet. Finis eſt annus ille, qui *Cyri* primum annum *Babylonici* regni proximè præceſſit. Cœpit autem *Cyrus Babylone* regnare anno Periodi *Julianæ* 4176. ut poſtea probabimus. Ergo ab anno Periodi *Julianæ* 3702. à quo intervallum hoc ordimur, ad ejuſdem Periodi annum 4175. in quem deſinimus, anni ſunt ſolidi 474. Quo ſpatio primùm ambo regna *Hebraici* populi, id eſt, *Judæ*, & *Iſraëlis*, explicantur, tum amborum captivitas; ſed illius ſeptuaginta annis definita, hujus ſempiterna.

3. Reg. 12. Mortuo *Salomone* ſciſſum eſt regnũ bifariam, ejuſque parte *Roboamo Salomonis* filio relictâ, nēpe *Judæ* ac *Benjamini* tribu: reliquæ tribus *Jeroboamo Nabati* filio ex tribu *Ephraïm* permiſſæ ſunt. Utriuſque regni ſucceſſio in hiſtoria *Regum* ac libris *Paralipomenon* traditur, quæ perobſcura & implicatiſſima quædam continet in digerendis inter ſeque componendis annis amborum Principum, atque innumeræ quæſtiones exiſtunt; quas ſi diſputare voluero, longioris ac difficilioris operæ res erit, & propter partitionum tricas injucundæ ac moleſtæ. Itaque cùm in *lib. 9. de Doct. Temp. cap.* 55. fusè accuratèque diſceptatæ omnes illæ controverſiæ ſint, hìc ſatis eſſe videtur, utriuſque regni catalogum exponere: tum ex iis, quæ ἄπορα dicuntur, & ibidem enucleata ſunt, pauca & inſigniora ſeligemus.

Quæſtiones in hiſtoria Regum difficiles.

Quibus modis explicari ſoleant iſtæ quæſtiones.

Solet autem explicandis quæſtionibus iſtis, conciliandiſque Regum temporibus, adhiberi non una ratio. Nam aut labentes anni pro vertentibus & integris uſurpari dicuntur; aut à vivis adhuc parentibus in regni conſortium creduntur adhibiti; aut annorum ſingulorum initia non ab eo menſe, dieve, quo Reges renuntiati ſunt, ſed à populari initio ducuntur; aut denique ab inſigni quapiam epocha quorumdam intervalla pro-

procedunt: ex quibus quid cuique loco maximè congruat, prudentiæ eſt animadvertere. Nos Regum iſtorum diagramma proponemus, in quo ſingulorum anni tam expreſſi ſacra in Hiſtoria continentur, quàm Chronologici, hoc eſt non implicati invicem, ſed diſtracti. Addemus & annos ante *Chriſtum*, quibus regnum auſpicati ſunt: ad quos ſi illos adjunxeris, qui ab æra *Chriſtiana* ad noſtram ætatem lapſi ſunt, ſcire potes, quantum inter hanc & illorum initium interſit.

Diagramma Regum *Jude* ab anno 4. *Salomonis.*					
	Reges *Judæ.*	Anni in Scriptura expreſſi.	Loca, quibus anni continentur.	Anni Chronologici.	Anni ante æram *Chriſti* quibus exorſi ſunt.
1	*Salomon*	37	3 *Reg.* 6. 1. &c. 11. 43	37	1012
2	*Roboam*	17	3 *Reg.* 14. 21	17	975
3	*Abiam*	3	3 *Reg.* 15. 2	3	958
4	*Aſa*	41	*Ibid verſ.* 10	41	955
5	*Joſaphat*	25	3 *Reg.* 22. 42	25	914
6	*Joram*	8	4 *Reg.* 8. 17	4	889
7	*Ochozias*	1	*Ibid verſ.* 26	1	885
8	*Athalia*	6	4 *Reg.* 11. 3	6	884
9	*Joas*	40	4 *Reg.* 12. 1	40	878
10	*Amaſias*	29	4 *Reg.* 14. 2	29	838
11	*Azarias*, qui & *Ozias*	52	4 *Reg.* 15. 2	52	809
12	*Joathan*	16	*Ibid. verſ.* 33	16	757
13	*Achaz*	16	4 *Reg.* 16. 2	14	741
14	*Ezechias*	29	4 *Reg.* 18. 2	49	727
15	*Manaſſes*	55	4 *Reg.* 21. 1	55	698
16	*Amon*	2	*Ibid. verſ.* 19	2	643
17	*Joſias*	31	4 *Reg.* 22. 1	31	641
18	*Joachas*	M. 3	4 *Reg.* 23. 31	M. 3	610
19	*Joakim*	11	*Ibid verſ.* 36	11	610
20	*Jechonias*	M. 3	4 *Reg.* 24. 8	M. 3	599
21	*Sedecias*	11	*Ibid verſ.* 18	11	599
Colliguntur ab A. 4. *Salomonis* A. 430. M. 6. Ab *Davidis* initio A. 473. M. 6.		Colliguntur à 4. *Salominis* A. 426. M. 6. Ab *Davidis* initio A. 469. M. 6.		Deſierunt ante *Chriſtum* A. 589.	

Dia-

Diagramma Regum *Iſraëlis* ab anno 1. *Jeroboami*, ſive ab obitu *Salomonis*.

	Reges *Iſraë-lis.*	Anni in Scri-ptura expreſſi.	Loca, unde anni colli-guntur.	Anni Chro nolo-gici.	Anni ante *Chriſtum*, quibus inie-runt.
1	*Jeroboam*	22	3 *Reg.* 14. 20	21	975
2	*Nadab*	2	3 *Reg.* 15. 25	2	954
3	*Baaſa*	24	*Ibid. verſ.* 33	23	953
4	*Ela*	2	3 *Reg.* 16. 8	1	930
5	*Zamri*	D. 7	*Ibid. verſ.* 15	D. 7	929
6	*Amri*	12	*Ibid. verſ.* 23	11	929
7	*Achab*	22	*Ibid. verſ.* 29	21	917
8	*Ochozias*	2	3 *Reg.* 22. 52	1	897
9	*Joram*	12	4 *Reg.* 3. 1	12	896
10	*Jehu*	28	4 *Reg.* 10. 36	28	884
11	*Joachaz*	17	4 *Reg.* 13. 1	16	856
12	*Joas*	16	*Ibid. verſ.* 10	16	840
13	*Jeroboam* II.	41	4 *Reg.* 14. 23	41	824
				Inter-regn. A. 11	78 3
14	*Zacharias*	M. 6	4 *Reg.* 15. 8	M. 6	772
15	*Sellum*	M. 1	*Ibid. verſ.* 13	M. 1	772
16	*Manahem*	10	*Ibid. verſ.* 17	10	771
17	*Phaceja*	2	*Ibid. verſ.* 23	2	761
18	*Phacee*	29	*Ibid. verſ.* 28	20	759
19	*Oſee*	9	4 *Reg.* 17. 1	18	738
	Colliguntur anni 241. *M.* 7. *D.* 7.			Colliguntur anni 253 *M.* 7. *D.* 7.	Deſierunt ante *Chriſtum* 721.

In utraque Regum ſerie, ſi amborum tempora inter ſe conferantur, multa, ut jam dixi, perplexa ſunt in ſacris Libris: ex quibus, prætermiſſis iis quæ faciliorem habent explicationem, præcipua quæque complectar.

Salomon. Igitur *Salomon* anno quarto regni ſui, quadringenteſimo verò & octogeſimo quàm ex *Ægypto* profecti *Palæſtinam* adierunt *Iſraëlitæ*, (*a*) templum ædificare eſt aggreſſus, quod opus (*b*) octavo anno, id eſt ſeptem exactis, cum menſibus circiter totidem, abſolvit, anno Per. *Jul.* 3709. *Salomonis* ipſius undecimo. Cœptum eſt enim anno illius 4. menſe ſecundo, qui eſt proximus à *Niſan*, & *Ijar* appellatur. Perfectum eſt anno undecimo, menſe octavo. Proinde annos 7. menſes totidem ædificatio tenuit. (*c*) Encænia porrò cùm menſe ſeptimo, opere jam abſoluto, celebrata dicantur, videntur anno ſequenti, duodecimo *Salomonis* indicta: qui fuit annus Sabbaticus iniens, Per. *Jul.* 3710. milleſimus ante natalem *Meſſiæ* Regis, cujuſmodi ex *Joſephi* ac *Dionis* Hiſtoria conficitur. Verùm plerique Chronologi ſolemne dedicationis in undecimum ipſum *Salomonis* conferunt: ita ut octavus menſis, quo extrema manus operi impoſita dicitur, ſignificetur excluſus, & operis ipſius pars ſit ejuſdem jam exædificati conſecratio. De quo prudentis Lectoris exiſtimatio ſit.

a 3. Reg. 6. 1.
b 3. Reg. 6. 38.
c 3. Reg. 8. 2.

Regnante *Aſâ* mortuus ſcribitur *Jeroboam* Rex *Iſraëlitarum*, paucíſque pòſt menſibus *Nadab*.

Jeroboam Iſraëlita annis 22. *Nadab* ejus filius duobus regnaſſe proditur: hic verò etiam anno *Aſæ Judæ* Regis altero cœpiſſe. Porrò (*d*) anno 20. *Jeroboami Aſa* iniit. Si anno *Aſæ* 20. *Jeroboamus* regnum auſpicatus eſt, & anno *Aſæ* 2. *Nadabus*, conſequens eſt *Jeroboami* patris 21. *Nadabum* obiiſſe, vel ſaltem 22. Hæc nos ita conciliabimus. Anno *Jeroboami* expleto 20. & ineunte 21. regnum inchoavit *Aſa*: *Jeroboamus* autem integros regnavit annos 21, & pau-

d 3. Reg. 15. 9.

cos de 22. libavit dies: *Nadab* porrò anno 21.
patris ſui adſcitus in regni ſocietatem, unum
cum eo communem habuit annum, alterum
ſolus. Proinde nos *Nadabo* unum duntaxat in
Chronologica ſerie annum imputamus.

Quin etiam neceſſe eſt, eundem illum an-
num *Nadabi* ſecundum, quem & *Jeroboamus*
attigit, *Baaſa*, qui *Nadabo* ſucceſſit, parte
aliquâ communem facere. (*a*) Hic enim 24. an- *a* 3. Reg.
nos regnavit, & *Aſa* tertio cœpit: *Aſa* porrò 15. 33.
Jeroboami 20. Proinde hic ille viceſimus ſecun-
dus *Jeroboami*, à paucis diebus incœptus ab *Je-
roboamo*, ab *Nadabo* & hujus interfectore *Baaſa*
confectus eſt.

Baaſa ſucceſſit *Ela* filius ejus, cujus exor-
dium cum (*b*) *Aſa* 26. componitur. Proinde *Baaſa*, *b* 3. Reg.
qui 3. *Aſa* cœpiſſe dicitur, non integros ſolus 16. 8.
explevit 24. ſed ultimi partem *Ela* ſibi vendi-
cat. Quocirca *Baaſa* in Chronologica ſerie 23.
annos adſcripſimus. Igitur anno *Aſa* 26. quar-
to & viceſimo *Baaſa*, eo mortuo regnavit *Ela*,
qui ſequente *Zambri* inſidiis oppreſſus eſt. (*c*) *c* 3. Reg.
Aſa 27. (*d*) *Zambri* verò poſt 7. dies interfecto, 16. 10.
regnum occupavit *Amri*. (*e*) Eodemque tempore *d* ibid. verſ. 15.
Thebni filius *Geneth* ab altera factione renuntia- *e* Comm.
tus eſt. Unde (*f*) non ante 31. *Aſa* primordium 21.
Amri ponitur: quòd anno quarto poſt mortem *f* Comm.
competitoris ſolus *Iſraëlitis* imperavit. At 23.
enim *Baaſa* (*g*) anno 36. *Aſa* bellum ei intuliſſe *g* 2. Pa-
legitur; quinam ergo ejuſdem *Aſa* 26. mortem ral. 16. 1.
obiit? Huic à pleriſque ſic occurritur; triceſi-
mum ſextum regni *Aſa* nominari in 2. *Pa-
ralipomenon*, non ex quo primùm *Aſa* regnare
cœpit, ſed ex quo bifariam diviſum eſt *Hebræo-
rum* imperium; quod ſubinde poſt *Salomonis*
mortem accidit. Itaque fuit annus iſte ab initio
Aſa 16. ab *Roboami* exordio 36.

Joſaphat (*h*) anno *Achabi* 4. orſus eſt regnum: *h* 3. Reg.
Achab (*i*) verò anno *Aſa* Regis *Juda* 38. Ita mor- 22. 41.
tuus eſt *Aſa* anno *Achabi* 4. nam 41. annos *i* Ibid.
regnavit. Itaque anno *Aſa* patris 41. & quarto 6. 29.

Achabi

deſinentibus, evectus eſt ad regnum *Joſaphat*: ut primus hujus cum majori parte quarti *Achab* congruat.

a 3. Reg. 16 23. Sed quod *a Achabum* ipſum attinet, hujus pater *Amri* 12. annis præfuit *Iſraëlitico* regno, cœpitque *Aſæ* anno 27. ut paulò antè ſtatuimus. Igitur obiit anno 38. ejuſdem *Aſæ*, & eodem cœpit *Achab*. Ideo in ſerie Chronologica annos tantùm 11. *Amri* tribuimus.

b 3. Reg. 22. 52. *c* 3. Reg. 16. 29. *Ochoſiam* filium habuit *Achab*, *b* qui anno 17. *Joſaphati* regnum auſpicatus eſt, ac biennio regnavit. *c* Porrò *Achab* 22. annos regnavit & quarto ejus anno *Joſaphat* cœpit, ut jam diximus, vel ineunte quinto. Proinde *Achab* obiit anno *Joſaphati* 18. *Ochoſias* autem *Achabi* filius anno eodem patris 22. & *Joſaphati* 18. Quocirca non plenos 22. *Achabo* concedimus, ſed ultimi particulam, quam *Ochoſias* ejus filius explevit. Ita ambo iſti non 24. ſed 22. annos exegerunt.

De *Joramo* utroque, altero *Joſaphati*, altero *Achabi* filio, & *Ochoſiæ* fratre, ſimilis ænigmatis oritur quæſtio. Nam *Achabi* filius *d* anno 18. *Joſaphati* cœpiſſe memoratur, & idem tamen *e* alibi iniiſſe fertur anno *Jorami Judæ* Regis ſecundo. Hoc modo anno patris ſui *Joſaphati* 17. *Joram* Rex *Judæ* cœperit, mortuuſque ſit anno altero ante *Joſaphati* patris obitum; cui Scriptura reclamat. Quin ipſe *Joramus* Rex *Judæ* regnare cœpit *f* anno quinto *Jorami* Regis *Iſraëlis*. Hæc ἀπορα Scripturæ ita ſolvimus, ut *Joramum Joſaphati* filium quatuor annis circiter, hoc eſt triennio ſolido cum aliquot menſibus, commune putemus habuiſſe cum patre regnum: puta anno *Joſaphati* 22. cœpiſſe: quo mortuo quatuor alios adjecit; nam octo regnavit annos. At *Joramus Iſraëlita* poſt fratris *Ochoziæ* mortem non ſtatim popularibus ſuffragiis regnum adeptus eſt: ſed ſex circiter vicariam regni præfecturam habuit, donec legitimis comitiis à populo renuntiatus eſt. Ab anno ita-

d 4. Reg. 3. 1. *e* 4. Reg. 1. 17. *f* 4. Reg. 8 16.

que *Joſaphati* 18. ad ineuntem 24. Proregis titulo præfuit; cùm ſecundus *Jorami Judæ* Regis eſſet in curſu; ex quo ſcilicet à patre *Joſaphato* in conſortium acceptus eſt. Qui viciſſim anno ejuſdem *Joſaphati* patris 22. cœpiſſe narratur, quinto *Jorami* alterius *Iſraëlitæ*, ſi ab *Ochoziæ* morte computentur anni.

Annus primus *Joſaphati* eſt *Jul.* Per. 3800. *Jorami* verò fratris *Ochoziæ* vicariæ præfecturæ primus incurrit in annum 3817. ineunte *Joſaphati* 18. Porrò *Joram* filius *Joſaphati* in regni conſortium adſcitus eſt à patre anno Per. *Jul.* 3821. quinto ineunte *Jorami* alterius; qui anno 3822. aut ſequente, Rex à populo legitimis comitiis inſtitutus eſt, cùm ſecundum ageret *Joramus Joſaphati* filius.

De *Ochozia Judæ* Rege perplexum quiddam ſacris Libris proditum eſt. Nam pater illius *Joramus a* anno ætatis 32. regnare cœpit, & octo regnavit annis. Igitur anno quadrageſimo ætatis ſuæ obiit. At *Ochozias* cùm regnare cœpit *b* annos natus erat duos & quadraginta, & anno uno regnavit. Biennio itaque ante patrem ortus eſt. Quare neceſſe eſt in *Hebræis* codicibus numerum eſſe corruptum, atque in 2. *Paralipomenon*, itidem ut in 4. *Reg. cap.* VIII. 25. pro 42. legendum 22. quod in *Sixtiana* editione LXX. Interpretum loco illo libri *Paralipomenon* habetur. *Ochozias Rex Judæ.* *a* 4. Reg. 8. 7. *b* 2. Paral. 22. n

Poſt *Ochoziam Judæ* Regem mater ejus *c Athalia* tyrannidem occupavit annis 6. Excepit hanc *Joas Ochoziæ* filius, *d* regnavitque annis 40. cujus anno 22. obiit *Jehu* Rex *Iſraëlitarum*. Quippe *e Joachazus Jehu* filius anno *Joaſi Judæ* Regis exceſſit. *f Joas* verò cœpit anno *Jehu* 7. *Joaſo* ſucceſſit *Amaſias* ejus filius, *g* imperavitque annos 29. ac ſecundo anno *Joaſi* filii *Joachazi Iſraëlitæ* Regis obiit. *h Joas* iſte anno *Joaſi* alterius *Judæ* Regis 37. cœpit, ac 16. regnavit annis. Igitur ſi *Joas Iſraëlita* regnum orſus eſt anno *Joaſi Judæ* Regis 37. ejus ſecun- *c* 4 Reg. 11. 1. *d* 4 Reg. 12. 1. *e* 4. Reg. 13. 1. *f* Ibid. cap. 12. 1. *g* 4. Reg. 14. 1. & 2. *h* 4. Reg. 13. 10.

 dus

dus annus erit *Joaſi Judæ* Regis octavus & triceſimus. Eſt autem ſecundus *Joaſi Iſraëlitæ* primus *Amaſiæ*. Quare *Amaſias* cœperit an-
a 4.Reg. no patris *Joaſi* 38. (*a*) Ad hæc *Amaſias* vixit
14. 17. annis 15. poſt mortem *Joaſi Iſraëlitæ*. Mortuus
b 4.Reg. eſt igitur anno *Jeroboami*, ejus filii, 15. (*b*) At-
15. 1. qui *Azarias* ſive *Ozias Amaſiæ* filius cœpiſſe di-
c 4. Reg. citur *Jeroboami* 27 (*c*) & *Zacharias Jeroboami*
15. 8. filius anno *Azariæ* 38. (*d*) *Sellum* deinde, ac
d Ibid. verſ. 13. *Manahem* anno *Azariæ* 29. Porrò ſi *Azarias*
& 17. iniit *Jeroboami* 27. ultimus illius (*e*) (regnavit
e 4. Reg. autem annos 52.) incidet in quartum *Oſee*
15. 2. Regis *Iſraëlitæ*, ut ex annis *Iſraëlitarum* Regum in laterculo ſuprà poſitis apparet. At
f 4. Reg. hoc abſurdiſſimum eſt. (*f*) Nam *Oſee* cœpit
17. 1. anno *Achazi* nepotis *Azariæ* 12. & præterea *Phaceja*, qui duodecimo ferè anno poſt obitum *Jeroboami* ejus nominis ſecundi *Iſraëlitarum*
g 4. Reg. Regis iniit, cœpit (*g*) anno 50. *Azariæ*: &
15. 23. *Phacee*, qui *Phacejæ* ſucceſſit, (*h*) anno *Aza-*
h Ibid. verſ. 17. *riæ* 52.

Nos hæc ita invicem concilianda credimus. *Joachaz* anno regni ſui quinto decimo, qui fuit *Joaſi Judæi* 37. conſortem adhibuit regni filium *Joaſum*, illius cognominem, cum eoque biennio regnavit. *Joachazo* vitâ functo, *Joaſus* ejus filius anno *Joaſi Judæi* 39. novum regnandi cepit exordium. Inde accidit, ut ejus anno ſecundo, mortuo *Joaſo*, qui annis 40. præfuit, ſucceſſerit *Amaſias*.

Sic *Jeroboami* ſecundi duplex initium fuiſſe conjicimus. Primum à patre *Joaſo* in communionem adſcitus eſt regni anno circiter illius ſexto, qui fuit *Amaſiæ* quartus; ſiquidem *Joaſi Iſraëlitæ* ſecundo anno cæpit *Amaſias*, ut paulò antè diximus. Ita undecim annis cum *Joaſo* parte regnavit *Jeroboam*: eoque mortuo, & *Amaſiæ* quinto decimo, novum imperii primordium habuit, à quo 41. ejus anni proficiſcuntur. Porrò *Amaſias*, qui undetriginta regnavit annis, obiit exeunte anno 15.

Jero-

Jeroboami à poſteriore initio, qui 26. â priore numerabatur. Hinc *Azarias* filius *Amaſiæ* anno 27. *Jeroboami* regnaſſe legitur.

Annus itaque 41. & ultimus *Jeroboami* incurrit in *Azariæ* 26. Verùm poſt illius obitum interregnum fuit apud *Iſraëlitas* annorum circiter duodecim, à 27. *Azariæ* ad 38. Siquidem anno 38. *Azariæ*, Jeroboami filius *Zacharias* regnum adiit, ut ſuprà demonſtravimus; (*a*) à quo deinceps reliqui; *Sellum* menſe unico; qui cum *Azariæ* 39. componitur, eodemque *Manahem* cœpit, qui decem annos regnavit. Quare anno expleto 38. *Azariæ*, & inchoato 39. exorſus eſt *Zacharias*: tum *Sellum*. *Manahem* verò ſub initium quadrageſimi cœpit; *Phaceja* anno ejuſdem *Azariæ* 50. *Phacee* denique anno ejus ultimo, & 52. Jam verò (*b*) ſecundus annus *Phacee* primus eſt Joathami filii *Oziæ Judæ* Regis, qui 16. regnavit annis. Proinde anno *Phacee* 17. deſiit. Verùm (*c*) hoc ipſo 17. *Phacee* cœpit *Achaz* Joathami filius. Primus ergo *Achazi* annus communis ipſi cum patre fuit: atque idcirco de annis 16. *Joathami*, vel *Achazi*, unus detrahendus eſt. Nos *Achazo* non hunc tantùm, ſed alterum etiam adiminus. Id enim *Oſee* & *Ezechiæ* primordia poſtulare videntur.

Quippe (*d*) anno viceſimo Joathami regnare cœpit *Oſee* poſtremus Rex *Iſraëlitarum*, hoc eſt *Achazi* Regis Judæ 4. Nam Joathamus haud ampliùs ſedecim præfuit. At idem *Oſee* rurſus (*e*) anno duodecimo *Achazi* regnaſſe dicitur, novemque anni illi tribuuntur. (*f*) Ad hæc *Ezechias* anno *Oſee* tertio cœpiſſe fertur. Itaque duplex regni auſpicium habuit *Oſee*: alterum ab anno *Achazi* 4. uſque ad 12. in quo nonum annum attigit. Exinde novum initium regnandi fecit ab anno 12. ejuſdem *Achazi* jam finito & inchoato 13. cujus poſterioris regni anno tertio, hoc eſt *Achazi* patris ineunte decimo ſexto, regnavit *Ezechias*. Quocirca

Chro-

a 4. Reg. 15.

b 4. Reg. 15. 32.

c 4. Reg. 16. 1.

d 4. Reg. 15. 30.

e 4. Reg. 17. 1.

f Ibid. cap. 18.

Chronologicos annos *Achazo* 14. haud amplius adſcribimus. Nam de ſedecim, quos ei Scriptura tribuit, primum *Joathamo* ejus parenti, ultimum *Ezechiæ* filio concedimus. *Oſee* porrò in totum 17. vel 18. annos *Iſraelitarum* rexit populum; ab anno ſcilicet *Achazi* quarto, ad *Ezechiæ* 6. quo ab *Aſſyriis Iſraëlitarum* exſtinctum eſt regnum. In reliquis *Judæ* Regibus nulla vehementior eſt temporum quæſtio, præterquam de ſeptuagenaria ſervitute ab *Jeremia* prædicta: de qua nonnulla dicentur.

CAPUT XII.

De ſeptuagenariæ ſervitutis annis, quos Hieremias *Propheta prædixit.*

Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 22. & ſeq. a Hier. 25. 10.

JUdæorum ſervituti annorum 70. ſpatium (*a*) præfinit *Hieremias*; qui tam *Hebræos* ipſos, quàm vicinos circùm populos à *Nabuchodonoſoro* Rege *Chaldæorum* opprimendos ait ſervitute miſerrimâ annis ſeptuaginta. Id autem vaticinium editum eſt anno 4. *Joakimi*, primo *Nabuchodonoſori*; paulò antè quàm *Joakimus* in illius poteſtatem veniret, ac ſtipendiarius fieret. Ejuſdem intervalli fit & capite 29. mentio ſub id tempus, quo *Jechonias* in *Babylonem* ductus eſt. Item poſt æquatam ſolo *Hieroſolymam* terra dicitur egiſſe ſabbata ſua, id eſt vaſtitate ac ſolitudine damnata eſſe, donec implerentur anni 70. Denique *Daniel cap.* 9. *deſolationis ſeptuaginta annos* ab *Hieremia* conſtitutos refert ad id tempus, quo calamitati illi modus adhiberetur. Tria ſunt igitur tempora, unde duci poteſt ſeptuagenarii illius intervalli principium. Nos verò ex omnibus primum jure deligimus; atque ab anno 4. *Joakimi*, *Nabuchodonoſori* primo, deducimus. Quod ex *Jeremiæ* verbis *cap.* 25. haud obſcurè conficitur. Non enim ſpatium iſtud *Hieroſolymorum*

2. Paral. 36. 20.

tan-

tantummodo ac templi vaſtitati præſtituit; neque *Judæorum* exſilio, ut complures exiſtimant: ſed tam horum, quàm circum fuſarum nationum ſervituti, *Ammonitarum*, *Palæſtinorum*, *Moabitarum*, *Idumæorum*, aliorumque, quos omnes primo ipſo in *Syriam* adventu ſuo *Nabuchodonoſorus* ditioni paternæ ſubjecit, ut ex *Beroſo* poſtea declarabitur. At, quod *Judæos* ipſos attinet, etſi ab *Aſſyriis* & *Chaldæis* aliàs antè vexati populatique fuerant, nondum tamen perpetua iis erat impoſita ſervitus cum tributi annui pactione: ab illo verò quarto anno *Joakimi*, libertate penitus amiſsâ, *Babylonio* Regi, uſque ad *Cyri* tempora, deinceps ſubjecti ſunt. Ideo memorabilis epocha illa fuit *Judaïcæ* ſervitutis, & libertatis *Judæ* Regibus ac populo ereptæ, quæ ut antè non acciderat, ita poſtea propagata, majora paulatim incrementa cepit.

Definit autem intervallum illud in primum annum *Cyri*, non quo regnare cœpit, ſed quo, *Babyloniâ* ſubactâ, *Judæis*, qui illic attinebantur, edicto ſuo redeundi poteſtatem tribuit; quod anno Per. *Jul.* 4176. eveniſſe poſtea docebitur. Quartus annus *Joakimi* fuit Periodi *Julianæ* 4107. Ablatis ergo 4106. de 4176. reliqui ſunt ſeptuaginta. At initium *Perſici* regni annus eſt Periodi *Jul.* 4155. ad quem anni ab *Joachimi* quarto non plures ſunt, quàm 22. Multò minùs reſpondebunt ſpatia, ſi ab *Jechonia*, vel excidio & clade *Sedeciæ* ducatur exordium. Quare ne aliunde quidem licet, quàm ab quarto *Joakimi*, ſeptuaginta iſtos annos evolvere, ſi certam *Babyloniorum*, *Perſicorum*, ac *Judaïcorum* temporum rationem admittimus, quam, cùm de prioribus duobus agetur, validiſſimè ſtatuemus. Quæ verò contra nos opponi ſolent, ea in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 24. diſſolvimus.

,, *De ſeptuaginta ſervitutis annis, déque*
,, *duplici Nabuchodonoſoris initio.*

,, SEptuaginta ſervitutis Judaïcæ anni, quo-
,, rum ſæpius meminit Scriptura, ab anno
,, quarto Joakimi, primo Nabuchodonoſoris,
,, incipiendos eſſe ſuprà diximus, & ſuadent
,, Hebræi omnes, itemque Theodoretus, Lira-
,, nus, Petavius, Uſſerius, & alii quibus aſſen-
,, tiri par eſt, ſi Prophetæ verba diligentius at-
,, tendantur, quæ paulo antequam Judæus Rex
,, in Babylonici poteſtatem veniret, ac ſtipen-
,, diarius ejus fieret prolata ſunt. *Pro eo quod*
,, *non audiſtis verba mea, ecce ego mittam & aſ-*
,, *ſumam univerſas cognationes Aquilonis, ait Do-*
,, *minus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſer-*
,, *vum meum: & adducam eos ſuper terram iſtam,*
,, *& ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes na-*
,, *tiones quæ in circuitu ejus ſunt ... & erit uni-*
,, *verſa terra hæc in ſolitudinem & ſtuporem, &*
,, *ſervient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptua-*
,, *ginta annis.* Hier. 25. 9. 11.

,, Nam etſi Judæi ab Aſſyriis & Chaldæis
,, aliàs ante vexati fuerant, nondum tamen
,, perpetua eis erat impoſita ſervitus, cum tri-
,, buti annui pactione. Ab illo vero quarto an-
,, no Joakimi, libertate penitus amiſſâ, Baby-
,, lonis Regi uſque ad Cyri tempora deinceps
,, ſubjecti ſunt. Ideo memorabilis epocha illa
,, fuit Judaïcæ ſervitutis & libertatis ereptæ,
,, quæ ut antè non acciderat, ita poſtea propa-
,, gata majora paulatim incrementa cepit, do-
,, nec Dominus ſuſcitaret ſpiritum Cyri Re-
,, gis Perſarum, quem eo præſertim conſilio
,, ad regium faſtigium evexerat, ut populum
,, ſuum libertate donaret. Id autem factum eſt
,, eo anno, non quo primùm Imperator decla-
,, ratus eſt Cyrus in Perſide, ſed quo poſt ſub-
,, actam Babylonem, & mortuum Darium
,, Medum, ſive Cyaxarem avunculum ſuum,
,, ac Cambyſem patrem vitâ functum, Orien-

,, tis

tis monarchiæ ſolus potitus eſt ; à qua & "
ἀρχῆς illius annos 7. in Inſtit. lib. 8. denu- "
merat Xenophon, & primum illius annum "
ex ipſis Medorum & Perſarum archivis ſa- "
cra deducit Scriptura. Hoc enim anno cele- "
bre illud edictum promulgatum eſt cujus "
initium : hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: om- "
nia regna terræ dedit mihi Dominus cœli 2. "
Paral. 36. 33. & 1. Eſdræ 1. 2. Et autem is "
annus, ut poſtea declarabitur in Per. Jul. "
4176. quartum autem Joakimi annum eſſe "
4106. patet ex dictis ſuprà allatis; ergo 4106. "
de præcedenti numero 4176. reliqui fient ſe- "
ptuaginta illi anni de quibus agimus. "

Porro quod diximus annum primum Na- "
buchodonoſoris:cum Joakimi quarto concur- "
rere, habeturque Jerem. 25. 1. non ſic accipi "
volumus, ut de eo anno quo ſolus poſt mor- "
tem patris Nabopolaſſari regnavit, intelliga- "
tur : ſed de eo quo in ſocietatem regni aſſum- "
ptus à patre cum parte exercitus adverſus re- "
bellem Cœleſyriæ Satrapam miſſus, ut ex Be- "
roſo referunt Joſeph. Antiq. lib. 10. cap. 1. "
& 1. contra Appion. & Euſebius libr. 9. de "
Præpar. in Judæam quoque aſcendit ſervum- "
que ſibi Joakim effecit, ut eſt 4. Reg. 24. 1. "
ac Dan. 1. 1. "

Duplex enim ex ipſa Scriptura ſtatuendum "
eſſe Nabuchodonoſoris initium nemo negabit "
ut opinor, qui dictum Jeremiæ locum cum "
Danielis 1. 1. & 2. 1. contulerit. Nam cum "
dicatur Danielis 1. 1. Nabuchodonoſor veniſſe "
in Jeruſalem anno 3. (deſinente) regni Joa- "
kim, ſive ut eſt Jeremiæ 25. 1. quarto (in-
eunte) quem Hieremias cum Nabuchodono- "
ſoris primo conjungit. Qui hoc cum eo quod "
Daniel ait cap 2. conveniet, ſe nimirum Na- "
buchodonoſoris anno ſecundo explicaſſe ſom- "
nium de ſtatua; niſi duplex ejus regni initium "
conſtituamus. Non potuit enim id quod de "
ſe "

ſe teſtatur Daniel anno 2. ab capto Jaakimo "
contigiſſe, ſiquidem ut demus eum eodem an- "
no tranſlatum Babylonem, tribus tamen an- "
nis enutritus & formatus fuit antequam ſte- "
terit coram Rege, ut exprimitur cap. 1. 5. "

Quæ verò in opinionis contrariæ propu- "
gnationem affert Labbæus in priore editio- "
ne Concordiæ Chronologicæ, ea ſunt mini- "
mi facienda, nec abducere nos poſſunt à Pe- "
tavii, & aliorum Chronologorum ſenten- "
tiâ. Illa refellere hîc animus non eſt, cum "
antequam à Labbæo propugnata fuerit hæc "
ſententia, ejus momenta everterit Peta- "
vius, in libro duodecimo de Doctrinâ Tem- "
porum capite trigeſimo quarto. "

CAP. XIII.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 62.

De Tyriorum *Regibus*, *deque* Tyri & Carthaginis *conditu*.

JOſephus libro 1. contra Appionem, ex Archivis *Tyriorum* atque ex *Dii*, & *Menandri* libris, *Tyriorum* aliquot Regum ſeriem refert, quorum notitia Hiſtoriæ ſacræ profanæque lucem poteſt afferre. Eſt autem ſeries duplex, priorum videlicet Regum, atque poſteriorum. In priori, poſt *Abibalum*, *Hiramus* ejus filius ponitur; quo cum *Davidi* & *Solomoni* amicitia fuit, cui (*a*) annos regni tribuunt triginta quatuor. *Joſephus* anno ipſius 11. cœptam eſſe templi exædificationem aſſerit, quamvis *lib.* 1. *contra Appionem* duodecimum ponat. Sed in eo falſus eſt *Joſephus*, & qui hunc ſecuti ſunt: nec non Annales *Phœnicum*, qui non plures quàm 34. annos imputant. Etenim ex Hiſtoria ſacra (*b*) liquet, *Hiramum* ſub id tempus, quo *David*, mortuo *Isboſetho*, totius *Judaïci* nominis principatum obtinuit, jam in *Tyro* regnaſſe, ac *Davidi* familiarem fuiſſe. Id autem anno circiter 8. vel. 9. poſtquam à *Judæ* tribu inunctus erat, accidit; à quo ad templi conditum anni ſunt 36. vel 37. Atqui poſt templum operaque cætera ab *Salomone* perfecta,

(*a*) Joſeph. Antiq. 8. 2.

Error Ioſephi.

(*b*) 2. Reg 5. & 1. Paral. 14.

adhuc in vivis erat hoc [a] eſt anno *Salomonis* 23 (*b*) ſiquidem domum ſuam, quam poſt templum 13. annis exſtruxit, abſoluto jam templo condidit; imò longiùs etiam ſuperſtes fuit, ut ex Scriptura conſtat. Sanè vitari non poteſt, quin anno ſaltem viceſimo *Salomonis* vixerit *Hiramus*. Quippe (*d*) expletis viginti annis, *poſtquam ædificavit* Salomon *domum Domini & domum ſuam*, viginti civitates *Hiramo* dedit; tametſi haud adeo certò tempus concipi poſſit. Sed de viceſimo anno indubitata res eſt, ſive ab initio regni *Salomonici*, ſive à jactis templi fundamentis putatur. Quare graviſſimus iſte eſt hactenus Annalium error. Etenim 53. annos regnavit, ut minimum, *Hiramus*; videlicet ab 8. *Davidis*, ad 20. ſaltem ejus filii *Salomonis*. Quòd ſi anno regni 23. aut 24. ædificia ſua *Salomon* abſolverit, ad 56. aut 57. annum pervenit *Hiramus*; quod in *Chronico libri* 13. *de Doct. Temp.* ſecuti fuimus. Ita anno *Hirami* 37. non 11. vel 12. *Salomon* templi fundamenta poſuit. Non enim fingi poteſt alter ejuſdem nominis, qui *Davidis* amicus à poſteriore diverſus fuerit, qui *Salomonis* ætate vixit. Ejuſmodi enim nullus in ſerie *Tyriorum* Principum ponitur. Ac præterea eumdem illum *Hiramum*, (*e*) *qui* Davidis *amicus fuerat omni tempore*, *Salomoni* opem navaſſe, Scriptura demonſtrat. Nunc Regum ſeriem hîc deſcribemus, cum annis ſingulorum ex *Phœnicum* Annalibus depromptis: niſi quòd *Hiramo*, iis, quas dixi, de cauſſis, non 34. annos, ſed 56. aſſignavimus.

a 3. Reg. 9 & 2. Paral. 8.
b 3. Reg. 7.
c 3. Reg. 9. 27.
d 3. Reg. 9. 10. & 2. Paral. 8. 2.
e 3. Reg. 5. 1.

Laterculum Regum *Tyri* priorum.			
		Anni regni.	Initium in annis Per. *Jul.*
1	*Abibalus*	00	000
2	*Iromus*	56	3666
3	*Baleazarus*	7	3722
4	*Abdaſtratus*	9	3729
5	*Nutricis Abdaſtrati filius*	12	3738
6	*Aſtartus*	12	3750
7	*Aſerymus*	9	3762
8	*Pholes*	M. 8.	3771
9	*Ithobalus Aſtartæ Sacerdos*	32	3772
10	*Badezorus*	6	3804
11	*Margenus*	9	3810
12	*Pygmalion.*	47	3819
Deſiit *Pygmalion* anno 3866.			
Colliguntur anni, quibus regnarunt, 199. M. 8.			

Ithobalus ille eſt ipſe, cujus filiam *Jezabelem* (*a*) duxit impius *Achab*; & ſanè tempus mirificè congruit.

(a) 3. Reg. 16. 31. Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 63.

Poſteriorum *Tyri* Regum, qui circa *Nabuchodonoſori* & *Cyri* tempora vixerunt, meminit ex *Tyriorum* Annalibus *Joſephus* eodem *libro contra Appionem*. Sed obſcurè tempus illorum concipit, quod tamen ex ejus verbis haud levi conjecturâ ſic extricabimus, ut in ſequenti laterculo vides.

Poſte-

Poſteriorum Regum *Tyri* catalogus.

		Anni regni.	Initia in Per. *Jul.*
1	*Ithobalus*	24	4116
2	*Baal*	10	4140
3	*Ecnibalus*	M. 2.	4150
4	*Chelbes*	M. 10.	4150
5	*Abbarus Pontifex*	M. 3.	4151
6	*Mytgonus* }		
7	*Geraſtratus* }	6	
8	*Balatorus*	1	4157
9	*Merbalus*	4	4158
10	*Iromus*	20	4162

Anno *Ithobali* ſeptimo *Tyrum* obſidere cœpit *Nabuchodonoſor*, ut ex *Joſephi* verbis, quamlibet depravatis, *libro* 1. *contra Appionem* (*a*) oſtendimus. At verò anno 14. *Iromi Cyrus Babylone* potitus eſt, eodem teſte. Intervallum à ſeptimo *Ithobali* ad decimum quartum *Iromi*, anni 54. M. 3. ut putant Annales *Tyrii*, & ex his *Joſephus*. Ab initio verò *Baalis* ad 14. *Iromi*, anni intercedunt 36. menſeſque tres. Quippe horum omnium Regum, præterquam *Ithobali*, annos expreſſit *Joſephus* ex Archivis *Tyriorum*. Si de annis 54. ac 3. menſibus detrahas annos 36. menſeſque tres, reſidui erunt octodecim anni ſolidi, à ſeptimo *Ithobali* ad ejus obitum. Quocirca quatuor & viginti regnavit annis, quot in laterculo poſuimus. Jam verò *Babylone* primùm potitus eſt *Cyrus* anno Periodi *Jul.* 4176. ut demonſtrabitur. Detractis 54. annis, menſibuſque tribus, relinquetur annus labens è Periodo *Jul.* 4122. in quem ſeptimus incurrit *Ithobali*; idemque eſt *Nabuchodonoſori* 16. & primus obſidionis *Tyriæ*, quod paulò pòſt ſuadebitur. Ergo cœpit *Ithobalus* anno Per. *Jul.* 4116.

(*a*) Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 63.

Ex

a Joſeph. Antiq. l. 2. Ex iiſdem *Tyriorum* Annalibus refert *Joſephus* (*a*) *Tyrum* habitari cœpiſſe annis 240. ante templi conditum, qui incidit in annum Per. *Jul.* 3702. Quocirca *Tyrus* frequentari cœpit incolis ſub annum ejuſdem Periodi 3462. mundi 2732. *Gedeonis* tempore.

Carthaginis conditus. Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 63. *Tyriorum* colonia *Carthago* fuit: de cujus origine mira eſt in Hiſtoria varietas opinionum: quæ ex eo videtur orta, quòd urbs iſta paulatim ac per partes exſtructa & amplificata fuerit. Itaque alii *Trojano* bello antiquiorem illius originem faciunt annis vel triginta, ut *Philiſtus* apud *Euſebium* in *Chronico*, vel quinquaginta, ut *Appianus* initio *Africanæ*: utrobique *Zorus* & *Carchedon* condidiſſe dicuntur. b Apud Joſeph. lib. 1. contra Appion. Alii *Troicis* rebus poſteriorem memorant (*b*) *Phœnicum* Annales, ex iiſque *Menander*, *Pygmalionis* anno ſeptimo *Didonem Tyro* profectam in *Africa* condidiſſe *Carthaginem* referunt. Is eſt annus Periodi *Jul.* 3825. quod ex iis conſtat, quæ de *Hirami* tempore paulò antè attigi. Quippe anno *Davidis* octavo, Periodi *Jul.* 3666. jam *Tyriis* regnabat: pervenitque, ut minimum, ad *Salomonis* viceſimum, & annum Per. *Jul.* 3722. ac 56. annos explevit. Exinde Reges cæteri, ex *Joſephi* & Annalium *Tyriorum* calculo, ad uſque *Pygmalionis* ſeptimum, annos exhibent 103. menſes 8. qui in annum perficiunt Periodi *Jul.* 3825. qui eſt ab excidio *Trojano* 296. ante primam Olympiadem, 114. *Romam* verò, 137. quam ſententiam, ut probabiliorem cæteris, amplectimur. Non tamen *Joſepho*, ſive iiſdem illis Annalibus, aſſentimur, quatenus ab initio *Hirami* ad ædificationem *Carthaginis* annos numerant 155. menſes 8. & ab jactis *Salomonici* templi fundamentis ad eamdem *Carthaginem* annos 143. menſes 8. quaſi anno *Hirami* undecimo *Salomon* ædificare cœperit. Huic enim Scriptura penitùs adverſatur. Licet tamen numerum hunc annorum 144. inter templi & *Carthaginis* initia hoc tueri modo,

do, ut principio arcem duntaxat *Tyrii* condiderint, quàm *Botſram* nominarunt; *Græci Byrſam*: poſt annos deinde 21. *Carthadam*, ſive *Carthaginem*. Annus conditi ab *Salomone* templi fuit *Hirami* 37. ut ſuprà declaratum eſt. Inde ad ſeptimum *Pygmalionis* anni ſunt 122. menſes 8. reliqui ſunt ad complendum inter- Solin. vallum *Joſephi* anni 21. cap. 30.

Ab hac opinione noſtra haud longè *Solinus* abſceſſit, qui *Carthaginem* poſt annos 737. quàm condita fuerat, everſam aſſerit. Exciſa porrò eſt anno U. C. 608. *Lentulo* & *Mummio* Coſſ. Per. *Jul.* 4568. de quo demptis 737. reſtat annus Per. *Jul.* 3831. ante urbem *Romam* 131. At *Juſtinus* annis ante eamdem *Romam* 72. *Vellejus* 65. *Dionyſius Halicarnaſſenſis* ex *Timæo*, ante primam Olympiadem annis 38. qui ſunt ante *Romam* circiter 162.

Botſram à *Pœnis* arcem dixi nominatam *Hebraïco* vocabulo בצרא; pòſt *Carthadu* vocata eſt, ait *Solinus*, quam *urbem novam*, hoc eſt νεάπολιν interpretatur. קרת חדתא. Ex Appian. *Boſra Græci* Βύρσαν fecere, quod *'ricoum* ſignifi- init. Pun. cat, atque ex fabula duxere appellationis originem, quam *Virgilius* ſecutus eſt.

CAPUT XIV.

De *Lycurgi* ætate, ac *Medorum* & *Macedonum* regnis.

LYcurgus Lacedæmoniorum Legiſlator quâ tempeſtate floruerit, dici pro comperto non poteſt; ita diverſæ ſunt de eo Priſcorum ſententiæ, quas Vitæ ejus initio *Plutarchus* attigit. *Herodotus* imprimis *Leobotæ* Regis tutorem illum ait fuiſſe; qui in *Euryſthenidarum* familia quartus ab *Euryſthene* cenſetur, atque ab *Euſebio* regnâſſe perhibetur anno *Abraami* 994. qui ſit Periodi *Jul.* 3691. ante primam Olympiadem circiter 248. Sunt qui æqua-

lem faciant *Iphiti*, à quo prima inſtaurata eſt Olympias. Sic *a)* *Athenæus*, & *(b)* *Pauſanias*. Plerique *Charilai Polydecti* filii, ex *Proclidarum* familia, tutorem exſtitiſſe putant. Ita *Plutarchus*, & *Juſtinus*. *Eratoſthenes* apud *Clementem Alexandrinum* anno poſt *Trojæ* cladem uno minùs 300. ante primam Olympiadem octavo & centeſimo *Lycurgi* tutelam adſcribit; qui eſt annus Per. *Jul.* 3830.

a Lib. 14.
b Eliac. 1. p. 150.

Medorum primordium congruit anno 100. ante primam Olympiadem. Quod in hunc modum probatur. *Cteſias* apud *Diodorum libro* 2. *Medorum* ab *Arbace* Regum ſeriem ita deſcribit.

Medorum Regum ſucceſſio è *Cteſia*.

	Reges	Anni regni.	Anni Periodi *Jul.* quo cœperunt.
1	*Arbaces*	28	3838
2	*Mandauces*	50	3856
3	*Soſarmus*	30	3916
4	*Artycas*	50	3946
5	*Arbianes*, qui & *Cardiceas*	22	3996
6	*Arſaces*, qui & *Dejoces*	40	4018
7	*Artynes*, qui & *Phraortes*	22	4058
8	*Aſtibaras*, qui & *Cyaxares*	40	4080
9	*Apandas*, qui & *Aſtyages*	35	4120

Colliguntur anni 317.

Aſtyagis annos prætermiſſos à *Cteſia* ex *Herodoto* ſupplevimus. Igitur *Aſtyages* poſtremus

mus *Medorum* Principum ab *Cyro* nepote exutus imperio eſt anno primo Olympiadis 55. ut poſtea demonſtrabitur; hoc eſt anno Per. *Jul.* 4155. de quibus ſi annos 317. detrahas, reſiduus erit annus Per. *Jul.* 3838. Porrò *Cyri* primordium, & *Aſtyagis* exitus demonſtratione conſtat, quam ſuo loco proponemus. Proinde rectè conſtitutum à nobis eſt regni *Medorum* exordium ex hiſtoria *Cteſiæ*, quem cæteris, qui eadem de re ſcripſerunt, fide digniorem meritò *Diodorus* exiſtimat, quoniam apud *Perſas* in *Artaxerxis Mnemnonis* comitatu vixit annis pluribus, & ex Archivis *Medorum Perſarum*que ſe ea, quæ memoriæ prodidit, hauſiſſe profitetur. At *Herodotus Medorum* Reges quatuor duntaxat enumerat, quorum primus eſt *Dejoces*; eoſque annis 150. regnaſſe perhibet. *Euſebius* annos huic regno dat 259. *Juſtinus* 350. *Agathias* è *Cteſia*, ἔτη οὐ μεῖον ἢ τριακόσια, *non pauciores trecentis annos* expleſſe ſcribit.

Macedonum regnum, ab *Carano Phidonis Argivi* fratre cœptum, haud dubio exitu terminatur: ſed initium ſolâ auctoritate conſtat. Poſtremus Rex *Perſeus Philippi* filius à *Paulo Æmilio* ſuperatus eſt anno Urbis *Varroniano* 586. qui incurrit in annum 1. Olympiadis 153. Per. *Jul.* 4546. ante *Chriſti* æram 168. Quod ex ea Lunæ defectione colligitur, quæ pridie ejus diei, quo factum prælium eſt, incidit, ut ſcribit *Livius*, noſque ſuo loco notavimus. Hic igitur *Macedonici* regni poſtremus eſſe debet annus. Primus (*a*) ab *Euſebio* ad annum *Abraami* ponitur 1203. qui ex methodo *Euſebianorum* annorum in Periodo *Jul.* numeratur 3900. Quare *Macedonicum* regnum annis obtinuit circiter 647. ac Reges fuere 39. quorum catalogus non uno modo apud *Euſebium* Latine ab *Hieronymo* redditum, & (*b*) in *Dexippi* Fragmento, ac *Georgii* Monachi Excerptis, tum apud *Diodorum* legitur. Nos, ut probabile viſum

a Euſeb. in Chron. ex edit. Pontaci.

b Apud Scal. in Gr. Euſ. p. 47.

ſum eſt, iis ex Auctoribus hunc in modum confecimus.

Catalogus Regum *Macedoniæ* ex *Dexippo, Diodoro,* & *Euſebio.*			
		Anni regni.	Anni Per. *Jul.* quibus inierunt.
1	*Caranus*	28	3900
2	*Cœnus Carani* filius	28	3928
3	*Thurimas Cœni* filius	45	3956
4	*Perdiccas Thurimæ* filius	48	4001
5	*Argeus Perdiccæ* filius	32	4049
6	*Philippus Argei* filius	35	4081
7	*Aëropas Philippi* filius	42	4116
8	*Alcetas Aëropæ* filius	28	4158
9	*Amyntas Aëropæ* filius	49	4186
10	*Alexander Amyntæ* filius	43	4235
11	*Perdiccas*II. *Alexādri*filius	23	4278
12	*Archelaüs Perdiccæ* filius	14	4301
13	*Oreſtes Archelai* filius	0	4315
14	*Aëropas tutor Oreſtis*	4	4315
15	*Pauſanias Aëropæ* filius	1	4319
16	*Amyntas* primò	1	4320
17	*Argeus*	2	4321
0	*Amyntas* iterum	21	4323
18	*Alexander Amyntæ* filius	2	4344
19	*Ptolemæus Alorites Amyntæ* filius	3	4346
20	*Perdiccas Amyntæ* filius	5	4349
21	*Philippus Amyntæ* filius	24	4354
22	*Alexander Philippi* filius	12	4378
23	*Aridæus Philippi* filius	7	4390
24	*Caſſander Antipatri* filius	19	4397
25	*Philippus Caſſandri* filius	1	4416
26	*Antipater* &		
27	*Alexander* } *Caſſandri*filii	3	4417

28 *De-*

28	*Demetrius Poliorcetes*	6.	4420
29	*Pyrrhus*	M. 7.	4426
30	*Lyſimachus*	A. 5. M. 6.	4427
31	*Ptolemaus Lagi* filius κεραυνὸς	A. 1. M. 5.	4433
32	*Meleager Lagi* filius	M. 7.	4434
33	*Antipater*	D. 45.	4434
34	*Soſthenes*	2	4434
35	*Antigonus Gonatas Demetrii Poliorceta* filius	36	4436
36	*Demetrius Gonata* filius	10	4472
37	*Antigonus* Δώσων	12	4482
38	*Philippus Demetrii* filius	42	4494
39	*Perſeus Philippi* filius	11	4538

Deſiit *Macedonia* regnum anno 4546. Per. *Jul.* poſtquam perſeveravit annos integros 946.

Horum in Regum ſerie quædam animadverſione digna ſunt. (*a*) Primum quod ad *Perdiccam* undecimum Regem attinet, ejus initium finemque perperam ab *Euſebio* collocari in anno 1. Olympiadis 80. *Abraami* 1557. qui congruit anno Per. *Jul.* 4254. cui quidem *Perdiccæ* primum annum (*b*) *Scaliger* adſcribit. Ita cùm annis regnaſſe velint ambo 28. deſinet in anno Per. *Jul.* 4282. qui proximè belli *Peloponneſiaci* exordium anteceſſit. Atqui anno belli 15. regnabat idem ille *Perdiccas*, ut fidem facit gravis imprimis Auctor (*c*) *Thucydides*. Caſtigandus itaque eſt longè graviſſimus hic error; & *Perdiccæ* primordium ad annum Per. *Jul.* 4378. accommodandum, quo cœpit annus 1. Olympiadis CXI. Et quidem (*d*) *Diodorus* ad annum ſequentem meminit *Perdiccæ Macedonum* Regis. Sed quot annis regnarit, haud una ſententia eſt, ut refert (*e*) *Athenæus*. Nos 23. cum *Marſya*, *Philochoro*, (*f*) ac *Dexippo* tribuimus. Proinde obiit anno Per. *Jul.* 4301. belli *Peloponneſiaci*, 19.

a Vide Paral. Oper. de Doct. Temp. p. 848.
b Lib. 2. Iſag. Can. p. 163.
c Lib. 5. p. 400. edit. Græco-Lat.
d Lib. 11.
e Lib. 5.
f In Excerpt. 62. Euſeb. p. 47.

Hinc *Alexandri* patris illius exordium ſtatuimus circa annum Per. *Jul.* 4235. qui proximus eſt ab expeditione *Xerxis* in *Græciam.* Nam 43. anni *Alexandro* competunt ex *Græcis Euſebii Collectaneis*, *Archelao* verò 14. quamvis *Diodorus* ſeptem duntaxat ei tribuat. Nos *Dexippum* ſequi maluimus. Deinceps ad *Alexandrum* uſque *Magnum* Regum decem tempora ex *Diodoro* conſtituimus. In quibus *Dexippi* fragmentum haud ſatis integrum exſtat.

RATIONARII TEMPORUM PARTIS SECUNDÆ LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De initio ludorum Olympicorum, *quos inſtauravit* Iphitus.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap 37. & ſeq. Ad Olymp. 3.

PAULATIM ad ea tempora progredimur, quæ certi aliquid & explorati in *Græcorum* Hiſtoriam conferunt: in quibus principem locum tenent Olympiades, quæ poſt annos vertentes quatuor inſtaurabantur. Scribit *Pindari Scholiaſtes*, eos ludos alternis in menſem quadrageſimum nonum & quinquageſimum incurriſſe, hoc eſt in *Apollonium* menſem, aut *Parthenium*. Quod de vetere anno lunari debet accipi, cujus modus nimiùm diſtabat ab exacto. Quatuor anni ſimplices octo & quadraginta menſibus conſtant; quibus evolutis, quadrageſimo nono menſe, hoc eſt initio Tetraëteridos alterius, ludi,

ludi committebantur. Poſtea menſis unus intercalabatur. Ideo in quinquageſimum menſem cadebant. Sed hujus anni forma propter vetuſtatem ignota eſt hodie.

Legitimum tempus ludicri peragendi fuit æſtivum, ſub ipſum ſolſtitium; (quod in *Paralipomenis Operis de Doct. Temp. pag.* 850. accuratè demonſtravimus ex *Herodoto*, *Cenſorino*, & aliis) tametſi non diffitendum eſt, interdum ſeriùs eſſe commiſſos. Sed id præter ordinem moremque contigit; ut eo anno, quo *Julius Cæſar* interfectus eſt, cùm *Cicero* navigare vellet in *Græciam*, videntur in *Septembrem* menſem prorogati ludi, ut ex *lib.* 15. *Epiſt. ad Attic. Epiſt.* 7. haud abſurdè colligitur; quod rectè *Vendelinus* noſter obſervavit. Legitimum tamen & ordinarium tempus æſtivum fuit. *Tempus ludorum.*

Primum ludicrum *Olympiadicum* eo anno celebratum eſt, qui eſt ſeptingenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus ante primum annũ æræ *Chriſtianæ*; & eſt in *Juliana* Per. 3938. mundi 3208. circa triceſimum quartum *Azariæ*, ſive *Oziæ*, Regis *Judæ*, quod certiſſimis argumentis ex Hiſtoria & cæleſtibus obſervationibus adſtruitur. Imprimis autem ex *Thucydide* colligitur, qui Solis deliquia duo, unum Lunæ, contigiſſe ſcribit totidem in annis *Peloponneſiaci* belli. (*a*) Velut anno primo Solem ait defeciſſe poſt meridiem. Bellum *Peloponneſiacum* cœpit anno primo exeunte Olympiadis 87. ſequente ſecundo. Nam (*b*) anno quarto belli labente incidit *Olympicus* agon, quo vicit pancratio *Doritus Rhodius* iterum, quæ fuit Olympias 88. Ergo anno quarto exeunte Olympiadis 87. cœpit annus quartus belli *Peloponneſiaci*. Quippe ἦρι ἀρχομένῳ, *ineunte vere*, anni *Peloponneſiaci* belli inchoandi ſunt, ut idem auctor eſt (*c*) *Thucydides*. (*d*) Item anno belli duodecimo *Olympia* peracta ſunt, quibus *Androſthenes Arcas* pancratio vicit, Archonte *Athenis*

Primæ Olympiadis tempus.

a Thucyd. lib. 2 pag. 157 Græc Lat.
b Thucyd. lib. 3. p. 178.
c Lib. 2. ſub ini
d Thucyd. lib 5 p. 372. & 37·p

Hinc *Alexandri* patris illius exordium ſtatuimus circa annum Per. *Jul.* 4235. qui proximus eſt ab expeditione *Xerxis* in *Græciam.* Nam 43. anni *Alexandro* competunt ex *Græcis Euſebii Collectaneis*, *Archelao* verò 14. quamvis *Diodorus* ſeptem duntaxat ei tribuat. Nos *Dexippum* ſequi maluimus. Deinceps ad *Alexandrum* uſque *Magnum* Regum decem tempora ex *Diodoro* conſtituimus. In quibus *Dexippi* fragmentum haud ſatis integrum exſtat.

RATIONARII TEMPORUM PARTIS SECUNDÆ

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De initio ludorum Olympicorum, *quos inſtauravit* Iphitus.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap 37. & ſeq. Ad Olymp. 3.

PAULATIM ad ea tempora progredimur, quæ certi aliquid & explorati in *Græcorum* Hiſtoriam conferunt: in quibus principem locum tenent Olympiades, quæ poſt annos vertentes quatuor inſtaurabantur. Scribit *Pindari Scholiaſtes*, eos ludos alternis in menſem quadrageſimum nonum & quinquageſimum incurriſſe, hoc eſt in *Apollonium* menſem, aut *Parthenium*. Quod de vetere anno lunari debet accipi, cujus modus nimiùm diſtabat ab exacto. Quatuor anni ſimplices octo & quadraginta menſibus conſtant; quibus evolutis, quadrageſimo nono menſe, hoc eſt initio Tetraëteridos alterius,

ludi committebantur. Poſtea menſis unus intercalabatur. Ideo in quinquageſimum menſem cadebant. Sed hujus anni forma propter vetuſtatem ignota eſt hodie.

Legitimum tempus ludicri peragendi fuit æſtivum, ſub ipſum ſolſtitium; (quod in *Paralipomenis Operis de Doct. Temp. pag.* 850. accuratè demonſtravimus ex *Herodoto*, *Cenſorino*, & aliis) tametſi non diffitendum eſt, interdum ſeriùs eſſe commiſſos. Sed id præter ordinem moremque contigit; ut eo anno, quo *Julius Cæſar* interfectus eſt, cùm *Cicero* navigare vellet in *Græciam*, videntur in *Septembrem* menſem prorogati ludi, ut ex *lib.* 15. *Epiſt. ad Attic. Epiſt.* 7. haud abſurdè colligitur; quod rectè *Vendelinus* noſter obſervavit. Legitimum tamen & ordinarium tempus æſtivum fuit. *Tempus ludorum.*

Primum ludicrum *Olympiadicum* eo anno celebratum eſt, qui eſt ſeptingenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus ante primum annũ æræ *Chriſtianæ*; & eſt in *Juliana* Per. 3938. mundi 3208. circa triceſimum quartum *Azariæ*, ſive *Oziæ*, Regis *Judæ*, quod certiſſimis argumentis ex Hiſtoria & cœleſtibus obſervationibus adſtruitur. Imprimis autem ex *Thucydide* colligitur, qui Solis deliquia duo, unum Lunæ, contigiſſe ſcribit totidem in annis *Peloponneſiaci* belli. (*a*) Velut anno primo Solem ait defeciſſe poſt meridiem. Bellum *Peloponneſiacum* cœpit anno primo exeunte Olympiadis 87. ſequente ſecundo. Nam (*b*) anno quarto belli labente incidit *Olympicus* agon, quo vicit pancratio *Doritus Rhodius* iterum, quæ fuit Olympias 88. Ergo anno quarto exeunte Olympiadis 87. cœpit annus quartus belli *Peloponneſiaci*. Quippe ἦρι ἀρχομένῳ, *ineunte vere*, anni *Peloponneſiaci* belli inchoandi ſunt, ut idem auctor eſt (*c*) *Thucydides*. (*d*) Item anno belli duodecimo *Olympia* peracta ſunt, quibus *Androſthenes Arcas* pancratio vicit, Archonte *Athenis*

Prima Olympiadis tempus.

a Thucyd. lib. 2 pag. 157 Græc Lat.
b Thucyd. lib. 3. p. 178.
c Lib. 2. ſub init.
d Thucyd. lib 5 p. 372 & 37. p

Athenis Euclide, quando *Lacedæmonii* ab *Eleis* excluſi ſunt. Ea non alia eſt Olympias, quàm nonageſima. Proinde deſinente anno quarto Olympiadis 89. duodecimus annus iniit belli *Peloponneſiaci*. Ex quo ſequitur, primum belli cadere in annum primum Olympiadis 87. Secundum Solis deliquium notatur ab (*a*) eodem Hiſtorico anno octavo ineunte belli *Peloponneſiaci*, quo Sol ex parte defecit. Ad hæc (*b*) incipiente duodecimo anno belli *Athenienſes* fœdus ait annorum centum iniiſſe cum *Argivis*, *Eleis*, ac *Mantineis*, ac ſequenti æſtate ludos *Olympicos* incidiſſe, quibus *Androſthenes Arcas* vicit pancratio primùm. Fuit hæc Olympias nonageſima. (*c*) Denique Lunam defeciſſe narrat anno 19. belli, quando *Athenienſes* à *Siculis* victi & profligati ſunt cum eorum duce *Nicia*. Non poſſunt hæc abire, quin prima eclipſis contigerit anno Periodi *Julianæ* 4283. ſecunda anno 4290. tertia anno 4301. Bellum quippe *Peloponneſiacum* cœptum eſt anno Per. *Jul.* 4283. uti poſtea probabitur: quo anno Sol defecit *Auguſti* tertio, feriâ 4. horâ 5. 53. à meridie, idque *Athenis*: fuitque defectio digitorum $10\frac{1}{2}$. ferè. Anno verò 4290. idem ſidus *Martii* 21. defecit, feriâ 4. horâ 8. 17. poſt noctem mediam, digitis circiter novem. Denique anno 4301. Luna defecit *Auguſti* 27. paulò ante mediam noctem. Igitur Olympias 87. cœpit anno eo *Juliano*, qui initium belli proximè anteceſſit, nimirum anno Per. *Jul.* 4282. Olympias 88. iniit anno 4286. Olympias nonageſima anno 4294. Quare ſi Olympiades integræ 86. quaternario multiplicentur, (nam quælibet annis conſtat quatuor) conſient anni 344. â primo agone *Iphiti*. Hi detracti de anno 4282. quo Olympias 87. cœpit, relinquunt annum *Julianæ* Periodi 3938. ante *Chriſtianam* æram 777. quo primus agon *Olympicus* indictus eſt. Præterea (*d*) *Xenophon* Olympiade

(*a*) Thucyd. lib. 4. p. 286.
(*b*) Thucyd. lib. 5. p. 372. & 379. Græco-Lat.
(*c*) Thucyd. lib. 7. p. 527.
(*d*) Xenoph. 2. Hellen. p. 270.

piade quâdam ineunte bellum idem deſiiſſe narrat ſub Solis defectionem. Quam quidem Olympiadem proximè ſubjicit ei, quam initio *libri* 1. diſertè numeraverat tertiam & nonageſimam. Unde ſub initium 94. Olympiadis finis impoſitus eſt *Peloponneſiaco* bello; quâ ineunte Olympiade Sol defecit *Septembris* 3. anno ante *Chriſtum* 404. Per. *Jul.* 4310. Id ipſum & expeditio *Xerxis* in *Græciam* oſtendit, & *Salaminia* clades; quam anno primo ineunte Olympiadis 75. contigiſſe, Periodi *Julianæ* 4234. ſuo loco declarabitur. Deductis annis ab *Iphito* 296. ſive Olympiadibus 74. integris, de annis 4234. reſtat annus Per. *Jul.* 3938.

Nec aliud perſuadet *Cenſorini* locus inſignis *cap.* 21. ubi annum, quo ſcribebat, variis characteribus illuſtrat, aitque fuiſſe ab Olympiade prima milleſimum & quartum decimum. Annus, quo ſcribebat, æræ *Chriſtianæ* fuit 238. Per. *Jul.* 4951. de quibus ſi deduxeris 1014. reſidebunt 3937. Ergo ſequenti 3938. primus *Olympicus* annus incepit.

Ex his, aliiſque, quæ deinceps occurrent, efficitur, primum agonem *Iphiti* abhinc annis 2407. iniiſſe, & hoc anno *Chriſti* 1631. à diebus æſtivis proceſſurum annum tertium Olympiadis 602. Quæ quidem epocha firmiſſimè munienda fuit, quòd ad eam inſequentia tempora deinceps exigenda ſunt.

Caput II.

De Romæ *conditu, deque varia putatione annorum ab Urbe condita, præſertim* Varroniana, *quæ quidem approbatur. Videri* Romam *autumno conditam; tum de conceptu* Romuli, *& ortu.*

URbem *Romam* non eodem omnes anno conditam Veteres perinde ac Recentiores *De Urbis initio va-*

riæ ſententiæ.

exiſtimant. Sed duæ ſunt hodie receptæ ac celebriores reliquis ſententiæ. Prima *Varronis*, (ut teſtatur *Plutarchus*) quæ anno tertio deſinenti ſextæ Olympiadis conditum Urbis aſſignat. Poſterior eſt *Verri Flacci* in *Faſtis Capitolinis*, quæ eundem conditum rejicit in annum ſequentem, qui eſt quartus deſinens Olympiadis ſextæ, quam *Catonianam* fruſtrà *Scaliger* appellat, ut ſuo loco demonſtravimus. Utra verior ſit, difficile eſt dictu. Nos priorem anteponimus alteri: atque ita conditam eſſe *Romam* aſſerimus anno tertio Olympiadis ſextæ, ſive *Iphiteo* tertio & viceſimo. Cùmque Olympias prima cœperit anno Per. *Jul.* 3938. qui eſt 777. ante *Chriſtianam* æram, (ut alio loco demonſtratum eſt) primus annus Urbis ex *Varronis* putatione cadit in annum Per. *Jul.* 3960. vel 3961. Anno quippe 3960. iniit annus tertius Olympiadis ſextæ à diebus æſtivis. Quare ſi urbs *Roma Aprili* menſe fundata eſt, ut vulgò ferè ſentiunt, primus Urbis incurrit in annum 3961. Verùm *Manilius lib.* 3. *Romam* ait in Libra conditam:

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 46. & ſeq.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 45.

Heſperiam ſua Libra tenet, quâ condita Roma; &c.

Solinus verò *cap.* 2. perinde Lunam in Libra fuiſſe refert; ſed Solem in Tauro præterea collocat: quod minimè procedit. *Plutarchus* autem ex *Tarrutii Firmani* genethliaci ratiociniis, quem *Varro* ad ejus rei inquiſitionem adhibuit, *Romam* conditam ait *Pharmuthi* 9. Ut igitur ambo illa complectamur, *Romam* & in Libra & *Pharmuthi* nono die fundatam eſſe, congruet annus Per. *Jul.* 3960. *Octobris* 4. Siquidem anno iſto neomenia *Thoth* anni *Ægyptiaci* incidit in *Februarii* 28. *Pharmuthi* 9. in 4. *Octobris*. Novilunium autem medium uno die antecellit. Contigit enim ex *Pariſinis Tabulis Octobris* 2. feriâ 3. horâ 18. 18. poſt mediam noctem, *Romæ*, hoc eſt *Octobris*. 3. Nam *Judaicus* character neomeniæ *Marcheſuvan* an-

Roma videtur autumno condita.

no

no *Judaïco* 3008. habetur feria 4. 1. 820. *Octobris* 3. Verùm autem novilunium commiſſum eſt *Octobris* 2. horâ 7. 22. poſt mediam noctem, *Romæ*. Quare non reſpondet ἀκριβὴς illa τριακὰς *Plutarchi*, ſed abeſt biduo. Potuit tamen popularis ac civilis eſſe τριακὰς, ob μεταπτωσιν ſideris, in *Græcia*: præſertim cùm pleræque civitates à corniculata Luna neomeniam auſpicatæ ſint: ea verò in 4. *Octobris* incurrerit. Quam ad rationem exigenda ſunt, quæ in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 48. ſuper hac re tradidimus, & pro ἀκριβεῖ novilunio populare computandum. Proinde nullus aptior annus eſt *Tarrutii* & *Manilii* ſententiæ, quàm *Jul. Per.* 3960. quo tertius Olympiadis ſextæ *Octobri* menſe labebatur. Sed ut à communi uſu minimè recedamus, *Palilia* prima (paſtorale id erat feſtum, quo *Romulus* Dominæ rerum Urbis fundamenta poſuit, 11. Cal *Maji*, ut tunc annus habebatur) conferemus in annum ſequentem *Julianæ* Periodi 3961. quo tertius adhuc in curſu erat annus Olympiadis 6. ante *Chriſtianam* æram ſeptingenteſimum quinquageſimum quartum, mundi 3231.

Demonſtratur epocha Varroniana.

Hujus epochæ fides innumeris Veterum teſtimoniis & cæleſti quoque obſervatione conſtat. Nam complures in Annalibus Solis Lunæque defectiones annis Urbis conditæ notatæ leguntur, quarum *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 50. nonnullas retulimus. Velut inſignis illa fuit Lunæ, quam *C. Sulpitius Gallus* pro concione prædixit, pridie quàm *Perſeus* à *Paulo Æmilio* in *Macedonia* vinceretur, æſtivo tempore, ut refert (a) *Livius*. Ea verò deprehenditur anno Per. *Jul.* 4546. eâ nocte, quæ inter *Junii* 21. & 22. interceſſit, anno illo, quo Coſſ. fuere *L. Æmilius Paulus*, *C. Licinius Craſſus*, quique numeratur in *Faſtis Capitolinis*, quos *Sigonius* ſequitur, ab U. C. 585. ex *Varronis* autem calculo, ut in *Onuphrianis*, 586.

(a) Lib. 4. Dec. 5.

quo-

quorum numerorum alterutro dempto ex *Jul.* Per. annis 4546. invenies *Palilia* prima *Romuli* cadere in annum 3961. ſecundum *Varronem*: vel, ex *Capitolinis Faſtis*, 3962. Tum omnes illæ defectiones, quibus Olympiadum initium *cap.* ſuperiori probavimus, ad annorum Urbis adſtruendam originem ſpectant. Quemadmodum & *Cenſorini* memorabilis ille locus ex *cap.* 21. ubi annum illum, quo ſcribebat, quem eſſe *Chriſti* 238. ſignificavimus, numerat 991. conditæ Urbis, ex *Palilibus*. Erat is in Periodo *Juliana* 4951. de quo ſi 991. deduxeris, relinquetur annus Periodi *Jul.* 3960. Igitur ſequenti, qui eſt 3961. imputantur à *Cenſorino Palilia* prima ex *Varronis* ſententia. Vide, præter *Onuphrii*, *Sigonii*, *Pighii*que *Faſtos*, quæ à nobis in *lib.* 9. *de Doct. Temp.* pertractata ſunt.

Poſt natalem Urbis, *Romuli* ipſius ejus parentis conceptus atque ortus paucis hîc exponendus eſt.

Tarrutius (*a*) *Firmanus* conceptum matris utero *Romulum* aſſeverabat anno primo Olympiadis ſecundæ, *Choeac* 23. natum verò die 21. *Thoth*, atque in ejus conceptu Solem defeciſſe penitùs: quemadmodum & illo die, quo *Roma* condita eſt. (*b*) *Halicarnaſſenſis* autem conſentire ait omnes, *Romulum* anno ætatis 18. Urbem ædificare cœpiſſe. Eâ ratione natalis ejus incurret in annum Per. *Jul.* 3944. Addit & tam eo anno, quo conceptus eſt, quàm quo mortuus, Solem defeciſſe totum. De morte paulò pòſt viderimus. Quod ad Solis deliquia pertinet duo, quorum alterum in ipſo *Romuli* conceptu, alterum eo die, quo Urbs eſt fundari cœpta, contigiſſe dicitur; ea ſunt hactenus ex *Tabulis* quæſita fruſtrà, ut in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 48. fusè declaravimus. Quare Auctorum graviſſimorum teſtimonio potiùs, quàm cœleſti obſervatione nititur hæc opinio, quam *Halicarnaſſenſis* perſuadet, *Romulum* anno 2. exeunte Olympiadis ſecundæ in

a Lib. 9. de Doct. Temp. cap. 48. Dionyſ. 1. & 2. Liv. 1. Plut. in Rom.

b Lib. 2. pag. 119. Vech. edit.

in lucem editum eſſe; qui eſt Per. *Jul.* 3944. & octavo decimo pòſt, id eſt, Per. *Jul.* 3961. Urbem condidiſſe. At eo, quo mortuus eſt, anno *Romulus*, hoc eſt Olympiadis 16. anno 1. exeunte, reverà Solem defeciſſe ſub occaſum comperimus, anno Per. *Jul.* 3999. *Maji* 26.

CAPUT III.

De æra Nabonaſſari, *& initio* Babylonici *regni.*

APud *Ptolemæum* & Aſtronomos reliquos celeberrima eſt æra *Nabonaſſari*, quem *Babylone* regnaſſe inter omnes convenit. Hujus verò mentio apud *Græcos* rerum cœleſtium peritos ideò percrebuit, quòd permultæ vetuſtiſſimorum temporum obſervationes Regis illius epochâ conſignatæ *Babylone* miſſæ ſunt à *Calliſthene Ariſtotelis* diſcipulo, ut teſtatur *Simplicius*. Initium *Nabonaſſari* iis ex obſervationibus, quas paſſim (*a*) *Ptolemæus* commemorat, latere poteſt neminem. Contigit autem anno Per. *Jul.* 3967. mundi 3237. ante *Chriſtianam* æram 747. Urbis conditæ ſeptimo. Anni forma, cui iſte titulus illigatur, eſt *Ægyptiaca*, quæ ſolidis diebus 365. conſtat, ſine ullis appendicibus horarum ſex. Unde quarto quoque vertente anno caput anni die uno retrocedit, ut in *lib.* 1. declaravimus. Ergo *Thoth Nabonaſſari* incidit in diem 26. *Februarii Juliani*, & à meridie ejus diei aſtronomicè computatur, ut auctor eſt *Ptolemæus*; quanquam πολιτικῶς ab ortu Solis antecedente repetitur.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 51. & ſeq.

a Comm. 46. in 2. de Cœlo. Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 13.

Nabonaſſari epocha demonſtratur.

Quòd *Nabonaſſarus* anno illo, quem ſignificavi, regnare ſit aggreſſus, fidem faciunt Solis ac Lunæ deliquia, quæ à *Ptolemæo* (*b*) notata ſunt: velut anno *Nabonaſſari* 366. *Thoth* 27. horâ 6. 36. à media nocte, *Alexandriæ* defe-

b Ptol. 5. pag. 105. Græc. edit.

defeciſſe Lunam ait, Archonte *Phanoſtrato.* Tempus congruit *Decembris* 23. feriâ 3. ante *Chriſtianam* æram 383. Periodi *Julianæ* 4331. Anni *Ægyptiaci* 365. abſoluti cum diebus *Thoth* æquè confectis 26. horis 6. 36. dies complent 133251. horis 6. 36. qui ſunt anni *Juliani* 364. dies 300. horæ 6. 36. Si igitur de annis vertentibus 4330. & diebus 356. horis 6. 36. quæ ab initio *Julianæ* Periodi ad momentum obſervationis à *Ptolemæo* deſcriptæ lapſa ſunt, auferas annos 364. dies 300. horas 6. 36. reſidui erunt anni 3966. dies 56. à Calendis *Januarii.* Igitur die 57. ab iiſdem Calendis cœpit neomenia *Thoth* anni primi *Nabonaſſari.* Is eſt verò *Februarii* dies 26. Idem & obſervationes reliquæ promittunt, quas recenſere ſupervacaneum eſt.

Cenſorinus præterea *cap.* 21. anno *Juliano* ducenteſimo octogeſimo tertio cœpiſſe dicit nongenteſimum octogeſimum ſextum annum *Nabonaſſari.* Annus primus *Julianus* quadraginta quinque annis æram *Chriſtianam* antecedit, ut ſuo loco demonſtrabitur. Quare ſi de 283. *Julianis* ſubtrahas 45. reſiduus erit *Chriſti* 238. quo quidem neomenia *Thoth* anni *Nabonaſſarei* 986. contigit 7. Calendis *Julii.* Hic eſt annus Periodi *Julianæ* 4951. de quibus deducendi ſunt anni 3965. ut habeatur *Nabonaſſareorum* numerus, ex iis, quæ *lib.* 1. hac de re tradidimus. Unde conſequens eſt, primum annum *Nabonaſſari* cadere in 3967. Per. *Julianæ.*

Chaldæi Reges. Ex his efficitur, *Chaldæorum* regnum eodem illo anno cœptum videri, auctore, ut eſt credibile, *Nabonaſſaro.* Eſt (a) in ſacris Libris prima Regum *Babyloniorum* mentio ſub *Ezechiæ* regno, circa annum ejus 14. quo *Merodach* filius *Baladan* Rex *Babyloniorum* legatos miſiſſe fertur ad *Ezechiam*, *ut interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram*; tum quòd illum ægrotaſſe didicerat. Annus 14. *Ezechiæ* ex his, quæ ſuo loco expoſita ſunt, incurrit in

(a) 4. Reg. 20. & 2. Paral. 32. 31.

in annum Per. *Jul.* 4000. qui eſt à *Nabonaſſari* primordio triceſimus quartus.

Exſtat vetus *Canon Babyloniorum Regum*, quo *Ptolemæus* aliique Mathematici ſunt uſi, qui à *Nabonaſſaro* ad *Alexandri M.* obitum perducitur. In eo porrò *Mardokempadus*, qui *Merodach* in ſacris Libris nominatur, regnare cœpit anno ab *Nabonaſſaro* 27. & fortaſſis *Baladan* illius pater is eſt, quem *Canon Ilulæum* vocat. In fine hujus Part.

Quocirca probabilis eſt conjectura, poſt *Aſſyrios*, aliquanto ſpatio defeciſſe ab *Medis Babylonios*, ac privatum ſibi ſtatuiſſe regnum, duce *Nabonaſſaro*. Quod regnum initio tenue, & *Aſſyriis* obnoxium, ab *Nabopolaſſaro* ejuſque filio *Nabuchodonoſoro* amplificatum eſt, ut & *Medos* ipſos *Aſſyrioſ*que ſibi ſubjiceret; de qua re poſtea. Sed obſcuriſſima ſunt illius Imperii primordia; de quibus nihil præter conjecturam ferè reliquum habet Hiſtoria.

CAPUT IV.

De tempore belli, quod Rege Cyaxare Medi *cum* Lydis *geſſerunt, deque lunari defectione, quam* Thales *prædixit; tum de* Nabopolaſſaro *Rege* Babylonis, *ejuſque filii* Nabuchodonoſori *primordio.*

HErodotus in primo *libro* refert, *Cyaxarem* ſexennale bellum cum *Alyatte Lydorum* Rege geſſiſſe, ac demùm anno ſexto, cùm inter eos commiſſum eſſet prælium, obſcurato repentè Sole, territos illos abſtitiſſe pugnâ, atque ita bellum eſſe diremptum. Hujus belli tempus ex illa Solis eclipſi inveſtigari debet. Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 1.

Ea verò quo anno contigerit, magna Scriptorum eſt diſſenſio. Nos in annum Per. *Jul.* 4117. mundi 3387. ante *Chriſtum* 597. illam conjicimus, quo defecit Sol, *Julii* 9. feriâ 3.

ſub horam ſextam matutinam : ac digitorum, ut vocant, eclipſis illa fuit, ex *Tychonico* calculo, 9. 22. ex Veterum autem ratiociniis, ampliùs 10½. *Cyaxares* anno Per. *Jul.* 4080. regnare cœpit : & annos 40. *Medis* præfuit, uſque ad annum Per. *Jul.* 4120. Proinde anno ejus 37. belli *Lydi* ſextus incidit. Prima *Scytharum* eruptio ſub initium illius contigit, puta anno Per. *Jul.* 4081. Circa annum deinde 4108. id eſt, poſt annos 28. à *Cyaxare* circumventi & occiſi ſunt. Inde poſt unum vel alterum annum alia *Scytharum* manus ſupplex ad eumdem Regem adiit. Ponatur hic annus Per. *Jul.* 4110. Bellum verò ſexennale inchoari potuit anno 4111. vel 4112. Ita ſextus incurret in annum 4117. qui eſt quartus Olympiadis 45. quo tempore regnabat in *Babylonia* *Nabuchodonoſor*, qui *Herodoti Labynitus* eſſe videtur.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 57. & ſeq.

Quod ad *Nabopolaſſarum* attinet, is in *Canone Mathematico*, quem ſæpè laudavimus, inter *Babyloniæ* Principes ponitur; eique unus & viginti anni tribuuntur; cui *Nabuchodonoſorus* ſubjicitur, qui annis tribus & quadraginta regnavit. (*a*) *Beroſus* verò *Chaldaicorum* Annalium Scriptor, qui *Alexandri M.* ætate floruit, apud *Joſephum* & *Euſebium* auctor eſt, *Nabopolaſſarum Nabuchodonoſori* patrem *Ægypto*, *Cœleſyriæ*, ac *Phœniciæ* dominantem, illis præfeciſſe Satrapam; cujus, inquiunt, auditâ defectione filium ſuum *Nabuchodonoſorum* adverſus illum cum exercitu miſit, qui victis rebellibus, recuperatoque imperio, cùm interea fato functus eſſet *Nabopolaſſarus* ejus pater, raptim *Babylonem* advolavit, copiis omnibus unà cum præda cuidam amicorum commendatis, ut ea deportaret in *Babyloniam*.

a Beroſ. apud Joſeph. lib. 9. Antiq. cap. 11. & lib. 1. contra App. p. 925. edit. Erob. Euſeb. lib. 9. de Preparat. pag. 267.

Quo tempore *Babylone* regnare *Nabopolaſſarus* cœperit, ex cœleſti obſervatione conſtat lu-

lunaris defectus, (*b*) quem *Ptolemæus* ex *Chaldæorum* fide recenſet. Siquidem anno quinto *Nabopolaſſari*, qui eſt à *Nabonaſſaro* 127. *Athyr* 27. ſequente 28. horâ 5. 50. à media nocte *Babylone*, *Alexandriæ* verò horâ ipsâ 5. obſcurata eſt Luna quartâ diametri parte. Tempus congruit in annum Periodi *Julianæ* 4093. mundi 3363. ante *Chriſtianam* æram 621. quo anno lunaris defectio contigit *Aprilis* 22. Neomenia *Thoth* anni *Nabonaſſari* 127. incurrit in *Januarii* 26. Quare cùm anni Regum iſtorum à neomenia *Thoth* computari ſoleant, quintus annus *Nabopolaſſari* cœpit anno *Jul.* Per. 4093. Primus itaque cadit in annum 4089. qui eſt 17. *Joſiæ* Regis. Porrò tametſi *lib.* 1. *contra Appionem Joſephus Beroſi* fragmentum illud citans εἴκοσ, ἐννέα *viginti novem* annos adſcribat *Nabopolaſſaro*; tamen in *lib.* 10. *Originum*, & apud *Euſebium* ἔικοσι ἕν, *viginti unus* legitur; quod & nos amplectimur. Ita enim *Mathematicus* ille *Canon Babyloniorum Regum*. Tum Hiſtoria ipſa ſuffragatur. Siquidem *Beroſus* addit, *Nabopolaſſarum* haud multò poſt miſſum ad expeditionem filium deceſſiſſe. Accidit autem expeditio iſta anno *Joakimi* tertio, vel quarto ineunte. Sanè ab anno quarto *Joakimi* primus *Nabuchodonoſori* numeratur in ſacris Litteris, ut *Hieremiæ* 25. quod ſuo loco dictum eſt. Quanquam *Nabopolaſſarus* nonniſi biennio poſtea mortuus eſt, anno Per. *Jul.* 4109. cùm primum & viceſimum inchoâſſet. Ideò vel *Nabopolaſſarus* annos tantùm 19. in imperio vixit: vel *Nabuchodonoſori* primordium ab eo tempore, quo cum imperio primum apud ſe viſus eſt, numeravere *Judæi*; cùm biennio ſeriùs à *Chaldæis* putari cœperit: quod mihi probabilius videtur. Quocirca ambo iſta vera ſunt; & anno Per *Jul.* 4089. *Nabopolaſſarum* regnare cœpiſſe; & *Nabuchodonoſori* imperium ex anno 4107. ab *Ju-*

b Ptol. lib. 5. pag. 125. Græc. Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 58.

dæis eſſe deductum, cùm ab 4109. *Babylonii* putaverint, mortuo *Nabopolaſſaro*, qui viceſimum primum eodem inchoavit. Ad hanc normam exigenda ſunt, quæ in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 61. diximus. Nam ibi æra utraque rectè conſtituta eſt. Sed *Nabuchodonoſori*, ut eſt unica *Judaïca* anno. 4. *Joakimi*; ita *Babylonica* eſt altera, biennio tardior: ſiquidem *Nabopolaſſarum* annos in imperio 21. vixiſſe credimus. Alioqui ſi ab anno 4107. indidem unde *Judæi*, *Babylonii* quoque *Nabuchodonoſori* regnum auſpicati fuerunt, non plures, quàm 19. ab anno 4089. ad 4107. putandi ſunt. Sed *Judaïcam* epocham à *Babylonica* ſatius eſt diſcernere. Ex priore *Nabuchodonoſor* annos 45. ex poſteriore 43. regnaverit: quot & *Beroſus*, & *Canon Babyloniorum Regum* imputat. Quæ res ſequenti *capite* pertractabitur.

CAP. V.

De Nabuchodonoſori *ſucceſſioribus*, *præſertim* Nabonido, & Dario Medo.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 7. a Joſeph. 1. contr. App. Euſeb. lib. 10. Præpa-rat. pag. 267. *Nabonidus.*

(a) B*Eroſus* apud *Joſephum* & *Euſebium Babyloniorum* Regum ſeriem à *Nabopolaſſaro* ad *Cyrum* ita digerit. *Nabopolaſſaro* dat annos 21. *Nabuchodonoſoro* 43. Huic filius ſucceſſit *Evilmerodachus*, qui, cùm biennio regnaſſet, à *Neriglisſooro* ſororis ſuæ marito necatus eſt. *Neriglisſoorus* deinde quatuor annis regnum tenuit; cui ſucceſſit *Laboroſſoarchodus* ejus filius menſibus novem: qui ob pravam indolem conſpiratione ſuorum interfectus eſt, ac de conſenſu eorumdem *Nabonido* cuidam *Babylone* oriundo, qui conjurationis erat particeps, delatum eſt imperium. Quem annum decimum ſeptimum agentem in regno *Cyrus Perſarum* Rex aggreditur, ac prælio victum in arce *Borſippena* obſidet. Interim verò, expugnatâ *Babylone*, ad obſidionem reverſus, *Naboni-*

bonidum in deditionem accepit, & in *Carmaniam* tranſtulit. Hæc *Beroſus* 3. *libro Chaldaïcarum Originum*. Quibus conſentanea ſunt, quæ *Abydenus* ex *Megaſthene* refert apud *Euſebium*; qui hoc addit, *Nabonidum* nullâ cum *Laboroſſoarchodo* (*Labaſſoaracum* vocat) propinquitate fuiſſe junctum. *Canon* ille *Babyloniorum Principum*, (*a*) quem ſæpe citamus, in recenſendis Regibus, cum *Beroſo*, *Abydeno*, ac *Megaſtaene* conſentit; in annis verò paululum diſcrepat. Utramque ſummam hoc laterculo comprehendemus.

a Extſat in fine Partis hujus.

	Anni ex *Beroſo*.	Anni ex Canone.	Cœperunt ex *Beroſi* putatione anno Periodi *Jul.*
Nabopolaſſarus	21	21	4089
Nabuchodonoſor	43	43	4109
Evilmerodachus	2	3	4152
Nerigliſſarus	4	5	4154
Laboroſoarchodus	M. 9.	Omiſit	4158
Nabonidus	17	32	4159
	Summa annorum 87. mens. 9.	Summa annorum 104.	Deſierunt anno 4176.

Nos *Beroſo* potiùs aſſentimur. Nam *Canonis* ſumma minùs cum Hiſtoria congruit. Idem *Nerigliſſaro* annum *Laboroſoarchodi* proprium admetitur. Igitur ab initio *Nabopolaſſari* ad captam *Babylonem* anni ſunt 88. quorum ultimus inchoatus eſt. Totidem ad annos Periodi *Julianæ* 4088. adjecti, (nam 4089. *Nabopolaſſarus* iniit) deſinunt in 1476. quo capta eſt *Babylon*, ut poſtea demonſtrabitur. Adſcripti ſunt in laterculo anni Periodi *Julianæ*, quibus ſinguli Reges iniiſſe videntur, quos paulò aliter in *Tomo ſecundo de Doct. Tempo-*

rum digeſſimus. Id enim penè arbitrarium eſt; cùm & annorum numeri non iidem apud Scriptores inveniantur, & incertum ſit, utrum ſuos quiſque annos integros ac vertentes habuerit; an, ut moris eſt, inchoati pro plenis accipiantur. Quare utcumque calculos poſueris, non valdè refert: niſi quòd prius illud de *Nabopolaſſaro* tenendum potiùs eſt, quàm quod illic amplexi ſumus.

Nabonidum hunc, quem poſtremum in catalogo recenſuimus, (*a*) *Joſephus Baltaſarem* eſſe putat, cujus in *Danielis libro* mentio eſt, ubi & *Nabuchodonoſori* filius appellatur; & poſt horribile ſpectrum ſcribentis ad parietem manus ab eo conſpectum, & à *Daniele* (*b*) interpretatum, eâdem nocte interfectus dicitur, eique ſucceſſiſſe *Darius Medus*. *Baltaſaris* porrò tertius annus 7. *capite Danielis* exprimitur. Sed an pluries idem imperarit, haud ſatis conſtat.

a Joſeph. Antiq. lib. 10. cap. 12.

b Dan. 5.

Joſephi error.

Hìc verò *Joſephi* mira eſt oſcitantia; qui illos ipſos, unde hanc hiſtoriam deſcripſit, Auctores incurioſè legit. Teſtis eſt enim *Megaſthenes Nabonidum* nullo propinquitatis jure cum *Laboroſſoarchodo* fuiſſe conjunctum. At *Baltaſar* ille *Danielis* non alienis utique ſucceſſit, ſed paternum & avitum ſortitus eſt regnum. Verba *Beroſi*, Ἀπολομένυ δὲ τύτυ, συνελθόντες οἱ ἐπιβυλεύσαντες αὐτῷ κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυςάσεως. *Hoc verò necato*, (Laboroſſarchodo) *convenientes inter ſe conjurati de communi conſenſu regnum detulerunt Nabonnedo cuidam ex iis, qui Babylone orti erant, ejuſdem conſpirationis ſocio.* Non poſſunt hæc de legitimo ejus, qui mortuus erat, hærede ac ſucceſſore dicta videri, ſed de peregrino & adſcititio; cujuſmodi *Baltaſar* non fuit. Non eſt igitur idem cum *Nabonnedo Baltaſar*, ſed potiùs cum *Laboroſſarchodo Nabu-*

buchodonoſori nepote, ex ejus filia, quæ *Nerigliſſaro* nupſit; ut ſcribit *Beroſus*. *Nerigliſſarus* verò, quaſi tutorio nomine, pro filio *Laboroſſarchodo* ſeu *Baltaſare* regnum adminiſtravit. Hinc eſt, quòd *Baltaſari* tertius annus tribuitur à *Daniele*. Quod autem (*a*) *Hieremias* prædixerit, Deum *Nabuchodonoſoro*, ejuſque filio, ac filii filio regnum eſſe daturum, *filii* nomen pro genero ſumi poteſt. Ita *Davidem* filium appellat (*b*) *Saül*. *Hieronymus* quoque (*c*), ubi *Nabuchodonoſor* pater *Baltaſaris* vocatur, proavum ſignificari aſſerit: ut mirum non ſit, ſi, ut *patris* appellatio, ita *filii*, à propria notione ad minùs propriam aliquando transferatur. Nam & 2. *Paralip.* 22. 2. *Athalia Amri* filia dicitur, quæ neptis eſſet. Sed vide *lib.* 10. *de Doct. Temp. cap.* 7. & ſeq.

a Hierem. 27.

b 1.Reg. 24. 17.

c ad 5. cap.

CAPUT VI.

De obſidione Tyri, *aliiſque* Nabuchodonoſori *rebus geſtis, & inſequentium* Babylonis *Principum; ac de poſtremo* Medorum *Rege: quem fuiſſe* Aſtyagem *oſtenditur, non* Xenophonteum Cyaxarem, *aut* Darium Medum.

RES à *Babyloniis* illis Regibus geſtas inopia Scriptorum oblivione damnavit; præter illa, quæ in ſacris Libris memoriæ produntur, quæque in *Beroſi* aliorumque *Fragmentis* apud *Joſephum* & *Euſebium* exſtant, quæ in calcem Operis *de Emendatione Temporum* conjecit *Scaliger*. *Nabuchodonoſorum* ſanè longè maxima bella feciſſe, ac plurimas gentes vincendo peragrâſſe, non ſolùm ſacræ Litteræ teſtantur, ſed etiam *Megaſthenes* in *lib.* 4. *Rerum Indicarum* (ut ſcribit (*d*) *Joſephus*) de hoc Rege prædicavit, fortitudine ac rerum geſtarum magnitudine multùm ab eo eſſe ſu-

d Antiquit. lib. 10. cap. 11.

peratum *Herculem*, quippe præcipuam illum urbem *Africæ*, & majorem *Hiſpaniæ* partem armis ſubjugâſſe. *Philoſtratus* verò in *Phœnicum* & *Indorum* Hiſtoriis *Tyrum* ab eodem annis tredecim oppugnatam eſſe ſcripſit. Qua de obſidione diximus in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 62. & ſeq. eamque cœptam eſſe docuimus anno *Nabuchodonoſori* circiter 16. Per. *Jul.* 4122. anno antequam *Hieroſolymam* obſideret, *Sedeciâ* regnante. Id verò demonſtratur hoc modo. Auctor eſt (*a*) *Joſephus Phœnicum* Annales tradere, *Cyrum* anno 14. *Iromi* poſterioris rerum eſſe potitum, *Babylone* videlicet ſubactâ: *Ithobalo* verò regnante, ejuſque ſeptimo anno, *Nabuchodonoſorum* obſediſſe *Tyrum*: à quo tempore ad imperium *Cyri* annos interceſſiſſe quatuor & quinquaginta, menſeſque tres. Cùm igitur *Babylonem Cyrus* occupârit anno Per. *Jul.* 4176. ut poſtea probabitur; ſi inde annos 54. menſes 3. eximas, fiet annus Per. *Jul.* 4122. ac ſeptimus *Ithobali*, quo *Tyrum* obſidere eſt aggreſſus *Nabuchodonoſorus*. Neque tamen interim *Hieroſolymam* oppugnare deſtitit. Nam ad annos 13. *Tyrus* eſt obſeſſa, cujus belli exitus nobis eſt ignotus. Vide omnino quæ in *lib.* 9. *de Doct. Temp. cap.* 63. de ea re commentati ſumus. Fuit etiam cum *Ægyptiis* eodem tempore *Nabuchodonoſori* dimicandum, quorum Regem *Vaphree Judæis* auxilia portantem repreſſit. Deinde poſt obſidionem *Tyriam*, quæ anno Periodi *Jul.* 4135. finita videtur, *Ægyptum* invadit, anno regni ſui ferè 30. vel 31. quo ex tempore novum imperii primordium habuit, quantum ex (*b*) *Daniele* colligitur. Etenim ſomnium illud, quo regnorum quatuor ſtatus adumbratus eſt, anno ſecundo *Nabuchodonoſori* incidiſſe fertur: qui non ab expeditione prima *Syriaca*, ſed ab eo, quod dixi, imperii & monarchiæ, ut vocant, initio putari videtur.

a Lib. 1. contra Appionem.

b Cap. 2.

Mor-

Mortuus eſt *Nabuchodonoſorus* circa annum Per. *Jul.* 4151. cui deinceps reliqui ſucceſſerunt, quos *capite ſuperiori* percenſui: quorum ultimum *Nabonidum*, non eumdum cum *Dario Medo* fecimus. Sed hunc ipſum *Darium* quidam *Medorum* fuiſſe Regem aſſerunt. In quo magnus eſt eorum error. Nam ultimus *Medis* regnavit *Aſtyages*, ut *Herodotus lib.* 1. *Cteſias*, ex iiſque complures deinceps Hiſtorici prodiderunt. At *Xenophon* in iis libris, quos *de Cyri inſtitutione* ſcripſit, *Aſtyagis* filium facit *Cyaxarem*, cujus filiam duxit *Cyrus*, eoque mortuo *Mediâ* potitus eſt, cùm eo ſuperſtite *Babylonem* expugnâſſet. *Joſephus Xenophontem* eatenus ſequitur, ut *Aſtyagem* putet regni ſui hæredem habuiſſe filium, quem *Darium* illum *Medum* facit, cujus eſt apud *Danielem* mentio; in aliis ab eo diſſentit. Ab utroque, *Joſepho*, inquam, & *Xenophonte*, Recentiores plerique diſcrepant: qui ex amborum auctoritate cùm *Aſtyagi* filium hæredem ſubſtituunt, tum hunc *Darium* fuiſſe *Medum* aſſerunt; quos quidem hoc loco refellere longius eſt, quàm pro inſtituti operis modo. Nos verò *Xenophonti* antiquiorem opponimus *Herodotum*; quo cum ſentit *Cteſias Xenophontis* æqualis; tum *Diodorus*, *Trogus Pompejus*, cæterique; qui *Herodotum* ſine ulla controverſia ſecuti, *Aſtyagis* ſucceſſorem, non filium, quem habuit iſte nullum, ſed nepotem ex filia *Cyrum* dederunt. Ac tametſi (*a*) *Cteſias* quoad potuit, *Herodoto* contradicente, ejuſque fidem elevare ſtuduit, & in pleriſque ab illo diſſidet, in hoc ipſo concors eſt tamen, ut *Aſtyagi Medum*, aut marem filium neminem, *Cyrum* verò *Perſam* ſucceſſiſſe confirmet. De *Xenophonte* porrò certum eſt, quod in *Epiſtola ad Q. Fratrem* ſcribit *Cicero*, *non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii*, *Cyrum* ab illo eſſe deſcriptum. Minimè igitur audiendi ſunt, qui *Xenophonteam* fabulam tot graviſſimis Au-

(a) Cteſias apud Photium n. 72.

ctoribus anteponunt. Quibus animadverſis, ita demùm ratiocinabimur. Cùm è ſacris Libris appareat, ultimum de *Nabuchodonoſori* ſtirpe fuiſſe *Baltaſarem*, eoque necato *Darium* ſucceſſiſſe *Medum*, cùmque *Beroſo*, *Megaſthene*, & *Abydeno* teſtibus conſtet, ultimum è *Nabuchodonoſori* itidem progenie regnâſſe *Babylone Laboroſſarchodum*, eoque cæſo, conſenſu principum Regem eſſe factum *Nabonnedum*, ſive *Nabonidum*, ex eo directè ſequi, *Baltaſarem* eundem eſſe cum *Laboroſſarchodo*; *Darium* verò cum *Nabonido*; neque hunc *Aſtyagis* fuiſſe filium, ſed origine duntaxat *Medum*, hoc eſt *Medo* patre, & *Babylonis* inquilino, genitum. Siquidem *Nabuchodonoſor* uxorem habuit *Medam*, ut refert *Beroſus*; cum ea verò *Medos* aliquot principes in *Babyloniam* immigrâſſe veriſimile eſt. Inde ergo *Darius* prodierit, hoc eſt de *ſemine Medorum* fuerit, uti *Daniel cap.* 9. loquitur.

CAPUT VII.

De Ægypti *Regibus*, *qui* Nabuchodonoſori, Judæorum *Principum*, *ac* Perſarum *rebus implicati ſunt*, *& ad illorum hiſtoriam ſpectant*; *velut* Aprie, *ſive* Vaphree, *&* Necao.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 17. SCribit *Herodotus libro* 2. poſt multos *Ægypti* Reges, ac duodecim illos, qui communiter imperarunt, unum ex illis regnâſſe *Pſammitichum* annis 54. quem *Necos* filius excepit, annis 16. Inde *Pſammis Neco* filius annis 6. pòſt *Apries* ejus filius annis 25. ac demùm *Amaſis*, qui 44. regnavit. Poſt hunc *Pſammenito* ſex menſius perfuncto, *Cambyſes Cyri* filius *Ægyptum* occupavit. (*a*) *Diodorus Apriem* regnâſſe prodit annis 22. *Amaſim* verò 55. & hunc mortem obiiſſe ſub *Cambyſis* expeditionem anno circiter tertio Olympiadis 63. *Africanus* & *Euſebius* in annis Regum validiùs diſcrepant. Nos *Herodotum*, utpote antiquiorem, præferimus.

a Diod. lib. 1. pag. 43. Græc.

Jam

Jam cùm initium *Cambyſis* inciderit (ut poſtea docebitur) anno Per. *Jul.* 4185. quo quartus iniit Olympiadis 62. quintus ejuſdem, in quem *Ægyptiaca* expeditio cecidit, eſt Per. *Jul.* 4189. quo anno, deſinente tertio Olympiadis 63. quartus iniit. Anni Regum *Ægyptiorum* ex *Herodoti* calculo colliguntur 146. ferè. Detractis ergo 145. annis, menſibus 6. de annis 4189. reliqui fiunt anni Periodi *Jul.* 4044. quando regnare cœpit *Pſammitichus*. Horum Regum laterculum hìc adſcribam.

Reges *Ægypti* ex *Herodoto*.		
	Anni regni.	Initium.
Pſammitichus	54	4044
Necos	16	4098
Pſammis	6	4114
Apries	25	4120
Amaſis	44	4145
Pſammenitus	M. 6.	4189

Colliguntur anni 145. menſes 6. ad annum 4189. in quem quintus incidit *Cambyſis*.

Horum Regum tempora tam cum ſacra, quàm cum *Herodotea* hiſtoria mirificè conſentiunt. *Necos Herodoti Necaos* eſt *Ægypti* Rex, qui cum *Joſia* Rege conflixit; quo in prælio cæſus eſt (*a*) *Joſias* in *Mageddo*. *Hieremias* porò *cap.* 46. *vers.* 14. *Magdoli* meminit; quem ad locum *Ægyptios* à *Nabuchodonoſoro* cladem accepturos indicat. (*b*) *Herodotus* verò *Necon* ait cum *Syris* acie congreſſum in *Magdolo* viciſſe. Id evenit anno *Joſiæ* ultimo, Periodi *Julianæ* 4103. quo ſextum jam annum regnabat *Necao*, qui in eadem expeditione, ut apparet, poſt tres menſes, quàm *Joſiam* occîderat, (*c*) *Joachazum* ejus filium à populo Regem creatum abduxit in *Ægyptum*, cùm *Hieroſolymam* cepiſſet ac grandi

a 4 Reg. 23. 29. & 2. Paral. 35. 20.
b Lib. 2. c. 159.
c 4. Reg. 23. & 2. Paral. 35.

M 5 multaſ-

multâſſet ære, nec non *Joakimum* Regem ibidem conſtituiſſet. Poſtea victus à *Nabuchodonoſoro* in *Palæſtinam* deſiit excurſiones facere; *d* quod anno ipſius decimo accidit, *Nabuchodonoſori* primo, *Joakimi* quarto.

d 4. Reg. 24.

e Hierem 44. 30.

Apries Necao ſucceſſit, quem *e Hieremias Ephree* vocat, eique ſimile ac *Sedeciæ* minatur exitium: quale contigiſſe ipſi teſtis eſt *Herodotus* in *lib.* 2. nempe ut in hoſtium poteſtatem veniret & ab illis occideretur. Hujus Præfectum *Amaſim* fuiſſe idem *Herodotus* refert; qui ab illo defecerit, eoque capto regnum occupârit, ac poſtulantibus *Ægyptiis Apriem* ad necem dederit. Verùm huic hiſtoriæ contradicit *Ezechielis cap.* 29. vaticinium, qui poſt obſidionem *Tyriam* indicat *Nabuchodonoſorum Ægyptum* invaſiſſe, & in ſolitudinem vaſtitatemque redegiſſe, quæ annos quadraginta tenuit. Finis obſidionis *Tyriæ* ex iis, quæ paulò antè diſputata ſunt, convenit in annum Per. *Jul.* 4135. *Nabuchodonoſori* circiter nonum & viceſimum. Quare anno ſequenti *Ægyptiacam* expeditionem obire potuit *Nabuchodonoſor*, novem circiter annis ante *Amaſidis* initium.

Exiſtimo falſa quædam *Æpyptios Herodoto* renunciâſſe; & *Amaſim* non *Vaphree*, ſed *Nabuchodonoſori* Præfectum, poſt annos aliquot quàm in officio continendis *Ægyptij* præpoſitus erat, occiſo *Vaphree*, demùm & ipſum, mortuo *Nabuchodonoſoro*, ex præfectura regnum uſurpaſſe: *Ægyptios* verò præfecturæ tempus cum ejuſdem regni annis promiſcuè habuiſſe. Quod autem de *Ægypti* ſolitudine prædicit *Ezechiel*, id καθ' ὑπερβολὴν apparet eſſe dictum: quia tanta futura ſit calamitas, ut, ſi cum priſtina felicitate comparetur, mera videri ſolitudo poſſit. Sanè Prophetica iſta reſponſa, propter hiſtoriæ temporum illorum obſcuritatem, interpretationem habent difficilem.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 17.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Cyro, & Perſici *regni primordio, quod demonſtratione probatur.*

Chronologiæ cardinem non ſemel appellare memini *Perſici* regni primordium, quod auctore *Cyro Cambyſis* filio jactum eſt anno primo Olympiadis 55. quod ſine ulla dubitatione Veteres omnes ac Recentes aſſerunt. Non enim auctoritate ſolâ, ſed etiam cœleſtibus obſervationibus id eſſe verum oſtenditur. Vide lib 10. de Doct. Temp. cap. 12. & ſeq.

Euſebius lib. 10. *de Præparat. Evangel.* ſcribit ex omnium conſenſu, primo anno quintæ & quinquageſimæ Olympiadis *Cyrum* in *Perſide* regnare cœpiſſe, auctoreſque citat imprimis *Diodorum*, *Thallum*, *Caſtorem*, *Polybium*, *Phlegontem*, ac reliquos, qui Olympiadas digeſſerunt. Id verò præterea ex Aſtronomicis, ut dixi, obſervationibus efficitur, quæ *Cambyſe* ac *Dario Hyſtaſpis* filio regnantibus acciderunt. *Ptolemæus* refert (*a*) ex *Chaldæorum* monimentis, anno ſeptimo *Cambyſis* Lunam defeciſſe, anno *Nabonaſſari* 225. *Phamenoth* 17. horâ 1. 50. ante mediam noctem. Id evenit anno Per. *Jul.* 4191. ante *Chriſtum* 523. *Julii* 16. ſequente 17. Rurſus (*b*) Lunæ defectio altera incidit in annum 20. *Darii*, *Nabonaſſari* 246. *Epiphi* 28. Tempus eſt anno Per. *Jul.* 4212. *Novembris* 19. ſequente 20. Tertia denique viſa eſt anno *Darii* 31. *Nabonaſſari* 257. *Tibi* 3. ſequente 4. Per. *Jul.* 4223. *Aprilis* 25. Vide lib 10. de Doct. Temp. cap. 14.

a Lib. 5. pag. 125. Græc.

b Ptolem. lib. 4. pag. 102.

Ex his certiſſimè colligitur initium *Perſici* regni. Etenim *Cyrum* fatentur omnes annos imperâſſe 30. ut *Cicero lib.* 2. *de Divinat.* teſtatur; totidemque *Cteſias* adſcribit, uno minùs *Herodotus*, qui *Cambyſen* ait regnâſſe annos 7. menſes 5. *Smerdin* verò *Magum* menſes 7. Efficiuntur ab exordio *Cyri*, ad ſeptimum *Cambyſis*,

Cambyſis, anni 37. Annus ſeptimus *Cambyſis* incurrit in annum Per. *Jul.* 4191. De quibus detractis 37. reſidui ſunt 4154. Ergo anno ſequenti 4155. primus *Cyri* congruit. Idem efficies, ſi ex anno 4212. qui eſt *Darii* 20. deducas annos à *Cyro* lapſos 58. aut ab anno Per. *Jul.* 4223. qui eſt triceſimus primus *Darii*, annos 69. Igitur exorſus eſt *Cyrus* anno Per. *Jul.* 4155. quo deſiit annus primus Olympiadis 55. & ſecundus iniit.

Annus, quo *Crœſum*, expugnatis *Sardibus*, in poteſtatem *Cyrus* accepit, certò demonſtrari non poteſt. Licet tamen probabili uti conjecturâ; ex eo quòd *Diogenes Laërtius* in *Periandro* refert, ipſum, auctore *Soſicrate*, mortuum annis 40. ante *Crœſi* calamitatem, & uno ante Olympiadem 49. Quare videtur Olympiade 59. ineunte *Crœſus* à *Cyro* captus eſſe, Per. *Jul.* 4170.

De initio *Babylonici* Imperii, expugnataque *Babylone*, veriſimilem ſententiam facit *Mathematicus Canon*, quem fine *Partis* hujus deſcripſimus; qui inter *Babylonios* Reges *Cyrum* recenſens, annos ei dat novem. Hi de triginta deducti, primum conferunt in annum *Cyri* 22. Per. *Jul.* 4176. quo, victo *Nabonnedo* & in *Carmaniam* translato, *Cyrus Babylone* potitus eſt. Fuit hic annus tertius Olympiadis 60. ante *Chriſtum* 538. à *Nabonaſſaro* 210. quod egregiè cum *Mathematico Canone* congruit. Nam & ibi ducenteſimus decimus annus à *Nabonaßaro* numeratur ille, quo *Cyrus Babylone* regnare cœpit.

CAPUT IX.

De Cylonii *piaculi*, *deque* Periandri *&* Piſiſtrati *temporibus.*

CYlonium piaculum accidiſſe ſcribit *Thucydidis* Scholiaſtes ſub *Marathoniam* pugnam,

gnam, errore ſanè maximo. Siquidem *Marathonius* conflictus incidit in annum tertium Olympiadis 72. Per. *Jul.* 4224. uti poſtea dicetur. At *Cylonium* piaculum (ſic enim appellare mos Κυλώνειον ἄγος) ante *Solonis* præturam factum eſt, ut docet *Plutarchus* in *Solone*. Prætor autem fuit anno Olympiadis 46. tertio. Quare immaniter Scholiaſtes iſte peccavit. *Scaliger* in *Collectaneis Olympiadum* contulit in annum primum Olympiadis 45. uti & nos in *Chronico* fecimus. Is eſt annus Per *Jul.* 4114. ſeptimus ante magiſtratum *Solonis*: de quo tamen dubitationem injicit *Plutarchus*; qui, cùm primùm prodire cœpit in publicum *Solon*, jam dudum *Cylonio* ſcelere perturbari cœpiſſe Rempublicam refert. Verùm quia certus nobis, quem potiùs ſequamur, deeſt Auctor, in anno illo primo ſiſtimus Olympiadis quadrageſimæ quintæ.

Periander anno quadrageſimo ante *Crœſi* calamitatem obiit, & uno ante Olympiadem 59. ut *Soſicrates* apud *Diogenem* teſtis eſt. Igitur & anno primo Olympiadis 59 *Crœſus* captus eſt: qui eſt Per. *Jul.* 4170. & anno 4129. quarto Olympiadis 48. *Periander* obiit, quinto anno ab excidio *Hieroſolymitano*. Huic annos tyrannidis 44. aſſignat (*a*) *Ariſtoteles*. Quare iniit anno Per. *Jul.* 4086. Olympiade 38. quâ & ipſum claruiſſe ſcribit *Diogenes*. Herodotus verò (*b*) auctor eſt *Periandrum* anno 5. *Alyattis*, patris *Crœſi*, *Corinthi* jam Tyrannum fuiſſe; qui eſt annus ſecundus Olympiadis 42. Periodi *Jul.* 4103.

Vide Paral. Oper. de Doct. Temp. pag. 856.

a 5. Pol. cap. 12.

b L. 1. 10

De *Piſiſtrato* ſic accipe. Scribit (*c*) *Ariſtoteles* bis *Athenis* pulſum eſſe *Piſiſtratum*, atque ex annis 33. *d* qui ab initio occupatæ tyrannidis ad ejus obitum interjecti ſunt, nonniſi 17. tenuiſſe dominatum: ejus verò filios, *Hipparchum* & *Hippiam*, annis 18. Unde in totum annis 35. tyrannidem geſſerunt. Ad hæc *Thucydides* refert annis 20. ante *Marathoniam*

c L. 5. Pol. cap. 12.

d Id & Heraclides de Politiis.

honiam pugnam *Piſiſtratidas Athenis* eſſe pulſos. Ea pugna contigit anno Per. *Jul.* 4224. ut poſtea probabitur. Proinde anno circiter 4204. ſive tertio Olympiadis 67. *Piſiſtratidæ Athenis* exacti ſunt. *Piſiſtratus* verò mortuus erit anno 4186. id eſt, Olympiade 63. Initium porrò tyrannidis *Piſiſtrati* annis ante hoc tempus 33. incidet in annum Per. *Jul.* 4154. vel 4155. primum Olympiadis 55. quâ *Cyrus* in *Perſide* regnare eſt orſus. Refert *e Herodotus* *Piſiſtratum*, cùm primò urbem occupâſſet, *Megaclis* factione brevi poſtea dejectum eſſe. Deinde conciliato ſibi nuptiarum pactione *Megacle* eodem, denuò per ſubornatam *Minervæ* ſpecie fœminam in arcem introductum fuiſſe. Unde *Megaclis* conſpiratione rurſus expulſus, undecimo demùm anno reſtitutus eſt. Idem verò teſtatur reſtitutionem hanc alteram ſub id incidiſſe tempus, quo *Crœſus* contra *Cyrum* bellum agitans, *Græcarum* civitatum circumſpectabat auxilia; quod in annum Periodi *Julianæ* 4169. meritò conjicere poſſumus: nam ſequente victus eſt *Crœſus*. Itaque ſi de annis 4169. deducantur anni 11. reliquus erit annus 4158. quo ſecundò dejectus eſt *Alcmæonidarum* factione *Piſiſtratus*. Cùm autem ab anno 4169. ſive quarto Olympiadis 58. ad annum 4186. quo mortuus eſt *Piſiſtratus*, anni ſint integri ſaltem 16. & ſeptimi decimi pars aliqua, ut ſi anno 4169. exeunte tyrannidem recuperâſſe dicatur, & ineunte 4186. mortuus eſſe *Piſiſtratus*, ut, *Ariſtotelem* ſecuti, annos in totum 17. explêſſe putemus, conſentaneum eſt, priora duo tyrannidum tempora ſingula paucos menſes obtinuiſſe, ut ex omnibus 17. ſolidi componantur anni. Vide omnino *Paralipomena Operis de Doct. Temp.*

e lib. cap. 59. & ſeq.

CAP.

CAPUT X.

De tempore, quo Cyrus Babylone *regnare cœpit, deque ſequentium Regum initiis; tum de iiſdem, quatenus in libris* Eſdræ *memorantur, ac de* Zorobabele; *tum de* Danielis *hebdomadibus.*

QUoniam *Judaïcæ* res illorum temporum cum *Perſicis* ita ſunt implicatæ, ut ſine his explicari iſtæ nequeant, præſertim niſi *Perſarum* illi Reges illuſtrentur, quorum eſt in *Eſdræ* ac *Neemiæ libris* mentio, de illorum regnis ac temporibus initiò videndum eſt.

Cyrus itaque, quod *libro ſuperiore* conſtituimus, exordia regnandi habuit duo. Nam in *Perſide* dominari cœpit anno primo 55. Olympiadis, Per. *Jul.* 4155. *Babylone* anno tertio Olympiadis 60. Per. *Jul.* 4176. Mortuus eſt anno 4 Olympiadis 62. nono ab initio *Babylonico.* Nam 30. annis in totum regnâſſe Scriptores penè omnes conſentiunt; interque cæteros *Cteſias*, *Diodorus*, & apud *Ciceronem lib.* 1. *de Divinat. Dionyſius Perſicus*, qui & eumdem annos vixiſſe 70. refert; falſò id quidem, ſi verum eſt, quod ſcribit *Herodotus*, Rege illum *Aſtyage* natum eſſe, qui haud plures 35. regnavit. *Cambyſes* igitur anno Periodi *Jul.* 4185. *Perſis* imperavit; quod & Lunæ deliquium oſtendit illius anno ſeptimo notatum.

Cyri regnum.

Regnavit *Cambyſes* annis 7. menſibus 5. Quod reliquum erat hujus anni *Smerdis Magus* explevit, qui pro *Cyri* filio ſeſe gerens, paucis conſciis, illuſit Orienti.

Cambyſes.

Mago ſublato, conſpiratione principum ſeptem *Darius Hyſtaſpis* filius ſuffectus eſt. Cujus exordium duplici lunarium eclipſeôn obſervatione munitum eſt; idque cecidit in annum quartum Olimpiadis 64. qui eſt Periodi

Darius.

Julianæ

Julianæ 4193. quod & *Euſebius* in *Chronico*, & *lib.* 5. *de Præparat. Evangel. pag. Græc.* 238. tradidit. Annos *Dario* dat *Herodotus*, aliique vulgò, ſex & triginta.

Xerxes.

(*a*) *Xerxes* à patre *Dario* deſignatus Rex anno exacto tertio poſt cladem *Marathoniam*, (de qua dicemus poſtea) quod anno circiter Olympiadis 73. ſecundo contigit, *Darii* ineunte 35. Per. *Jul.* 4127. illo mortuo ſolus imperare cœpit, anno Periodi *Julianæ* 4229. quarto Olympiadis ejuſdem 73. & paulò amplius 20. regnavit annis, ut (*b*) *Diodorus* aliique Veteres aſſerunt. Obiit ergo anno quarto Olympiadis 78. Per. *Jul.* 4249.

Artaxerxes, ejuſque dupl. initium.

c Hunc *Artaxerxes* filius excepit, *Longimanus* dictus, quòd manu eſſet unâ longiore, qui annos 40. *Perſis* imperavit, poſt patris obitum. At nos duplex ejus initium facimus; alterum, quo cum patre regnavit annos circiter decem, alterum poſt ejuſdem obitum annorum quadraginta. Hujus conjecturæ nobis hoc argumentum ſuppetit. *Themiſtocles Athenis* profugus ad Regem *Perſarum* profectus eſt, quem antequam adiret, literas ad eum dedit. *Thucydides lib.* 1. *Artaxerxem* ait fuiſſe *Xerxis* filium, *qui nuper imperare cœperat.* Idem & (*d*) *Charon Lampſacenus* prodidit, qui *Xerxis* ætate vixit, & *Herodotum* anteceſſit, ut auctor eſt (*e*) *Tertullianus*, quibus *Cornelius Nepos* in *Themiſtocle* ſubſcribit, & *Plutarchus.* At verò *Xerxe* adhuc vivo ad eum venisse *Themiſtoclem*, plerique alii ſcripſerunt, *Ephorus*, *Dinon*, cui *Perſicis* in rebus multum ſe tribuere *Cornelius Nepos* ait in *Conone*, *Clitarchus*, *Heraclides*, aliique complures, (ait *Plutarchus*) quos *Diodorus lib.* 11. ſequitur; qui *Themiſtoclis* fugam conjicit in annum ſecundum Olympiadis 77. qui eſt ſeptimus ante *Xerxis* obitum; nec multum diſcrepat *Euſebius.* Tùm quæ de *Themiſtocle* ab eodem *Plutarcho* narrantur, ejuſque morte, ſatis evincunt, ad *Xer-*

a Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 23.

b Diod. lib. 15. pag. Græc. 278.

c Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 15.

d Apud Plutarch in Themiſt.

e Lib. de Ant. cap. 46.

xem illum potiùs adiiſſe, quàm ad *Artaxerxem*. Quocirca ne mendacii tot veteres & graviſſimos Hiſtoricos arguamus, nulla conciliandorum illorum inter ſe ratio probabilior offertur, quàm ut utroſque vera ſcripſiſſe, & *Artaxerxem* à patre deſtinatum imperii ſucceſſorem, & collegam factum eſſe dicamus, ex veteri *Perſarum* conſuetudine, cujus meminit *Herodotus* initio *lib.* 7. ubi morem fuiſſe refert, ut à Rege in expeditionem eunte filiorum unus Rex eligeretur; ſecundùm quem *Darius* contra *Ægyptios* & *Athenienſes* exercitum comparans, *Xerxem* natu licèt minorem, ſed Rege ſe genitum, majori prætulit *Artobazani*, quem privatus ſuſceperat. Eodem ritu credibile eſt *Artaxerxem* à patre, bellum de integro contra *Græcos* moliente, (quod *Juſtinus* in calce 2. *libri* memorat) Regem eſſe factum, & *Dario* fratri natu licèt majori antepoſitum fuiſſe; quòd iſte privato adhuc *Xerxe* genitus, *Artaxerxes* eodem Rege natus eſſet, ut (*a*) ex *Herodoto* non levis eſt conjectura.

a Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 25.

Itaque cùm *Themiſtocles* ſub annum Per. *Jul.* 4243. hoc eſt ſecundum Olympiadis 77. ad *Artaxerxem* profugerit, iſque νεωςὶ, *paulo antè*, regnum iniiſſe dicatur à *Thucydide*, poteſt *Artaxerxis* exordium triennio antè ſtatui, duodecimo *Xerxis*, Per. *Jul.* 4240. Ita decem annos cum patre regnaverit, ſolus verò 40.

Reliqui (*b*) *Perſarum* Reges perexiguam habent controverſiam. Quare iis omiſſis, quæ de iiſdem *Perſarum* Regibus in ſacris Libris ſunt expreſſa, videamus.

b Vide hos Reges in lib. 10. de Doct. Temp. cap. 26.

In *libro* 1. *Eſdræ* fit quorumdam *Perſicorum* Regum mentio, de quibus haud levis eſt inter peritos hiſtoriæ quæſtio. Primùm *capitibus primis tribus* populi reditus in *Judæam* exponitur ex edicto *Cyri*, duce *Zorobabele*, (qui & *Seſbatſar cap.* 5. nominatur) nec non *Joſuë* filio *Joſedec* ſummo Pontifice; à quibus templi fundamenta poſita ſunt, altareque conſtructum.

Sed inchoatum opus æmulorum improbitas procedere ultrà vetuit, *Cyro*, quod reliquum tempus habuit, longinquis, ut apparet, expeditionibus occupato. Poſt hunc *lib.* 1. *Eſdr. cap.* 4. *vers.* 6. nominatur *Aſſuerus* : quo regnante, rurſum *Judæis* obtrectârunt inimici, & videlicet abſolvendi ſpem operis eripuerunt. Sequitur *Artaxerxes ibid. commate ſeq.* qui ab iiſdem *Judæorum* hoſtibus plenis accuſationum literis incitatus, urbis ædificationem prohibuit. (*a*) Tandem *Dario* regnante, ejuſque ſecundo anno, *Aggæo* & *Zachariâ* Prophetis hortantibus, *Zorobabel* & *Joſuë* intermiſſam templi molitionem repetunt, (*b*) quam ſexto anno perduxerunt ad exitum.

a lib. 2. Eſdr cap. 5. & ſeq.
b Lib. 1. Eſdr. 6. 15.

(*c*) Poſt hæc anno ſeptimo *Artaxerxis Eſdras Babylone* profectus eſt, commeatu ab Rege dato.

c Lib. 2. Eſdr. 7. 8.
d Lib. 2. Eſdr. 2. 1.

(*d*) Demùm anno viceſimo *Artaxerxis*, *Neemias*, impetratâ ab Rege licentiâ, in *Judæam* venit, atque urbem exædificavit.

In his *Perſarum* Regibus, quia medius inter *Artaxerxes* duos ponitur *Darius*, hunc eſſe *Nothum* arbitrati ſunt aliqui, ut *Scaliger lib.* 5. *de Emend. Temp.* qui ab *Dario Notho* inſtaurandi templi veniam datam eſſe contendit. Sed fallitur. Id ſi eſſet, oporteret *Zorobabelem* annos, ut minimum, 140. vixiſſe, ex iiſque 114. *Judæis* præfuiſſe. Nam *Darius Nothus* imperare cœpit anno Periodi *Jul.* 4290. ad quem ab anno primo *Cyri Babylone* regnantis, qui eſt Per. *Jul.* 4176. anni ſunt 114. Adde jam 30. vel plures, quot ille natus principatum inter ſuos obtinuit, fiet illa, quam diximus, incredibilis annorum ſumma 140. Præterea *lib.* 3. *Eſdræ capp.* 3. & 4. nec non *Joſephus Antiquit. lib.* 11. *cap.* 4. referunt, *Zorobabelem* anno *Darii* ſecundo domeſticum protectorem, σωματοφύλακα, Regis fuiſſe. Itane homo natus annos 140. ſatelles Regis eſſe potuit? Hoc ipſum de *Joſuë* ſummo Sacerdote multò

multò eſt conſequens magis. Non enim Pontificatum niſi maturâ jam ætate ſortiebantur. Igitur *Darius* iſte procul dubio eſt *Hyſtaſpis* filius. *Aſſuerus* autem eſt *Cambyſes*, ut aſſerit *Joſephus Antiquit. lib.* 11. *cap.* 12. qui eumdem & *Artaxerxem* in *Eſdræ libro* nominari putat; quod eſt probabile. Ita eumdem Regem duplici nomine deſignavit *Eſdræ liber*. Niſi *Artaxerxem* iſtum mavis eſſe *Smerdin Magum*, quod & nos (*a*) arbitrati ſumus. *a* Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 25.

Sed nec illud præterire volumus, quod de duplici *Artaxerxis* exordio ſuperius (*b*) attigimus, utile imprimis eſſe ad 70. *Danielis* hebdomadas explicandas. Quarum initium ab anno *Artaxerxis* 20. ducimus; eo nimirum, quo edictum de inſtaurandis *Hieroſolymis* exitum habere cœpit *Dan.* 9. 25. quem calumniis ac ludificationibus æmuli hactenus impedierant. Sed viceſimus iſte *Artaxerxis*, non à morte *Xerxis*, ſed à primo ejus initio repetitur. Itaque primus annorum 490. quæ ſunt hebdomadæ annales 70. convenit in annum ante *Chriſtum* 455. Periodi *Julianæ* 4259. mundi 3529. Septuageſima hebdomas inijt anno ipſo, quo *Chriſtus* à *Joanne* baptiſmo tingitur, Per. *Julianæ* 4742. Quare anno 3. hebdomadis *Chriſtus* interfectus eſt: *In dimidio* (inquit *Daniel* 9. 27.) *hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*, hoc eſt, *in ejus parte dimidia*, μεσαζούσης τῆς ἑβδομάδος, labente hebdomade poſtremâ, legalibus ſacrificiis modus adhibebitur. Quod ea morientis *Chriſti* vox indicat, *Conſummatum eſt*. Vide *lib.* 12. *Operis de Doct. Temp. capp.* 32. 33. *b* Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 32. & ſeq.

Caput XI.

De annis Marathonii *&* Salaminii *conflictus*; *initio* Peloponneſiaci *belli*; *&* Roma *à* Gallis *occupata.*

Marathonia pugna, de qua vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 22.

a In Ariſt.
b Lib. 1. pag. 13.
c Lib. 5. pag. 291. Græco Lat.

ANno tertio Olympiadis 72. Per. *Jul.* 4224. ante *Chriſtum* 490. *Marathonia* pugna commiſſa eſt, *Phænippo* Archonte, ut ait (*a*) *Plutarchus*, decimo anno ante *Salaminiam*, auctore (*b*) *Thucydide*. Sunt qui anno antecedente pugnatum velint, hoc eſt ſecundo Olympiadis 72. *Hybrilidâ* Archonte, cui favere videtur (*c*) *Dionyſius Halicarnaſſenſis*. Hic enim *Marathoniam* pugnam ſedecim annis *Bruti* funere poſteriorem facit; & initio *libri* 7. annum ſecundum Olympiadis 72. quo *Hybrilides* Archon fuit *Athenis*, decimum ſeptimum ait vertentem eſſe ab expulſis Regibus. Mortuus eſt autem *Brutus* anno altero ab exactis Regibus. Verùm *Thucydidis* potior eſt auctoritas, qui δεκάτῳ ἔτει à *Marathonia* pugna certatum eſſe dicit ad *Salaminem*: quemadmodum & *Lyſias* in *Epitaphio Corinthiacorum* auxiliarium. Atqui *Salaminius* conflictus extra controverſiam incidit in annum primum Olympiadis 75. Per. Jul. 4234. Igitur *Marathonius* anno congruit 4224. Adde nomen Prætoris *Athenienſis*, quem *Plutarchus Phænippum* vocat. Hic enim tertio anno 72. Olympiadis congruit, non ſecundo; eo quippe *Hybrilides* Prætor *Athenis* fuit, ut ſcribit *Dionyſius* initio *libri* 7. *pag.* 378. non à primo, quo *Diognetum* Prætorem fuiſſe memorat idem *ſexto libro.* Quinetiam ex *Herodoti* narratione conficitur, quinto ante *Darii* obitum anno victum eſſe ad *Marathonem* illius exercitum, ut ſubinde conſtabit.

Quòd autem illo, quo dicimus, anno *Salaminia*

a Lib. 8. pag. 298. Græc.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 24. & Paralip. pag. 852.

laminia pugna geſta ſit, (*a*) ex *Herodoti* narratione conficitur : qui menſibus aliquot ante prælium *Olympica* certamina peracta meminit, ac cætera deinceps ita digerit, ut autumno ſequente prælium Iſtud videatur accidiſſe. Præterea ſcribit *Herodotus lib.* 9. poſt *Salaminiam* pugnam, cùm *Cleombrotus Lacedæmoniorum* dux muniret Iſthmum, ut *Mardonio* aditum intercluderet, Solem defeciſſe, eâque re territum illum abſtitiſſe. Atqui defectio Solis ipſo facta eſt anno, quo Olympias 75. cœpit, nempe *Jul.* Per. 4234. *Octobris* ſecundâ, horâ 1. $\frac{1}{2}$. ferè poſt meridiem. Convenit igitur *Herodoteæ* narrationi annus iſte, quem dixi.

De Bello Peloponnesiaco.

b Lib. 2. pag. 117. & lib. 4. pag. 286. & lib. 7. pag. 517.

Peloponneſiaci belli primordium oſtenditur multis & certiſſimis argumentis in annum Per. *Jul.* 4283. ante æram *Chriſtianam* 431. competere : quæ *Thucydidis* hiſtoria (*b*) ſuppeditat. Siquidem anno illius primo Sol defecit poſt meridiem; ac rurſus anno ejus octavo. At anno 19. quo in *Sicilia* clades ab *Athenienſibus* eſt accepta, Luna defecit ſub æſtatis finem. Hæc omnia demonſtrant, anno, quo dixi, Per. *Jul.* 4281. bellum iniiſſe, & octavum ejus incidere in annum 4290. decimum nonum in 4301. quibus omnes illæ defectiones acciderunt, ut in *libb.* 8. & 10. *de Doct. Temp.* expoſuimus.

De anno captæ à Gallis Urbis.

c Lib. 11. pag. 60.

d Lib. 1. pag. 5.

Polybii & Dionyſii Halicarn. errores.

Annus Urbis à *Gallis* occupatæ 364. eſt ſecundùm *Varronem*; at uno minùs ex *Faſtis Capitolinis*, Olympiadis 97. tertius; ab eo verò, quo Reges pulſi ſunt, centeſimus & viceſimus. Itaque falſus eſt (*c*) *Halicarnaſſenſis*, qui ineunte Olympiade 98. Archonte *Pyrrhione*, vel *Pyrgione*, captam eſſe *Romam* aſſerit, qui eſt annus Urbis, ex *Varronis* calculo, 366. nec non *Polybius*, (*d*) qui anno ſequenti, Archonte *Theodoto*, id aſſignat. Nam contigiſſe refert anno decimo nono ab victis *Athenienſibus* ad *Ægos potamon*, & ſexto decimo an-

te pugnam *Leuctricam*. At clades *Athenienſium* incidit anno 27. belli *Peloponneſiaci*, quarto Olympiadis 96. Per. *Julianæ* 4309. *Leuctrica* verò pugna ſecundo Olympiadis 102. Per *Jul.* 4343. Itaque *Polybius Romanæ* Urbis ἅλωσιν conjecit in annum Per. *Jul.* 4327. in quem cadit annus U. C. 367. Verùm extra controverſiam eſt, eo captam anno fuiſſe, quo Tribunatum militarem Conſulari poteſtate geſſere *Fabii* tres, qui *Gallorum* irruptioni cauſam dederant, ut *Livius lib.* 5. aliique conſentiunt. At is annus eſt *Varronianus* 364. ad quem ſedes Conſulatuum ab Regifugio ſunt haud plures quàm centum & viginti.

Vide lib. 9. de Doct. Temp. cap. 46. & lib. 10. cap. 30. & Var. Diſſert. ad Uranolog. lib. 5. cap. 12.

CAPUT XII.

De Alexandri M. *pugna ad* Arbella *cum* Dario; *deque ejus ortu ac morte*, *epocha* Philippi, Calippicæ *Periodi*, Ptolemæi Philadelphi *&* Philometoris *initiis*.

DArii clades ad *Arbella* paucis diebus ſecuta eſt lunarem defectionem, quæ *Septembris* 20. accidit, primâ ferè noctis vigiliâ, ait *Curtius*. *Plinius* verò, horâ noctis 2. idque *Arbellis* in *Sicilia*, commodùm occidente Sole; quæ de illius exordio capienda ſunt. At *Arrianus* imperitè ſcribit, τῆς σελήνης τὸ πολὺ ἐκλιπὲς ἐγένετο, *magna pars Lunæ defecit*: quaſi non tota defecerit. In quo *Thucydideum lib.* 4. *pag.* 287. loquendi modum, quo Solis deliquium exprimit, κακοζήλως & pueriliter eſt imitatus. Anno quippe belli *Peloponneſiaci* octavo, τῦ ἡλίυ, ait *Thucydides*, ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ νυμηνίαν. *Arrianus*, quia maximam Lunæ defectionem *Arbellicam* iſtam fuiſſe legerat, τὸ πολὺ dicere ſatis eſſe credidito Quin falsò refert *Pyanepſione* menſe & eclipſin

Arriani error.

& vi-

& victoriam incidiſſe. Meliùs *Plutarchus Boëdromione* circa myſteriorum initium defeciſſe Lunam aſſerit, & undecimo pòſt die, quæ ſunt *Octobris* Calendæ, pugnam eſſe commiſſam. *Cicero lib.* 1. *de Divinat.* cùm hujus defectionis meminit, mirum quiddam ſignificat: *Quale*, inquit, *ſcriptum illud videmus, ſi Luna paulò ante Solis ortum defeciſſet in ſigno Leonis, fore ut armis Darius & Perſæ ab Alexandro & Macedonibus prælio vincerentur Dariuſque moreretur.* His verbis non aliam Lunæ defectionem adumbrat, quàm inſignem illam, quæ *Septembris* 20. contigit. At hæc ſub initium noctis eſt viſa: eratque tum Luna in Piſcibus, non in Leone. Porrò natus eſt *Alexander* anno primo Olympiadis 106. mundi 3628. *Hecatombæonis* ſextâ die, quæ incidit in *Julii* 20. Obiit anno 1. Olympiadis 114. mundi 3660. Quod ex Aſtronomorum veterum calculo probatur. Siquidem *Ptolemæus* à *Thoth Nabonaſſari*, id eſt neomenia primi anni *Nabonaſſarei*, quæ incidit in *Februarii* 26. diem, anno mundi 3237. ad *Thoth Philippi*, ſive mortis *Alexandri*, computat annos *Ægyptiacos* & ſimplices 424. ut & *Theo*, cæterique omnes Aſtronomi. Anni 424. ad *Julianos* redacti ſunt 423. dies 259. qui ab anno mundi 3237. ac *Februarii* 26. putati deſinunt in annum 3660. ac *Novembris* diem undecimum. Igitur annus *Nabonaſſari* 425. ſive *Thoth* anni primi poſt obitum *Alexandri*, cœpit duodecimo die *Novembris* anni ab orbe condito 3660. qui eſt Periodi *Jul.* 4390. ante *Chriſtianam* æram 324.

Ortus & mors Alexandri.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 30. & in Paral. pag. 859.

Eadem epocha ab Aſtronomis *Thoth Philippi*, ſive anni *Philippi*, aut ab exceſſu *Alexandri M.* nominari conſuevit, ab *Aridæo Philippi* ex pellice filio, qui poſt *Alexandri* fratris obitum conſenſu principum ſpecie Regis ac larvâ ſubornatus eſt, eique *Philippi* nomen impoſitum, uti ſuo loco meminimus.

Ab ejus itaque primordio æra iſta cognominata eſt. Teſtis eſt *Cenſorinus cap.* 21. annos *Philippi* ab exceſſu *Alexandri M.* numerari; qui quidem anno *Chriſti* 238. ſcribens, aſſerit eo anno quingenteſimum ſexageſimum ſecundum à *Philippo* putari, coſque annos à primo die menſis *Ægyptiaci* proficiſci, qui 7. Calend. *Julii* iſto anno cœperit. Annus *Chriſti* 238. eſt, ab orbe condito 4221. de quo deductis 462. reſtant anni 3659. Igitur anno ſequenti 3660. cœpit æra *Philippi*.

Calippicæ Periodi initium. Vide lib. 2. de Doct. Temp. cap. 16. & ſeq. & l. 10. cap. 37 Ptolem. lib. 3. pag. 63. Græc. edit. Vide lib. 4. de Doct. Temp. cap. 26.

Septimus ante hunc annus Periodo alteri dedit initium: cujus auctor *Calippus* Mathematicus, qui anno Periodi *Julianæ* 4384. altero ab *Arbellica* clade novum inſtituit orbem annorum 76. de quo *l.* 1. *cap.* 5. *Partis* hujus diximus. Hanc verò Periodum cœpiſſe anno illo, quem dixi, demonſtrant Aſtronomicæ τηρήσεις, quas è *Ptolemæo* in *libris de Doctrina Temporum* attulimus. Scribit *Ptolemæus*, *Ariſtarchum* obſervâſſe ſolſtitium æſtivum anno quinquageſimo, exeunte primæ Periodi *Calippicæ*, ab obitu *Alexandri* 44. ab obſervato à *Metone* ſolſtitio, anno 152. Hæc omnia cadunt in annum Periodi *Julianæ* 4434. Eſt hic proinde quinquageſimus ab initio *Calippicæ* Periodi: adeòque cœpta eſt hæc anno Periodi *Jul.* 4384. Et quoniam deſinente anno *Calippico* ſolſtitium incidit, argumento id eſt, ab æſtate media annos *Calippicos* inchoatos eſſe.

Sic anno 54. Periodi ſecundæ *Calippi*, anno *Nabonaſſari* 547. *Meſori* 16. ſub occaſum Solis Luna defeciſſe proditur: qui annus, ex methodo *Nabonaſſareorum* annorum, quam in *primo libro* tradidimus, incurrit in annum Periodi *Julianæ* 4513. *Septembris* 22. Proinde cum annus 54. Periodi ſecundæ *Calippi* ſit 130. ab exordio Periodi primæ *Calippicæ*, neceſſe eſt id incidiſſe in annum Periodi *Jul.* 4384. Quod & reliquæ duæ lunares eclipſes ab eodem *Ptolemæo* deſcriptæ perſuadere poſſunt,

ſunt, quas in *libb.* 2. & 10. *de Doct. Temp.* diligenter enucleavimus.

Ptolemæorum in *Ægypto* primordium ab eodem illo, quo mortuus eſt *Alexander*, anno proceſſit. In horum ſerie duo ſunt, quorum initia cœleſti charactere notantur, nempe *Philadelphus* & *Philometor*.

Illius exordium Aſtronomicâ obſervatione munitum eſt apud *Ptolemæum lib.* 10. *cap.* 4. Ibi ab *Timocharide* notata *Venus* deſcribitur anno 13. *Philadelphi* in gradu Virginis 4. 10. *Meſori* 17. ſequente 18. qui eſt *Octobris* 12. anni mundi 3712. ante *Chriſtum* 272. Ex quo conficitur, iniiſſe *Philadelphum* anno mundi 3699. vel antecedente, prout decimus ille tertius *Philadelphi* cœperit, vel deſierit anno illo, qui obſervationem continet.

Sic *Ptolemæi Philometoris*, qui *Ptolemæorum* ſextus à *Lagida* numeratur, exordium lunari defectione fit inſigne. Quam *Ptolemæus lib.* 6. *cap.* 5. deprehenſam prodidit anno illius 75. *Nabonaſſari* 574. *Phamenoth* 27. ſequente 28. horâ 2. circiter poſt noctem mediam. Eſt hic annus Periodi *Jul.* 4540. ante *Chriſtum* 174. quo Calendis *Maij* Luna defecit. Proinde *Philometor* exorſus eſt anno Periodi *Julianæ* 4534. vel antecedente, ante *Chriſtum* 180. vel 181. Cæteros *Ægypti* Reges habes in *lib.* 10. *de Doct. Temp. cap.* 46. & in *Paralip. pag.* 868. ubi *Ptolemæo Lathuro*, qui ſecundò regnavit, *Alexandros* ſubjecimus duos; quibus ſucceſſit *Auletes*: quod rectè (*a*) ab ambobus *Manutiis* obſervatum eſt ex *Agraria* 1. & 2. *Ciceronis*.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 44.

a Paulus Manutius ad. Agrar. Aldus in Quæſ. per Epiſt.

Cleopatræ porrò duos annos ac viginti plerique tribuunt. Sed ea primùm cum *Ptolemæo Dionyſio* fratre tres regnavit; pulſa deinde ſub idem eſt tempus, quo *Pompejus* in *Pharſalica* pugna victus in *Ægyptum* profugit, ut (*b*) indicant *Appianus* & *Dio*, hoc eſt anno Urbis 706. Poſt biennium, occiſo fratre in eo prælio, quod contra *Cæſarem Alexandrini* geſſerunt,

b Appian. lib. 2. Civil. Dio lib. 42.

ſerunt, in regnum à *Cæſare* eſt reſtituta, Urbis anno 708. mundi 3938. à quo ſeptemdecim deinde regnavit, uſque ad occupatam *Alexandriam* ab *Auguſto*. Fiunt anni duo & viginti ab exceſſu *Ptolemæi Aulœdi* ad obitum *Cleopatræ*.

Caput XIII.

De Seleucidarum *imperio*, *&* *æra* Seleucidarum, *ſive contractuum*, *vel* Dhilcarnain, *ac duplici epocha libri utriuſque* Machabæorum; *ubi anni* Græcorum *appellantur*.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 45.

Poſt necem *Perdiccæ*, quæ anno quarto ab *Alexandri* morte accidit, ſumma penes *Antipatrum* poteſtas fuit. Is aliam provinciarum in duces partitionem inſtituit: in qua *Seleuco Babylonia* obrigit. Neque tamen ex illo anno putari cœptum eſt *Seleuci* regnum, ſed ab anno duodecimo poſt obitum *Alexandri*, ineunte Olympiade 117. qui eſt Per. *Jul.* 4402. quo *Babyloniam*, unde metu *Antigoni* fugerat, exiguâ manu recuperavit; tametſi mox à *Demetrio Antigoni* filio rurſus illâ ſpoliatus eſt. Nihilominus ea, quam dixi, *Seleucidarum* eſt epocha, à qua *Seleucus* duos & triginta regnavit annos, ab eoque deinceps ejus poſteri, qui unus circiter & viginti numerantur; ſed peregrini interim aliquot in ſeriem intruſi ſunt.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. capp. 41. 42. 43.

Seleuci Regis exordium novam æram in Oriente peperit, quâ *Judæi* plurimùm uſi ſunt, poſtquam ſub *Græcorum* dominatu eſſe cœperunt. Hanc æram *Terik dhilkarnain* *Arabes* vocant, id eſt *epocham* τῦ δικέρωτος, *cornigeri*. Is eſt *Alexander M.* qui ſe *Ammonis* ſive *Jovis* cornigeri filium exiſtimari volebat. Ita paſſim *Albatenius* eam appellat. *Judæi* תור שט גום *æram contractuum*; quòd illam ad obſignandos contractus adhiberent; etſi

de

de appellationis origine minùs conſtat. Illud extra dubitationem eſt, hujus initium epochæ ab illo anno procedere, qui ante *Chriſtianam* æram putatur 312. & eſt Per. *Jul.* 4402. quo 117. Olympias iniit. *Albatenius* huic epochæ fidem facit pluribus ſiderum defectionibus, quas æra illa notat, quæque in *lib.* 10. *de Doct. Temp. capp.* 39. & 40. deſcriptæ ſunt. Sed & id ipſum teſtatur *Euſebius Demonſtrat. Evangel. lib.* 8. *cap.* 2. *pag.* 244. qui *Seleucum* ait regnare cœpiſſe anno duodecimo poſt obitum *Alexandri*, qui eſt ab initio *Cyri* 248. quod quidem eximiè convenit. Nam *Cyrus* in *Perſide* cœpit anno Per. *Jul.* 4155. à quo ad annum 4402. totidem interjecti ſunt. Addit verò, ab hoc principio *Græcorum* imperium in *Machabæorum* hiſtoria proficiſci.

Sed duplex eſt horum annorum initium. Nam aliàs à verno tempore & à *Niſan Judaico*, aliàs ab autumno & *Tiſri* progrediuntur. Rurſus interdum lunares anni, interdum *Juliani* uſurpantur, & fixi. *Judæi* in annis contractuum lunares adhibent: *Syro-Macedones*, ſive *Antiocheni*, poſt *Julianam* anni formam editam, ſolares adſciverunt, atque ab *Hyperberetæo* ſive *Octobri Juliano* duxerunt exordium.

Anni Græcorum in 1. Machab. ſex menſibus incipiunt ante eos, qui in 2. memorantur.

In *libro* 1. *Machabæorum* anni *Græcorum* à *Niſan*, ſeu verno menſe: in poſteriore, à *Tiſri* ſequente, autumnove procedunt; ita ut anni prioris libri ſex menſium intervallo poſterioris antevertant initium. Quod hâc argumentatione ſuadetur.

Libro 1. *Machab. cap.* 7. *vers.* 1. *Demetrius Seleuci* filius *Româ* profugit anno *Græcorum* 151. Eodem anno, *Adar* 13. die, *Bacchides* victus eſt 1. *Machab.* 7. 43. 49. Annus porrò ſequens 152. inchoatus eſt à *Niſan*; quem primum menſem Scriptura nominat. Siquidem eodem *lib. cap.* 9. 3. ſcriptum eſt, anno centeſimo quinquageſimo ſecundo, menſe primo,

mo, *Demetrii* exercitum ad urbem *Hieroſolymam* applicuiſſe. Hunc verò menſem, qui primus dicitur, eſſe *Niſan*, declarat *cap.* 16. 14. ejuſdem *lib.* ubi undecimus menſis vocatur *Sabath*, qui proximè *Adarem* præcedit. Item *cap.* 10. 1. anno 160. *Græcorum Alexander Antiochi* filius *Ptolemaidem* obtinet. Eodem (*a*) anno labente, per ſolemnem Scenopegiæ diem *Jonathas* Pontificatus inſignia cepit. Igitur nulla eſt anni mutatio facta ineunte *Tiſri*. Ad hæc (*b*) *Jonathâ* interfecto, hyemis tempore, cùm multum ninxiſſet, *Simon* (*c*) ſacerdotio ſummo poſitus eſt anno 170. Poſtea (*d*) menſe ſecundo numeratus eſt annus 171. Hic igitur à menſe primo ſive *Niſan* incepit.

a Cap. 10. 21.
b Cap. 13. 22.
c Ibid. vers. 41.
d Ibid. vers. 31.

Quòd autem in 11. *libro Machab.* minùs uno computentur anni *Græcorum*, res eſt perſpicua. Nam (*e*) *lib.* 1. *Antiochus Epiphanes* obiiſſe fertur anno 149. cui ſtatim ſucceſſit *Antiochus Eupator* ejus filius. At in (*f*) *libro* 2. *Antiochus* idem *Eupator* poſt parentis obitum ſcripſit ad *Judæos* anno 148. Item (*g*) *lib.* 1. anno 150. *Antiochus Eupator* in *Judæam* venit contra *Judam Machabæum*, ac paulò pòſt cum eo pacem fecit, auctore *Lyſiâ*, quòd *Philippum* metueret. Idem iſtud anno 149. factum proditur (*h*) *libro* 2. Rurſus *Demetrius Seleuci* filius anno 151. *Româ* profectus eſt in *Syriam*, & *Antiochum* ac *Lyſiam* interimi juſſit (*i*) *libro* 1. Sed (*k*) *libro* 2. id anno 150. accidiſſe dicitur.

e Cap. 6. 16.
f Cap. 11. 33.
g Cap. 6. 20.
h Cap. 13. 1. & 23.
i Cap. 7. 1.
k Cap. 14. 4.

Ex quibus efficitur, annorum *libri* prioris initia præcedere poſterioris annos menſibus ſenis. Hoc verò ratiocinando ſic concluditur. Annus 150. *libri* prioris, quo *Antiochus Eupator Hieroſolymam* obſedit, erat Sabbaticus, ut indicat *caput* 6. 53. ac teſtatur *Joſephus Antiquit. lib.* 12. *cap.* 24. Cùm igitur Sabbaticus annus ab autumno cœptus in autumno ſequente deſierit, non poteſt Sabbaticus idem putari

putari in priore *libro* centeſimus & quinquageſimus, in poſteriore 149. niſi ab *Tiſri* & autumno antecedente numeratus ſit 149. idem annus, quia à verno tempore & à *Niſan* in primo *libro* computatus eſt centeſimus quinquageſimus. Sed hæc fuſiùs & accuratiùs habes explicata *lib.* 10. *de Doct. Temp. cap.* 41. & ſeq. ubi & annos contractuum à *Judæis*, & *Dhilkarnaim* ab *Arabibus* ex autumno numerari docuimus, atque ab anno Per. *Jul.* 4402. procedere.

Tum verò Chronologorum aliquot error animadverſus eſt, qui annos *Græcorum*, hoc eſt *Seleucidarum*, in *lib.* 1. *Machab.* menſibus 18. antecedere putant eos, qui in *libro* 2. numerantur. Exempli cauſâ, annum primum *Seleucidarum* inchoant à menſe *Niſan* anni mundi 3743. ſecundùm *Machabæorum* priorem *librum*: at ſecundùm poſteriorem, ab autumno anni 3744. quam æram *Chaldaicam* nominant. Sed falſos illos eſſe docet annus *Græcorum* 150. quo *Judas Machabæus Hieroſolymorum* arcem obſediſſe (*a*) dicitur in priore *libro*, atque *Antiochus Eupator Epiphanis* filius ſuppetias iis tuliſſe, (*b*) cùm annus eſſet Sabbaticus: deinde pacem cum *Juda* feciſſe, ut contra *Philippum*, qui *Antiochiæ* rebellârat, arma converteret. At hæc ipſa (*c*) in *libro* poſteriore tribuuntur anno 149. *Græcorum.* Si anni *libri* ſecundi menſibus octodecim tardiùs inchoantur, quàm anni *libri* prioris, debuit annus 150. iniens in primo *libro* putari 148. in ſecundo, non 149. Adhæc, non poſſunt ambo illi anni 150. & 149. in eumdem Sabbaticum concurrere, ſi plus ſemeſtri ſpatio eorum initia diſtent. Cùm enim anni *Græcorum* in priore *libro* priùs incipiant, quàm anni poſterioris; annus autem 150. prioris à *Niſan* cœptus, Sabbaticus fuerit, Sabbatiſmi exordium ex antecedente *Tiſri* repetendum eſt, quo annus 149. in curſu erat, ſecundum *libri* prioris epocham. Aut igitur, ratione

a Lib. 1. Machab. cap. 6. 20

b Ibid. vers 49.

c Lib. 2. Machab. cap. 13.

ratione annorum poſterioris *libri*, numeratus fuit annus idem 148. aut 149. Si prius, ergo *Niſan* inſequente debuit annus idem 148. pertexi, non autem 149. quoniam anni *libri* 2. *Machabæorum*, ut iiſdem Annalium Scriptoribus, contra quos diſputamus, placet, à *Tiſri* proficiſcuntur, utpote *Chaldæorum* proprii. Siquidem *Scaligerum* & *Serrarium* auctores citant ac ſequuntur; qui ita, ut dixi, ſentiunt. Sin autem initium anni Sabbatici ab autumno antecedente ductum incidit in annum 149. ex *libri* poſterioris epocha, igitur initium annorum *libri* ſecundi ſex duntaxat menſibus poſterius eſt initio *libri* 1. quoniam annus 149. *libri* hujus iniit ex *Niſan* ejuſdem anni *Juliani*; cujus ab *Tiſri* exorſus eſt annus 149. poſterioris *libri*. *Torniellus* annum primum *Græcorum*, ex iis, qui in *libro* 1. *Machabæorum* ponuntur, confert in annum mundi 3743. qui cadit in annum Periodi *Julianæ* 4705. ex iis quæ *libro* 2. *cap*. 7. contra illum diſputavimus. Ita triennio labitur.

CAPUT XIV.

De anno primo Juliano, *&* *æra* Antiochenorum, *atque* Hiſpanienſi.

Vide lib. 4. de Doct. Temp. cap. 1. & ſeq. & lib. 10. cap. 59.

EX omnibus *Julii Cæſaris* actis nullum laude dignius eſt, quàm *Romani* anni caſtigatio, cujus modum rationemque deſcripſimus in *libris de Doctrina Temporum*; hoc verò, initium illius, ſive, ut loqui ſolemus, epocham argumentatione certâ colligemus.

Annus Julianus.

Anno itaque conditæ Urbis 708. *Romanum* annum jam pridem vitiatum emendari inſtituit, menſibus aliquot intercalatis, uti *Januarius* in eum, quem deinceps tenuit, locum ordinemque cogeretur. *Januarius* enim *Pompilianus* in *Octobrem* inciderat ejus formæ, quâ nunc utimur. Ita 708. annus iniit à die 13. *Octo-*

13. *Octobris* anni mundi 3937. ſive Periodi *Julianæ* 4667. à quo die ad ultimum *Decembris* anni mundi 3938. dies putantur 445. Totidem enim habuit ultimus ille Confuſionis annus, ut auctor eſt *Cenſorinus cap.* 20. Quocirca anni primi *Juliani* Calendæ incurrerunt in annum Per. *Jul.* 4669. mundi 3939. quo quartum iniit Olympiadis 183. & Urbis 709. quando *Cæſar* Conſulatum quartum obtinuit, ut idem *Cenſorinus* aſſerit, adſtipulante *Dione lib.* 43. Atque hoc ipſum ſolares & lunares eclipſes adſtruunt, quas certis editionis illius annis, imperantibus *Auguſto*, *Claudio*, ac *Nerone*, poſtea conſignabimus. Deinde *Cenſorinus cap.* 21. anno illo, quo ſcribebat, *Ulpio* & *Pontiano* Coſſ. cœpiſſe refert annum *Iphiti* 1014. ex diebus æſtivis, (qui eſt Olympiadis 254. annus ſecundus) Urbis verò conditæ, ſecundùm *Varronem* 991. *Julianum* verò 283. ex Calendis *Januariis*. Aufer 283. de 1014. relinquentur 731. qui per 4. diviſi conficiunt Olympiadas abſolutas 182. & tertium ſequentis 183. Proinde *Juliani* primi anni Calendæ in eum annum mundi ceciderunt, quo deſiit tertius Olympiadis 183. & quartus incepit. Similiter deductis 283. de 991. reſidui ſunt anni Urbis 708. Igitur annus Urbis 709. initium habuit *Juliano* primo. Ad ſummam, annus primus *Julianus* ſextus & quadrageſimus retrò numeratur ab anno primo æræ *Chriſtianæ*.

(a) Eſt apud *Græcos* Annalium Scriptores æræ cujuſdam ſive epochæ, mentio, quam *Antiochenorum* vocant, *Græcè* χρηματισμὸν τῆς Ἀντιοχείας: quam appellationem, vel nomenclaturam, temporum illius urbis interpretari licet. Hujus exordium ab *Octrobri* deductum eſt: quod populare apud illos anni fuit initium, & ab anno Per. *Jul.* 4665. paulò ante *Januarium* anni U. C. 706. qui tum in *Octobrem* Julianæ formæ cadebat, uti ſuprà docuimus.

a Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 62.

Æra Antiochena.

cuimus. Quod ex *Evagrio* Hiſtorico, qui ſæpiùs hâc putatione temporum utitur, hoc pacto demonſtrabimus. (*a*) Scribit enim *Leonis* Imperatoris anno 2. χρηματισμȣ verò 506. ingentem terræ motum eveniſſe Indictione 11. *Septembris* 14. die, feriâ 1. Fuit hic annus *Chriſti* 458. quo litera Dominicalis erat E, & Indictio in curſu 11. mundi annus 4441. Periodi *Jul.* 5171. Igitur deſinebat annus χρηματισμȣ 506. & proximè ab *Octobri* cœptus eſt 507. ſubtractis annis 507. de annis mundi 4441. reſidui ſunt 3934. Igitur anno mundi 3935. primus annus occœpit χρηματισμȣ τῆς Ἀντιοχείας. Rurſus idem *Evagrius libr.* 42. *cap.* 9. refert *Juſtinianum* Imperatorem ab *Juſtino* renunciatum eſſe *Aprilis* Calendis anno χρηματισμȣ 575. cui aſſentitur & *Chronicon Alexandrinum*; idque *Mavortio* Conſule factum eſſe narrat *Theophanes* Indict. 5. Hic eſt annus *Chriſti* 527. mundi 4510. Cujus in *Octobrem* incidit initium anni *Antiocheni* 576. quare deductis 576. de 4510. reſtant 3934. Igitur anno mundi 3935. cœpit *Antiochenorum* epocha. Porrò ex utriuſque loci *Evagrii* comparatione certiſſimè probatur, *Antiocheni* χρηματισμȣ annos ab *Octobri* procedere, non autem à *Majo*, ut ex *Alexandrino Chronico* ſuaderi videtur. Etenim ſi à *Majo* deducerentur, anno illo mundi 458. quo *Antiochenus* putabatur 506. *Septembri* menſe, ab *Januario* ad *Majum* numerari debuit 505. Additis 69. annis, qui conſurgit *Chriſti* 527. fuiſſet 574. à *Januario* ad *Majum*. Atqui 575. ab *Evagrio* computatur. Non igitur mutatio fit anni menſe *Majo*.

a Evagr. lib. 2. cap 12.

Æræ vocabulum ab *Hiſpanis* præcipuo quodam uſu celebratum eſt, uti *libro* 1. hujus *Partis* monuimus. Hujus primordium *Hiſpani* Scriptores ab eo anno repetunt, qui eſt triceſimus nonus ab anno primo *Chriſti*; hoc

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap 68. & lib. 11. cap. 47. & Diſſert.

hoc eſt 38. ſolidis annis hunc anteceſſit, nimirum ab anno *Juliano* 8. *Appio Claudio* & *Norbano Flacco* Coſſ. quibus annus Urbis conditæ 716. tribuitur. Hoc verò teſtatur (a) *Idatius*, ubi æra 447. quâ *Alani*, *Vandali*, & *Suevi Hiſpanias* ingreſſi ſunt, 4. Calend. *Octobris* feriam ait fuiſſe 3. Coſſ. *Honorio* 8. & *Theodoſio* 3. Eſt hic annus *Chriſti* 409. quo litera Dominicalis fuit C. Detractis 409. de 447. reſtant 38. Rurſus idem Scriptor ait, ærâ 440. *Arcadio* 5. & *Honorio* 5. Coſſ. Solem defeciſſe 3. Eid. *Novembres.* Hic annus eſt *Chriſti* 402. quo reverà Solis defectio contigit *Novembris* 11. horâ circiter 9. matutinâ. Differentia anni *Chriſti* 402. & æræ *Hiſpanicæ* 440. ſunt 38. Docet hoc ipſum *S. Julianus Toletanus lib.* 2. *contr. Jud.*

Var. ad Uranolog. lib. 5. c. 3.

a Idat. in Chron. pag. 10. & Faſt. pag. 61.

Jam cur anno illo potiſſimùm editionis *Julianæ* octavo *Hiſpanienſis* æra cœpta ſit, cùm variæ ſint ſententiæ, noſtra illa conjectura probabilis eſt, cum (ut ſcribit *Dio lib.* 48.) anno *Juliano* 7. Triumvirorum acta ab Senatu confirmata ſint, inter quæ fuit orbis partitio ab *Auguſto* & *Antonio* facta, à Calendis *Januariis* anni 8. *Juliani* cœpiſſe in *Hiſpaniis Auguſtei* imperii annos computari, quam æram poſteri deinde nuncupârunt. Non enim ſtatim ab origine putationis illius æræ nomen inditum eſt, ſed inclinante puriori jam *Latinitate* & in barbariem degenerante, ut alibi notavimus.

Æra Hiſpannica unde capta.

CAPUT XV.

De variis exordiis Imperatoris Auguſti, *& annis* Actiacis.

Vide lib. 10. de Doct. Temp. cap. 64.

NAtus eſt *Auguſtus*, ut (b) ait *Suetonius*, *Cicerone* & *Antonio* Coſſ. 9. Calendis *Octobris*, qui eſt annus Urbis 691. Ideo cùm *Julius Cæſar* occiſus eſt, annos ille natus erat

b Suet. in Aug. c. 5.

a Dio lib. 45. App. 1. Civ. Epit. 117.

octodecim, menſeſque circiter ſex. (*a*) Atque hic, avunculi auditâ nece, *Apolloniâ* urbe *Macedoniæ*, quò in ſpem *Parthicæ* expeditionis à *Julio* præmiſſus erat, *Romam* adveniens privatâ auctoritate veteranorum copias conſcripſit. Anno verò ſequente, Urbis 711. *Septembris* 22. Conſulatum cepit cum *Q. Pedio*, annos natus 21. Eodem anno, 5. Calend. *Decembris* Triumviratum iniit. Ab utrovis anno primordium *Auguſti* Scriptores repetunt: quorum alii ejus imperio annos impu ant 57. vel 56. ſupra menſes aliquot. Mortuus eſt (ut poſtea dicetur) anno *Juliano* 59. *Auguſti* menſis 19. Intervallum ab anno *Juliano* 2. quo *Julius* occiſus eſt Idibus *Martiis*, anni 57. menſes 5. dies 4. A ſequenti verò anno, & adito Conſulatu, anni intercedunt pleni 55. cum menſibus 10. diebus 28. A Triumviratu, anni 55. menſes 8. dies 22.

Anni Auguſti.

Tertium imperii primordium *Dio lib.* 51. commemorat ab *Actiaca* victoria, unde *Auguſti* monarchia procedit, ſive ab anno ſequente poſt *Antonii* & *Cleopatræ* necem.

Quadruplex eſt epocha, quæ appellationis ſimilitudine poteſt fallere. Nam alii ſunt anni ab *Actiaca* victoria; alii *Actiaci* ſimpliciter; alii *Auguſtorum Romani*; alii denique anni *Actiaci* fixi, & *Julianum* ad modum ab *Alexandrinis* redacti. Navalis ad *Actium* victoria contingit (ut *Dio* teſtatur) *Cæſare* tertium & *Meſſalâ* Coſſ. Urbis conditæ 723. *Julianæ* editionis 15. die 2. *Septembris*; imò 3. ſi ad emendatum annum *Julianum* ratiocinia dirigantur, ut (*b*) aliàs oſtendimus. Ab hoc tempore anni ἀπὸ τῆς ἐν Ἀκτίῳ μάχης ſive monarchiæ *Auguſteæ* accurata putatio repetitur, auctore *Dione*.

b Lib 10. de Doct. Temp. cap. 69.

Inſequente anno *Cæſar* ingreſſus *Ægyptum Alexandriam* occupavit; *Antonius* Calendis *Sextilibus*, ut ſcribit (*c*) *Oroſius*, defectione claſſis ad *Cæſarem* ſuæ territus, ſeſe ferro tranſ-

c Oroſ. lib. 6. cap. 15.

tranſverberavit. Poſtea *Cleopatra* ejuſdem menſis, ut eſt probabile, die 29. ſibi mortem attulit. Qua ex die refert (*a*) *Dio* Senatus decreto *Ægyptios* tempora dinumeraſſe. Hic annus Coſſ. habuit *Cæſarem* 4. & *Licinium Craſſum*, ut *Dio* memorat: & eſt Urbis 729. *Julianus* 16. (*b*) *Cenſorinus* annum, quo ſcribebat, qui fuit *Chriſti* 238. numerat Urbis ex *Varrone* 991. *Julianum* 283. *Iphiti* 1014. *Actiacum Ægyptiorum* 267. Scribebat nimirum librum ſuum *Julio* menſe, vel *Auguſto*, ante 29. hujus diem, exeunte *Actiaco* 267. & imminente 268. Nam ſi anni *Juliani* inierunt anno U. C. *Varroniano* 709. & *Cleopatræ* nex anno 724. anno *Juliano* 16. detractis 15. de *Julianis* 283. reliquus eſt annus à *Cleopatræ* obitu, ſive *Actiacus Ægyptiorum* 268. qui cœpit anno *Chriſti* 238. *Auguſti* 29. paulò poſtquam ſcripſerat iſta *Cenſorinus*. Igitur anni *Ægyptiorum Actiaci* à morte *Cleopatræ* & anno *Juliano* 12. *Auguſti* menſis 29. ducuntur.

a Dio lib. 51.

b Cenſor. cap. 21.

Anni Auguſtorum.

Anni *Auguſtorum Romani* ex Calendis *Januariis* proficiſcuntur ejus anni, quo *Cæſar* 7. & *Agrippa* 3. Coſſ. fuerunt. Hoc enim anno à d. 17. Calend. *Februarii* ſententia *Munacii Planci Octaviano Cæſari* tributum eſt *Auguſti* nomen, anno Urbis conditæ 727. *Juliano* 19. ut auctor *Cenſorinus*, qui annum *Julianum* 283. dicit *Auguſtorum Romanum* eſſe 265. Ab anno porrò antecedente legitimum deinceps imperium penes *Cæſarem* exſtitit: tunc enim à S. P. Q. R. id illi eſt attributum ejuſque adminiſtrandi certa ratio ab eo conſtituta, partitis cum populo provinciis, ut ſcribit *Dio lib.* 53.

Denique cum *Ægyptii* anno hactenus vago uſi eſſent & mobili, cujus formam *libro* 1. hujus *Partis* deſcripſimus, poſt *Ægyptum* in poteſtatem *Auguſti* redactam, annum fixum ad *Juliani* modum aſſumpſerunt, hujus

 initio,

initio, quæ ſunt Calendæ *Thoth*, eo die *Juliani* & *Romani* menſis adſtricto, in quem commodùm incurrebat.

Atqui anno ipſo, quo *Alexandriâ* potitus eſt *Cæſar*, neomenia *Thoth* incurrit in *Auguſti* 31. nec ad 29. pervenit niſi anno *Juliano* 21. Urbis 729. Proinde annis quinque vertentibus, poſt *Cleopatræ* mortem, *Ægyptii*, anno vago repudiato, fixum & ſtabilem adoptârunt, cujus neomenia in *Auguſti* 29. diem competit. Quod teſtatur *Theo libro*, qui nondum editus, εἰς τοὺς προχείρους κανόνας: ubi ab initio *Nabonaſſari* ad mortem *Alexandri*, ſive *Thoth* ejus, annos *Ægyptios* computat 424. inde verò ad ἀποκατάστασιν (ita nominat epocham anni fixi) annos 299. Colliguntur à *Thoth Nabonaſſari*, ad *Thoth* anni fixi, anni 723. Porrò annus 723. *Nabonaſſari* deſinit anno illo, quem dixi, *Juliano* 21. quo cœpit 724. Idem ex aliis Scriptoribus efficitur. De qua re plenius in *lib.* 10. *de Doct. Temp.* *cap.* 71. De *Actiaca* porrò victoria, & annis *Actiacis*, conſule *capita* 69. & 70.

CAPUT XVI.

De Jacobi *Patriarchæ celebri illo vaticinio, quod eſt* Geneſ. cap. 49. *de* Chriſto *Domino; cujus probabilis adducitur interpretatio.*

QUidam (*a*) ex Antiquis, cùm alienum eſſe ab *Jacobi*, ſive *Iſraëlis* ſanguine *Herodem* animadverterent, peregrinæque ſtirpis & originis, in eo finem habere crediderunt vetus illud oraculum *Jacobi Gen.* 49. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Hinc *Herodiani*, quæ fuit Secta *Judæorum* ſub *Chriſti* tempus exorta, *Herodem* dicebant fuiſſe *Meſſiam*; quoniam ad eum uſque principatus penes *Judæ* tribum

a Vide Hieron. in c. 6. Dan. Proſper 2. de Prom. cap. 40.

tribum exſtiterat. *Gracè* ita conceptum eſt *Jacobi* vaticinium : Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται. *Non deficiet princeps è Juda, donec venerit, cui repoſitum eſt*, hoc eſt, *cui repoſitum eſt, ut ſit Chriſtus*, ait, (*a*) *Epiphanius*. Ea quippe de cauſſa dictos *Herodianos*, quòd *Herodem* profitebantur eſſe *Chriſtum*, magis probamus, quàm quæ alii commenti ſunt.

a Epiph. in Herod.

Explicatur prophetia Iacobi de Chriſto.

Superioris autem illius de prophetia *Jacobi* ſententiæ falſitas ex ejuſdem veriori interpretatione pendet, quæ, ut breviſſimè perſtringam, non enim longiori uti ſermone licet, mihi videtur iſtiuſmodi. Primùm *Judæ* vocabulo tribum ipſam intelligo *Judæ* Patriarchæ cognominem, penes quam ſolam, (*b*) profligatis & exſtinctis in perpetuum cæteris, *Hebræorum* & populus, & religio, & appellatio ipſa reſederit; quibus notis ab aliis gentibus populus iſte diſcernebatur. In quo nobis cum Antiquorum pleriſque convenit; ut (*c*) *Euſebio*, (*d*) *Epiphanio*, (*e*) *Cyrillo*, (*f*) *Auguſtino*, aliiſque, ut Recentiores modò ſileantur. Siquidem *Iſraëlis* omnes poſteri, ſolâ iſtâ tribu ſuperſtite, *Judæi* ab *Juda* nominati ſunt; quod ſubinde poſt reditum à *Babylonica* deportatione cœptum eſſe (*g*) *Joſephus* affirmat. *Sceptrum* ergo ſignificare illic arbitror multitudinem ipſam, ſive cœtum hominum, qui uno Reipublicæ, populi, & communitatis nomine continetur, ac ſuas habet leges, & magiſtratus ſuos, tam civiles profanoſque, quàm ſacros. Etenim vox שבט pro *tribu* ſumitur, cujus ſymbolum virga, ſive *ſceptrum* fuit, *Num.* 17. 2. tum pro juriſdictione ac civili poteſtate ſolet accipi : quâ utrâque notione in illis *Jacobi* verbis uſurpari videtur. *Non auferetur*, inquit, vel, ut *Hebraicè* legitur, *non recedet ſceptrum de Juda* : hoc eſt non priùs tribus ac populus inter populos eſſe deſinet, aut

b 4. Reg. cap. 17.

c Demonſtrat. Evangel. lib. 2.

d Hær. 20.

e 8. contr. Iul.

f 22. contr. Fauſt.

g Lib. 11. Orig. c. 5.

proprios habere magiſtratus, juriſdictionemque propriam, & principes, qui à peculiari iſta multitudine nomen accipiant, ut Reges, aut Principes, vel Sacerdotes, & Pontifices *Judæorum* appellentur, *quàm Meſſias venerit.* Ut hoc ſignum certiſſimum habituri eſſent poſteri, jam adveniſſe *Chriſtum*, & impletam illius oraculi fidem, cùm ſublata illa de populo *Judaico*, &, quæ ſola nomen illud ac Rempublicam ſuſtinebat, *Judæ* tribu cernerent. Ac neſcio, an non *ſceptri* nomen civilem & profanam juriſdictionem propriè ſignificet; *ducis* autem vox, pro qua in Hebræo מחוקק, *legislator* ponitur, Eccleſiaſticam poteſtatem, hoc eſt Pontificatum & Sacerdotium. Quippe leges iſtius populi primariæ ſacræ erant & Eccleſiaſticæ, ut pro eo *ſacerdotale regnum* & *gens ſancta* dici meruerit *Exod.* 19. 6.

Paululum obſcura ſunt illa, *& dux de femore ejus*: vel, ut *Hebraicè* concipiuntur, *& Legislator de inter pedes ejus*, quibus honeſtè putant adumbrari τὰ γεννητικὰ μόρια: quaſi de ſtirpe ac ſemine *Judæ* non antè ſit Princeps Legiſſatorque, id eſt legis interpres, defuturus, quàm *Chriſtus* advenerit. Verùm *Hebræi* aliter hanc locutionem explicant, *de inter pedes ejus*, nec ad generationem referunt. Mea porrò hæc ratio eſt: ſignificationem illius ex iis, quæ paulò antè præcedunt, oportere peti: *Catulus leonis Juda*: *ad prædam, fili mi, adſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? Hebraicè* autem ſic: *Incurvavit ſe, accubuit ſicut leo*. Quæ ſic *Aben Ezra* declarat. Exprimi dicit morem leonis & habitum: qui captâ prædâ laniatâque ſubſidere ſolet & incubare; neque vi ullâ detrahi ſibi patitur, quidquid pedibus amplexus fuerit. Ad hunc modum *Jacob* ait *Judam*, hoc eſt tribum ipſam,

ſam, populumque de *Judæ* ſtirpe venientem poſtquam ſemel principatum, vel Reipublicæ jus & magiſterium acceperit, non priùs extorqueri paſſurum ſibi, quàm *Chriſtus* advenerit. Quocirca *de femore ejus*, ſive *de inter pedes ejus*, valet idem ac de cruribus illius, amplexuque quo ſtringit. Sic *Iſaiæ* 5. 29. *Tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit, qui eruat.* Vide & *Numer.* 23. 24.

Poteſt etiam ſic illud exponi. Quoniam ad Judicis Præſidiſque pedes decubare Scriba ſolet, qui dictatam ab illo ſententiam excipit, docet Patriarcha, non defuturum ex *Judæ* tribu Legislatorem & Magiſtratum, qui traditam ab ea tribu poteſtatem exerceat: quique illius vice, ac de ejus voluntate, commiſsâ ſibi juriſdictione fungatur; ut penes communitatem ipſam jus ac poteſtas omnis ſita ſit, quam in Magiſtratus deinde ſuos conferat, qui *de inter pedes ejus*, hoc eſt de ſinu ac gremio producti fuerint: vel denique qui adminiſtrationem omnem propriam illius populi, & eidem inſcriptam & attributam, exerceant. Ita ne *Herodes* quidem ipſe, & ſi qui alii ſunt ejuſmodi, exitum oraculi iſtius interpellant, qui Reges Principeſque *Judæorum* & illius tribus peculiares exſtiterunt. Maximè cùm ordinarii interim alii Magiſtratus eſſent, præſertim Eccleſiaſtici, legum, ut diximus, interpretes.

Quamobrem non uno tempore, ſed pedetentim vaticinium illud finem habuit. Paulatim enim ab *Romanis* Reipublicæ forma, juſque illis, & civilis ſacraque poteſtas eſt adempta: donec eversâ urbe, atque templo, populus & communitas *Judæorum* eſſe deſiit, uno & loco & magiſtratu imperioque comprehenſa. Quod occiſo denique *Chriſto* in poſtrema illa vaſtitate fore *Daniel* 9. 26. his verbis demonſtrat: *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt.* Deinceps enim ſcep-

trum, ac civilis omnis & Eccleſiaſtica poteſtas, ac Magiſtratuum juriſdictio funditus iis eſt adempta; cùm per orbem diſperſi ſub alieno dominatu miſerrimam ſervitutem tolerent, neque formam ullam habeant civilis communitatis, vel civitatis, ac reipublicæ, magiſtratuſque, penes quos vitæ ſit ac necis poteſtas.

At complures Antiquorum Recentiorumque, qui in illa *Jacobi* ſententia *Judam* peculiari de tribu intellexerunt, id ſibi Patriarcham voluiſſe credunt, ex ſtirpe ac progenie *Judæ* filii ipſius perpetuò *Judæis* præfuturum aliquem, eorumque fore Principem, donec *Chriſtus* adveniat. Sed in hujus reddenda dicti ratione multùm æſtuant. Siquidem vetuſtatis omni teſte memoriâ refelluntur, quæ non ſolùm ante *Davidem* unum alterumve duntaxat ex illa tribu rexiſſe populum oſtendit, annis circiter 675. ab edita prophetia; ſed etiam poſt *Sedeciæ* necem, occaſumque Urbis & Templi, ad *Chriſtum* uſque, de aliâ quàm *Judæ* ſtirpe duces exſtitiſſe annis 588. Etenim *Machabæos* (*a*) conſtat ex *Levitica* & ſacerdotali progenie deſcendere. Quod verò ſic à nonnullis (*b*) occurritur. *Machabæos* iſtos maternum genus ab *Judæ* tribu duxiſſe, vel gratis dicitur, vel nihil ad rem pertinet. Imprimis de materna illis *Machabæorum* origine nullus fidejuſſor idoneus eſt. Tum id certum eſt, maternum genus nullius apud *Judæos* momenti fuiſſe, ut ex eo tribu in aliqua cenſeretur quiſpiam. Poſtremò invictum adverſus illam ſententiam argumentum ſuppetit. Nam ſi maternâ ſtirpe *Judæ* tribum contingere ad id ſatis eſt, ut regni jus ac principatus ſibi quiſpiam aſſumat, quod illi tribui divinitùs eſt conceſſum, non minùs hoc in tribu *Levitica* ſacerdotalique ſtirpe locum habebit, ut, qui maternam ex illa originem acceperit ad eam

a 1. Machab. 2. 1.

b Abul. Lyran. Burg.

eam tribum pertineat, & *Leviticas* ſacerdotaleſque functiones vendicare ſibi poſſit. At hoc ne illi quidem exiſtimant, qui de *Machabæis* iſta diſputant. Etenim *Chriſti* matrem B. Virginem cum *Aaronis* genere implicatam fuiſſe confitetur; eò quòd *Elizabeth*, (*a*) quæ *de filiabus Aaron* fuit, (*b*) *Mariæ* cognata dicitur. Atqui non ideo *Chriſtus Levita* vel Sacerdos ſecundùm *Aaronis* ordinem erat: ſed ab eo prorſus alienus, ut (*c*) *Paulus* affirmat. Igitur neque *Machabæi* in *Juda* tribu reponendi ſunt, neque jus illius proprium ſibi poſſunt defendere, quamlibet maternum genus indidem traxerint.

a Luc 1.5.
b Ibid. 36.
c Heb. 7. 13.

RATIONARII TEMPORUM

PARTIS SECUNDÆ LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De æra Dionyſiana, *cujuſmodi ab auctore inſtituta fuit: deque vulgari epocha annorum* Chriſti, *ac vero natali ejuſdem.*

Ut ab Urbis conditu annos olim ſuos *Romani* putare conſueverant, ab Olympiadum exordio *Græci* veteres, ab initio *Seleuci Syri* & Orientales plerique, ab orbe condito *Conſtantinopolitani Græci*que hodie reliqui: ita nos ab Incarnatione vel Nativitate *Chriſti* tempora noſtra numeramus. Hujus inſtituti *Dionyſius* auctor fuiſſe traditur cognomento *Exiguus*, qui *Ju-*

ſtiniano Imperatore floruit, & cum *Caſſiodoro* familiariſſimè vixit. Quanquàm paulò aliter epocham iſtam conſtituiſſe *Dionyſium* (*a*) in *lib.* 12. *de Doct. Temp.* ex ipſomet ac *Beda* demonſtravimus. Nos enim primum annorum *Chriſti*, à quo hic ipſe, quo ſcribimus, 1632. putatur, proximum poſt illum facimus, quo incarnatus eſt natuſque Dominus, & aureum aſſignamus 2. Solis verò Cyclum 10. cum Indict. 4. *Dionyſius* verò ab antecedenti anno, aureoque numero 1. Cyclo Solis 9. æram Incarnationis auſpicatus eſt. Siquidem primum annum Cycli decemnovennalis in epiſtolis ſuis, quas in *Appendice Operis de Doct. Temp.* edidimus, attribuit aureo numero 19. eumdemque cœpiſſe dicit ab 15. Paſchalis menſis, quæ in *Aprilis* diem 17. incidit, & deſiiſſe in Nonas *Aprilis* anni ſequentis, in quas Luna 14. competebat. Quâ ratione primus annus Cycli biennio præceſſit æram *Chriſti* communem. Atqui (*b*) *Beda* teſtatur, *Dionyſium* æram Incarnationis ab anno ſecundo Cycli decemnovennalis inchoâſſe. Exorſus eſt igitur ab anno illo, qui vulgarem æram proximè antecedit. Quod à nemine, quod ſciam, obſervatum hactenus, neque à *Beda*, imò ne ab ipſo quidem, æqualis qui fuit *Dionyſii*, *Caſſiodoro* intellectum, in *lib.* 12. *Operis* noſtri fusè declaravimus. Nunc de æra noſtra communi, anniſve *Chriſti* paucis eſt agendum; ut illud inveſtigemus, ecquid reverà *Chriſtus Decembri* illo, cui proximè ſucceſſit annus primus epochæ communis, in lucem ſit editus.

a Vide lib. 12. cap. 2. & 3. & in Append. p. 890.

Unde Dionyſius æram ſuam cæperit.

b Beda de Rat. Temp. cap. 45.

Annus 1. *Chriſt. unde cæperit.*

Quam in rem certiſſimè tenendum illud eſt, primum eorum annorum, quos *Chriſti* vulgò nuncupamus, incidiſſe in annum editionis *Julianæ* 46. & Olympiadis 194. annum quartum ante ſex menſes inchoatum: ſic ut numerari cœpta ſit Olympias 195. æſtivis diebus illius anni primi *Chriſti*, ſive *Juliani* 46.

Hoc

Hoc enim *Romanorum Faſtorum* ſeries, atque *Auguſti* & aliorum Imperatorum initia, exitus, ac totius imperii intervalla perſuadent; quæ certis characteriſmis ac Solis Lunæque defectionibus ita ſunt notata, nullam uti dubitationem ac controverſiam admittant. Exempli cauſſâ, mortuum eſſe conſtat *Julium Cæſarem* anno ſecundo *Juliano*, & quadrageſimo quarto ante eum annum, quo natus ponitur *Chriſtus*: *Auguſtum* verò exceſſiſſe anno *Julianæ* editionis 59. Atqui mortem *Auguſti* incurriſſe in annum 14. *Chriſti* paulò pòſt adſtruemus. Ex quo conſequens eſt primum annum *Chriſti* Julianum eſſe 46. Urbis conditæ *Varronianum* 754. hoc eſt *Palilia* 754. iſto anno putari cœpiſſe. Id ipſum & *Claudii* ac *Neronis* Imperatorum anni nos docent. Quippe anno *Chriſti* 45. Sol defecit Calend. *Auguſti*, *Claudii* anno quinto, *Juliano* 90. ut ſuo loco demonſtrabitur. Unde conſtat annum (uti dictum eſt) *Julianum* 46. *Chriſti* eſſe primum. Sic *Neronis* anno 5. Urbis conditæ 812. *Juliano* 104. Solis defectio pridie Calendas *Majas* accidit, ânno *Chriſti* 59. ex quo eadem annorum *Chriſti* epocha conficitur.

Quamobrem, ſi (ut perſuaſum eſt vulgò) natus eſt Dominus anno *Juliano* 45. Urbis ex *Varrone* 753. id evenit anno imperii *Auguſti* 43. ab Triumviratu, vel Conſulatu, de de quo *libro* ſuperiore *cap.* 15. hujus *Partis*. At *Beda*, cæterorumque poſt illum computi Paſchalis artificum, hæc ſententia, incarnatum eſſe *Chriſtum* & in lucem editum anno ipſo primo æræ *Chriſtianæ*, *Juliano* 46. aureo numero 2. quod in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 1. oſtendimus.

Jam *Auguſti* mors ſine ulla controverſia contigit anno *Juliano* 59. *Chriſtianæ* æræ 14. quod etiam poſtea invictis rationibus affirmabitur. Tùm itaque *Chriſtus* annos 13. menſeſ-

Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 1.

menſeſque circiter octo confecerat, ſi vera eſt communis putatio; uno minùs anno, ſi *Bedæ*, computique Magiſtrorum placet opinio.

Tiberii denique quintus decimus annus iniit *Juliano* 73. ab *Auguſti* menſis 17. & ad inſequentis anni diem eumdem perductus eſt: qui annus *Julianus* 74. numeratur, & Conſulatu notatur *Geminorum* duorum, ab U. C. 782. quo anno baptizatus vulgò Dominus creditur.

Hinc apparet, *Chriſtum*, ut anno *Tiberii* 15. à *Joanne* baptizatus fuerit, annos natum fuiſſe totidem, quot à *Decembris* 25. anni *Juliani* 45. ad 6. *Januarii* anni 64. intercurrunt. Sunt autem pleni 28. ac dies præterea 12. Atqui aut triceſimum jam egiſſe, aut proximum illi fuiſſe vulgò convenit. Non igitur cum communi de ætate *Chriſti* ſententia æra illa paria facere videtur.

Natalem Chriſti quidam uno anteverrunt anno vel duobus.

Ea res hoc & antecedente ſæculo complures eruditos homines adduxit, uti natalem *Chriſti* uno anno vel duobus anteverterent: vel alii Coſſ. *Auguſto* 13. & *Sylvano*, alii *Lentulo* & *Meſſalino* natum eſſe defenderent. Priorem *Onuphrius* opinionem, (uti cæteros omittam) poſteriorem *Baronius* amplexus eſt. Iidem tamen natalem *Chriſti* vulgi opinione conſtitutum ab exactiori illo calculo minimè ſeparant: quod alii poſteà fecerunt.

Hactenus igitur uno anno, vel biennio, anticipandum eſſe *Chriſti* ortum, pii ac docti homines arbitrati ſunt. Verùm ante annos ferè triginta nova quædam exorta ſententia eſt, quæ quatuor ſolidis annis prævertendam eſſe *Chriſti* nativitatem adſtruit, cujus auctor exſtitit R. P. *Dekerius*. Is natum eſſe *Chriſtum* docuit anno *Juliano* 41. *Auguſto* 12.

Alij 4 5. vel 6

& *L. Cornelio Sullâ* Coſſ. quatuor annis ante eum, qui vulgò ſtatuitur. Hic enim *Juliano* 45. congruit, ut paulò antè diximus.

Keplerus

Keplerus verò annum inſuper adjecit ad *Dekeriana* ratiocinia, ac natum poſuit anno *Juliano* 40. *M. Antonius Capellus Franciſcanus*, biennio *Dekerium* ſupergreſſus, ſex annis communem anticipavit epocham, adeò ut *Chriſti* natalis annus incurrat in *Julianum* 39. Sed hujus jam à nobis exploſa ratio eſt (*a*) in *lib.* 12. *de Doct. Temp.* Reliquæ ſunt ergo duæ: imò verò *Keplerianâ* prætermiſsâ, quæ minimè neceſſarium addit annum, unica *Dekeri* ſupereſt; de qua nos eodem in *libro* ita diſputamus. Si *Joſephi* ac *Dionis* auctoritatem ſequimur, eam probabilem maximè videri. Etenim ex amborum conſenſione ſuperiore *libro* illud effectum eſt, *Herodem* anno *Juliano* 42. circa Paſcha eſſe mortuum, cùm paulò antè Luna defeciſſet. Quare neceſſe eſt, *Chriſtum* ſaltem anno *Juliano* 41. hoc eſt quadriennio ante communem epocham, in lucem exiſſe.

a Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 6.

Quomodo vulgaris natalis defendi debeat.

Sin eſt, ut eo anno natum omnino velimus, à quo *Chriſtiana* æra procedit, (quem & ab ipſo *Dionyſio* præſtitutum eſſe Dominicæ Incarnationi ac Natali ſuprà docuimus) unica in promptu ratio eſt, quâ illi patrocinari poſſumus; uti baptizatum dicamus eſſe *Chriſtum* anno ætatis ineunte 29. ſi quinto decimo *Tiberii* id aſſignare libeat. Quòd ſi ſola *Joannis* prædicatio quinto decimo illi anno tribuenda ſit, *Chriſtus* verò ſequenti anno baptiſmum adierit, ineunte triceſimo ad *Joannem* acceſſiſſe dicetur, *Juliano* 75. Sanè *Lucas* Evangeliſta *cap.* 3. *vers.* 1. *Joannem* anno quinto decimo *Tiberii* ad prædicandum ac tingendum prodiiſſe narrat; utrùm autem eodem anno *Chriſtum* baptizârit, haud expreſſis verbis indicat. De *Chriſto* verò eod. *cap. vers.* 23. id unum refert, annorum quaſi triginta fuiſſe, cùm ad *Joannem* venit: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: *Et ipſe erat Jeſus quaſi annorum triginta incipiens.*

piens. Quæ verba ſuam quiſque hactenus ad ſententiam accommodare ſtuduit. Nos ea ſic interpretati ſumus, ut annos plus minuſve triginta natus fuerit, cùm in publicum exire ac prædicare eſt aggreſſus. *Clemens Alexandrinus lib.* 1. *Strom. pag.* 147. ita locum illum concipit : ἦν δὲ Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα ὡσεὶ ἐτῶν λ'. Vide *caput* V. *libri* XII. *de Doct. Temp.* ubi de hac tota controverſia accuratè ſcripſimus. Quocirca non poteſt ex iſto Evangelii loco ſuper ætate *Chriſti* certa & exacta ſententia colligi, ex quo tanta illa ejus in natalem obſcuritas redundavit.

Neque verò prætermittendum eſt, quod ad Hiſtoriam & Chronologicam rationem magnopere pertinet, quocumque natus anno *Chriſtus* fuerit, nihilominus communem & uſu receptum Eccleſiæ calculum annorum *Chriſti* utilem eſſe, & ab omnibus adhibendum. Non enim eſt neceſſe, ab vero natali proficiſci ſummam annorum *Chriſti*, dum fixo & immobili ex capite pendeat : hoc eſt, anno *Juliano* 46. illigata ſit, ſive ante annos 1631. cœperit. Nam hoc unum Chronologus inquirit, qui quidem ærâ illâ utitur, quoto ante illud initium, vel poſt illud, anno quælibet res inciderit; ut, quanto ab noſtris temporibus intervallo diſtet, ſine errore pronunciet.

CAPUT II.

De his, quæ ad illuſtrandum Chriſti *ortum pertinent ; ac primùm de* Syriæ *Præſidibus : deque* Quirino, *& ejus duplici cenſu. Tum de* Bethleemo, *& diverſorio, ac ſtabulo, in quo poſitus eſt* Chriſtus ; *deque die ipſo natali*

natali. Vide duplicem Diſſertationem quam ad calcem hujus libri adjecimus.

JUvat illuſtrandæ Dominici natalis hiſtoriæ quaſdam ejus περιστάσεις expendere. Quarum præcipua & primo loco memoranda venit *Quirni* cenſio. Hoc enim & *Syriæ* Præſide, & cenſum agente, natus eſt *Chriſtus*: quod *Lucas cap.* 3. nos docet. Provinciam *Syriam* poſtquam *Pompeji* operâ *Romani* in jus ſuum accepere, ad eam gubernandam, uti mos illis fuit, Magiſtratus ex Urbe miſerunt. (*a*) Diviſione ab *Auguſto* provinciarum factâ, ut aliæ populo permitterentur, ad quas rectores ſuo ille ſuffragio deſtinaret, alias *Cæſar* ipſe per legatos ſuos adminiſtraret, inter *Cæſareas* locum habuit *Syria.* Itaque qui eam Magiſtratus obtinebant, ii Legati, vel Proprætores, vel etiam Præſides appellati ſunt, quacumque in Urbe dignitate functi eſſent, ac ſive Præturam, ſive etiam Coſulatum geſſiſſent: ut *Vitellius*, qui poſt Conſulatum Præſes *Syriæ* factus eſt, auctore (*b*) *Joſepho*, qui illum vocat ὑπατικὸν ἄνδρα Συρίας τὴν ἡγεμονίαν ἔχοντα *Conſularem virum, & Syriæ Præſidem.* Ubi *Conſularis* vox abſolutè *Præſidem* non ſignificat: quod aliquando ſuſpicati fuimus. Interdum nullo geſto magiſtratu, tam in *Syriam*, quàm in reliquas *Cæſaris* provincias cum poteſtate mittebantur. Græci στρατηγοὺς vel ἡγεμόνας vel πρεσβευτὰς nominant. Præter Præſidem, cui tota *Syria* provincia parebat, minores additi ſunt alii; velut Procuratores, qui nonnunquam & ipſi Præſides, & ἡγεμόνες latiùs acceptis nominibus, appellantur; ex equeſtri ordine, vel etiam libertinorum genere aſſumpti, ut ſcribit *Dio lib.* 53. Horum officium fuit tributa colligere in ea provinciæ parte, quæ mandata illis erat, ac ſumptus ſuppeditare. Paulatim verò jus illorum

Vide lib. II. de Doct. Temp. cap. II.

a Strabo lib 17. Dio lib. 17

Provincia quomodo à Romanis geſta.

b Lib. 18. Antiquit. cap. 5.

Præſides, & Procuratores.

lorum amplificatum eſt : ut meram etiam poteſtatem & gladii jus acceperint, præſertim in parvis provinciis, quibus nemo, præter Procuratorem, jus dicebat. Sed in iis etiam, quas *Cæſaris* Legati vel Præſides curabant, eâdem functione præditi fuerunt. Sic in *Judæa*, quæ portio quædam erat provinciæ *Syriæ*, & à Præſide gubernabatur, ſumma Procuratoris poteſtas fuit. Itidem & in *Samaria*, *Galilæa*, ac reliquis *Syriæ* partibus evenit; quæ ſingulæ ſuos Procuratores habebant, quamdiu nullis Regibus aut Tetrachis ſuberant, ſed contribuebantur *Syriæ*. Itaque ſub *Herode*, ac poſtea ſub *Agrippa* ſeniore, qui ambo provincias illas omnes cum titulo Regis acceperant, Procurator *Judææ* nullus exſtitit. Poſt *Herodis* I. obitum, (ut notat *Joſephus lib.* 17. *Orig. cap.* 13.) *Archelaüs* novem ſolidis annis *Judæam* hoc eſt *Palæſtinæ* partem illam, cujus caput erat *Hieroſolyma*, tenuit, cum *Idumæa*, & *Samaria*; cætera in illius fratres *Auguſtus* partitus eſt. Poſt *Archelaï* relegationem, ejus ditio *Romani* facta juris, *Syriæ* eſt adjuncta: in eamque deinceps Procuratores *Cæſaris* ſunt profecti. Quamobrem per id tempus, quo natus eſt paſſuſque *Chriſtus*, ſuum *Judæa* Procuratorem habuit; non item *Galilæa*, quæ *Herodi* ac *Philippo* Tetrarchis parebat.

Procurator nullus Judææ ſub Regibus fuit.

Quirini cenſus duplex.

Archelao in exſilium pulſo, miſſus eſt in *Syriam P. Sulpicius Quirinus*, vir per omnes honorum gradus ad Conſulatum uſque provectus, ait *Ioſephus lib.* 18. *cap.* 1. δικαιοδότης τȣ̃ ἔθνȣς ἀπεςαλμένος καὶ τιμητὴς τῶν ȣ̓σιῶν γενησόμενος, *ut jura populis redderet, ac bonorum cenſum inſtitueret.* Cum eo venit & *Coponius*, ut *Judæam* procuraret: quam nihilominus & *Quirinus* adiit, ut & *Judæorum* fortunas cenſeret, & *Archelai* bona venderet. Hæc cenſitio *Judæorum*, & *Archelai* fortunarum venditio anno *Juliano* 51. contigit, æræ com-

munis

munis circiter 6. Hoc enim anno *Archelaüs* tetrarchiâ multatus abiit in exſilium, decimo ineunte poſt *Herodis* patris exceſſum, quod *Ioſephus* indicat: qui decimo anno principatus relegatum eum eſſe ſcribit in *lib.* 17. *Orig. cap.* 15. nono verò anno, in *lib.* 2. *de Excid. Hieroſol. cap.* 6. Ex quo id efficitur, novem integris annis expletis, initio decimi id eveniſſe. Non poteſt hic cenſus eſſe, de quo *Lucas* meminit: quippe tamdiu poſt natum Dominum factus. In quo turpiter lapſus eſt *Euſebius lib.* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 5. qui eumdem fuiſſe credidit. Nos ab *Quirino* bis in *Judæa* cenſum actum eſſe conjicimus, & extraordinarium utrumque, hoc eſt, præter ordinarios Præſides *Syriæ*, miſſum eſſe cum extraordinaria curatione ac poteſtate *Quirinum*. Primus ab illo cenſus inſtitutus eſt ſub ortum Domini, quo tempore *Cn. Sentius Saturninus Syriæ* præerat. Hic enim extremo *Herodis* tempore eam provinciam regebat, quod (*a*) ex *Joſepho* colligitur, ac ſucceſſorem, (*b*) eodem teſte, *Quinctilium Varum* habuit anno *Herodis* ultimo: cùm is ſcilicet *Antipatro* filio necem moliebatur. Quænam cauſa cenſionis illius extraordinariæ fuerit, pro comperto nemini affirmare licet. Probabilis eſt tamen conjectura illa, quam (*c*) alibi fecimus: *Auguſtum*, qui (*d*) breviarium Imperii *Romani* moriens reliquit, in quo deſcriptæ omnes illius erant opes ac vires, ad id conficiendum, exactiorem toto orbe *Romano* cenſum inſtituiſſe facere: cujus exſequendi munus per Orientem & *Syriam Quirino* commiſerit; qui proinde extra ordinem tum *Syriæ* præfuit. Cùm verò *Sentiu Saturninus* per idem tempus Præſes ordinarius eſſet, ejus quoque nomine cenſus idem inſcribi potuit. Hinc eſt quod (*e*) *Tertullianus* per *Sentium Saturninum* cenſus iſtos per *Judæam* actos eſſe dicit: quòd ſub ejus ordinaria

Primus cenſus Quirini.

a Lib. 16. Orig. cap. 11.

b Lib. 17. cap. 7.

c Lib. 11. de Doct. Temp. cap. 8.

d Diod. lib. 56.

e Leb. 4. contr. Marc. c. 19.

dinaria præfectura inchoati ſint & affecti. Poſterior cenſio, poſt *Archelai* relegationem, ab eodem facta *Quirino* eſt. Ideò S. *Lucas* ſuperiorem illam deſcriptionem primam appellat. In qua tributi nihil, aut capitationis, exactum puto. Non enim id in *Herodis* regno, Rege adhuc ſuperſtite, *Auguſtus* uſurpavit. Neque verò ἀπογράφεσθαι aliud eſt quàm *cenſeri*, ac *nomen profiteri*, quod circa penſitationem poteſt fieri. Plerique tamen tributum exactum indicant.

Secundus cenſus Quirini.

Indictâ igitur ab *Romano* Præſide cenſione, *Joſephus* cum B. Virgine partui jam propinqua *Bethleemum* contendit. *Joannes Evangel. cap. 7. vers.* 42. & *Juſtinus Martyr Apolog.* 2. κώμην, id eſt, *vicum*, *Bethleemum* vocant. *Lucas cap.* 2. *comm.* 4. πόλιν Δαβὶδ, *oppidum Davidis*. (*a*) *Epiphanius* in quibuſdam codicibus *Evangeliorum* πόλιν, in aliis κώμην, dici meminit. Apparet anguſtum oppidulum fuiſſe, ac ne muris quidem fortaſſe cinctum. Diſtabat *Hieroſolymis* ſtadia, ut *Juſtinus* habet, 35. ſive, (*b*) ut *Beda* ſcribit, millia paſſuum ſex.

a Hær. 51. num. 9.

b Lib. de locis ſanct.

In id oppidum, uti fides *Michææ* 5. 2. vaticinio conſtaret, cum *Joſepho* ſanctiſſima Virgo pervenit, ibidemque ſalutarem humano generi partum edidit. In ipſo, inquam, oppidulo, ac publico diverſorio, ἐν τῷ καταλύματι, ut *Lucas* loquitur. Ubi cùm vacuus ad eos excipiendos locus eſſet alius nullus, ad ſtabulum diverterunt. Et quoniam ὑπόπετρος ac rupibus aſpera erat illa regio, credibile eſt, in rupe ſtabulum hoc impreſſum fuiſſe; atque ideo plerique Veterum, ut *Juſtinus*, σπήλαιον. *ſpelæum*, ſive *antrum* nominant. Intra vicum ipſum, oppidumve, natum eſſe *Chriſtum*, ex eo fit probabilius, quòd *Michææ* verba id ipſum ſignificant, dum ex ipſa *Bethleemo* oriundum fore

Chri-

Chriſtum prædicant. Nam qui in ſuburbiis *Bethleemiticis* natum eſſe conjiciunt, haud ſatis rectè vico perexiguo ſuburbiorum aliquid annectunt. Tum *Bedæ* ipſius teſtimonio refelluntur, qui intra oppidum hanc qualemcumque ſpeluncam collocat.

Dies Chriſti natalis

De die, quo natus eſt, vetuſtiſſima & olim recepta traditio eſt, octavum Calend. *Januarii* ſive *Decembris* 25. *Chriſti* fuiſſe natalem. Hoc antiquitùs Occidentis Eccleſiæ perſuaſum eſſe, teſtis eſt Homilia quædam, quæ inter (*a*) *Chryſoſtomi* opera legitur, (*b*) *Gregorius* item *Nyſſenus*, (*c*) *Auguſtinus*, (*d*) *Paulinus*, (*e*) *Chryſologus*, ac vetera Martyrologia idem aſſerunt. Quocirca futilis eſt (*f*) *Scaligeri* aliorumque divinatio; qui ex Sacerdotum ephemeriis & hieraticis neſcio quibus circulis priſcam illam & *πατροπαράδοτον* opinionem elevare ſtudent. Contra quos in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 7. accuratè diſputavi.

a Hom. 31. in Tom. de diverſ. novi Teſtam. locis edit. Front. Duc.
b Hom. in Nat. Dom.
c 4 de Trin. c. 5.
d Nat. 1. S. Felic.
e Serm. 159.
f In Append. Operis de Emendat. Temp. & in Iſag. Can.

CAPUT III.

De Magorum hiſtoria; hoc eſt, de eorum patria, conditione, profectionis tempore; & infantium cæde.

SUpereſt Magorum ad *Chriſtum* venerandum ex Oriente profectio, & infantium cædes. Magos iſtos non aliunde primùm veniſſe ſuſpicio eſt, quàm inde, ubi genus id hominum præcipuè degebat. Ea eſt *Perſidis* regio. Hinc igitur adducere illos oportet: non ex *Arabia*, aut ex *Magodia* neſcio qua provincia, quæ nunquam in rerum natura fuit. Ita cenſet (*g*) *Alexandrinus Clemens*, (*h*) *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, aliique; quibus Evangeliſta ſuffragatur, qui illos ab Oriente veniſſe ſcribit; quod de *Arabia*, ut (*i*) *Epiphanius* exiſtimat, aut de *Damaſco*, quæ pars

g 1. Strom.
h In Matth.
i In Expoſ. fid. num. 8.

pars olim fuit *Arabiæ*, quod (*a*) *Tertulliano* placet, uſurpari non poteſt, ſoletve. *Chaldæos* aliqui faciunt, quòd eo vocabulo (*b*) ab nonnullis vocentur. Verùm *Chaldæorum* nomen plerumque non tam gentis eſt, quàm artis & profeſſionis. Ita quippe Mathematicos & Genethliacos vulgò nominant.

a Lib. contr. Jud. c. 9.
b Paulin. epiſt. 11. Remig.

Reges ne fuerint Magi.

Tertullianus loco illo, quem attuli, Reges *Arabiæ* fuiſſe defendit. *Nam & Magos*, inquit, *Reges ferè habuit Oriens.* Equidem Reges ſic illos fuiſſe conceſſerim, quomodo unius oppidi Reguli, vel Toparchæ, Reges interdum in ſacris Literis appellantur. Quod verò paſſim per Orientem Reges fuiſſe Magos *Tertullianus* affirmat, id hiſtoriâ omni teſte refellitur. Nam ſi Magi ferè in Oriente, adeòque *Perſide*, Reges fuerunt, cur ſemel in hiſtoria Magorum dominatus apud *Perſas*, ac ne is quidem annuus, notatur poſt *Cambyſis* obitum? Nam cæteri deinceps *Perſarum* Reges Magi utique non fuerunt; neque qui *Perſarum* delevit imperium, *Alexander*, ejuſque ſucceſſores *Seleuci* poſteri, Magi itidem erant. Tum *Tertulliani* ſæculo non *Perſæ*, ſed *Parthi* Oriente potiebantur. Hos verò Magos fuiſſe nemo dixerit. Ac tametſi *Perſarum* Reges olim Magorum diſciplinis imbuerentur, ut (*c*) auctor eſt *Cicero*, non idcirco profeſſione appellationeve Magi illi fuerunt, neque, qui poſt *Perſas* dominati ſunt, *Parthi* eodem uſi ſunt inſtituto, vel *Seleucidæ*. Quocirca nihilo verius eſt Reges in Oriente Magos fuiſſe, quàm in *Galliis Druïdas*, aut *Romæ* Augures, aut in *Ægypto* Sacerdotes: quamvis illorum omnium inſtitutis ac diſciplinis, qui illic regnabant, erudirentur.

Tertullianus refellitur.

c Lib. 3. de Nat. Deor.

De tempore, quo in *Judæam Bethleemum*que venerunt, ambigua eſt quæſtio. Sunt qui biennio poſt ortum Domini adveniſſe cenſeant. Sic inter alios (*d*) *Epiphanius* putat, nec non

d Hær. 51. num. 9.

non (*a*) *Euſebius* poſt *Originem*. *Epiphanius* porrò S. *Joſephum* ac B. Virginem exiſtimat primo ac ſecundo anno vertentibus, è *Nazareth*, ubi domicilium habebant, *Betbleemum*, eorum, quæ ibi geſta fuerant, conſervandæ memoriæ causâ, veniſſe, ac ſecundo demùm anno, cùm fortè illic eſſent, Magos occurriſſe. Nec aliter (*b*) *Auguſtinus*. (*c*) Alii conſeſtim poſt natum Dominum conſpectam eſſe ſtellam, & ſubinde profectos Magos aſſerunt; ſed infantium cædem in biennium eſſe dilatam, cujus rei varias ex conjectura cauſſas ediſſerunt. (*d*) Nonnulli ſtatim poſt animadverſam ſtellam adventum Magorum & parvulorum necem contigiſſe malunt; ſed *Herodem* biennio priùs, quàm apparuerat ſtella, natos infantes juſſiſſe perimi. (*e*) Non deſunt qui hæc *Matthæi* verba, *à bimatu, & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis*, ſic interpretantur: *Herodem* ajunt infantes occidi mandâſſe biennio natos ante tempus, quo ſtellam Magi viderant, aut *Hieroſolymam* acceſſerant; non verò ante tempus, quo de illis mactandis edixerat. Qui mihi videntur nimis anxiam ab ſatellitibus, in tam præcipiti calore cædis ac feſtinatione, curam exigere.

a In catena Græca Manuſcr.

b Hom. 7. in Epiph.

c S. Thom. Lyran. Abul. Cajet.

d Maldon.

e Janſ. Baron.

Apparitionis ſtellæ tempus.

Mea igitur hæc ratio eſt: Magos paucis poſt ortum *Chriſti* diebus in *Judæam* veniſſe; ſtellam autem duobus circiter ante id tempus annis apparere cœpiſſe. Quam ſic illi contemplabantur hactenus, ut quid ea portenderet nondum intelligerent; neque verò ſine divina ſignificatione aſſequi potuiſſent, quam illis Deus, ubi opportunum eſt viſum, edidit, nato ſcilicet jam *Chriſto*. Eam porrò ſtellam in Oriente primùm, hoc eſt in patria ſua, deinde *Hieroſolymis* egreſſi rurſus adſpexerunt: medio intervallo, & in itinere ipſo, non videtur apparuiſſe. Hoc enim *Matthæi* verba illa demonſtrant: *Et ſtella*,

 quam

quam viderant in Oriente, antecedebat eos. Dixiſſet, *quam hucuſque viderant*, nec *Orientem* nominatim exprimeret, ſi deinceps illam perpetuò vidiſſent. Tum inuſitatum illud ex adſpectu ſtellæ gaudium id ipſum neſcio quo modo ſuadere videtur. At *Herodes* aliquanto pòſt ſpatio, cùm de iis, quæ in purgatione B. Virginis atque in templo contigerunt, fama percrebuiſſet, immanem illam carnificinam indixit, ſecundùm quam altero menſe obiit, ex *Joſephi* ac *Dionis* rationibus, quas in *lib.* 3. diſſeruimus.

Caput IV.

De tempore Dominicæ Paſſionis, hoc eſt, anno, menſe, ac die.

Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap 17. & Animad. ad Epiph. Hær. 51.

Romanam rem adminiſtrante *Tiberio*, *Chriſtus* pro hominum ſalute in crucem actus eſt; de quo imprimis duo ſolent inquiri: alterum, quo anno paſſus ſit: alterum, quo menſe ac die. Prius inde bifariam ſpectatur: nam & quoto ætatis quæritur, & quo mundi vel æræ communis anno. Utrumque verò pendet ex annorum numero, quos ſecundùm baptiſmum in Evangelii prædicatione poſuit. Eos plures, paucioreſve, docti Chronologi ſtatuunt. Nos anno prædicationis tertio paſſum eſſe *Chriſtum* aſſerimus, ac biennium integrum cum menſibus aliquot ſupervixiſſe baptiſmo: in quo auctores maximè ſequimur (*a*) *Irenæum*, (*b*) *Apollinarem Laodicenum*, (*c*) *Origenem*, (*d*) *Epiphanium*; etſi non eodem, quo illi, modo Paſchata priora duo percenſemus. Ut hoc ſpatio Dominicam κήρυξιν includamus, adducimur *Joannis Evangeliſtæ* teſtimonio; qui cùm annos prædicationis, ac ſingula Paſchata, diſertiùs cæteris ſtuduerit exprimere, ut *Epiphanius* affirmat, (*e*) duo tantùm ante poſtremum &

a Lib. 2. cap. 38. b Apud Hieron. in 9. Dan. c 2. contr. Cels. d Hær. 51. e Cap. 2. 13. & c. 6.

& σαυρώσιμον nominat. Tum quæ ex eodem, ac cæteris tribus, à *Chriſto* dicta factaque referuntur, eo, quod definimus, intervallo comprehendi nihil vetat, quod in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 18. fecimus.

His animadverſis, annum ipſum, quo *Chriſtus* mortem obiit, cum *Epiphanio* conſtituimus eum, qui Coſſ. dedit *Tiberium* 5. & *Sejanum*, tametſi alios adſcribit (*a*) *Epiphanius*; nempe *Vinicium*, ac *Longinum Caſſium*. Sed annum nihilominus eumdem ſignificat, qui *Julianus* fuit 76. æræ communis 31. ab U. C. *Varroniano* calculo 784. Olymp. 202. annus ſecundus exiens, Per. *Jul.* 4744. mundi 4014. Quem quidem annum (*b*) *Africanus*, *Euſebius*, (*c*) *Hieronymus*, aliique demonſtrant, qui eſt reliquæ omni conſentaneus hiſtoriæ. Nam *Paulus* Apoſtolus, exempli gratiâ, anno 25. poſt Paſſionem *Chriſti*, ac 2. *Neronis* anno, vinctus *Romam* veniſſe dicitur ab (*d*) *Hieronymo* ex *Euſebii Chronico*. Hic eſt Julianus annus 100. *Chriſti* 55. ut poſtea *cap.* 3. conſtabit. Deductis 25. de 55. reſtant 30. Igitur anno ineunte 31. æræ *Dionyſianæ* paſſus eſt *Chriſtus*. Rurſus *Hieronymus Petrum* & *Paulum* poſt Paſſionem anno 37. interfectos eſſe prodidit, *Neronis* 14. Eſt is annus *Julianus* 112. *Chriſti* 67. quod *cap.* 4. declarabitur. Si ergo de 67. tollas 37. reliqui erunt 30. Ad hæc, *Paulum* affirmat (*e*) *Chryſoſtomus* annis 35. ſerviiſſe Domino. Quòd ſi 25. de 67. auferas, fient anni 32. Ita anno 33. *Chriſto* nomen dedit Apoſtolus. Atqui anno à Paſſione tertio converſus eſt *Paulus* ad *Chriſtum*, uti *Parte* 1. *lib.* 6. *cap.* 1. docuimus. Præterea annus excidii *Hieroſolymitani* à (*f*) pleriſque Veteribus à Paſſione numeratur quadrageſimus. Incidit autem clades illa in annum æræ vulgaris (*g*) 70. *Julianum* 115. Tolle 40. de 70. ſupererunt 30. Sed hæc, hiſque plura, alibi

Annus Paſſionis Chriſti, ac menſis, & dies.

a Hær. 51. num 13. Vide Animad. noſt pag. 96. & l. 12. de Doct. Temp. cap. 2.

b Apud Euſeb. in Collect. Græc. pag. 63. & 8. de Demonſtr.

c Chron.

d De Script. Eccl.

e Homil. de Princ. Apoſt. Tom. 3.

f Euſeb. Chron. & 3 Hiſt. Hieron.

g Cap. ſeq.

a lib. 12. de Doct. Temp. cap. 12. (a) alibi ad idem argumentum attulimus. Ergo anno *Juliano* 76. *Tiberii* inſtante 18. ſed adhuc labente 17. in crucem actus eſt Dominus.

b Vide Animad. ad Epiph. cit. & l. 12. de Doct. Temp. c. 11. & ſeq. (b) De menſe, ac die, quo paſſus eſt, cum *Epiphanio* & Antiquis aliis arbitramur, *Martii* 23. illum fuiſſe: quo novilunium medium accidit *Martii* 12. Luna 15. *Martii* 26. Sed propter Lunaris Cycli labem, triduo antevertit; fuitque Luna 15. *Martii* 23. feria 6. litera Dominic. G. Quo die *Chriſtus* interemptus eſt, cùm pridie cum Diſcipulis ſuis typicum pariter ac verum immolâſſet agnum. Neque enim auſcultandum eſt *Græculis* quibuſdam, qui ultima in cœna *Chriſtum* negant *Judaicum* attigiſſe Paſcha. Quod inter cæteros fusè diſputat *Joannes Philoponus* libello *de Paſchate* nuper edito. *Martii* 23. paſſum eſſe *Chriſtum*, indicat, præter *Epiphanium*, Concilium *Cæſarienſe* habitum anno 197. *Chriſti* ſub *Victore* Papa: cujus fragmentum apud *Bedam* legitur in libello *de Æquinoctio*: nec non *Hyppolitus Thebanus Tom.* 3. *Var. Lect. Caniſii.*

Vide Animad. ad Epiph. Hær. 51. pag. 184. & lib. 12. de Doct. Temp. c. 11. & ſeq. Porrò non eodem die *Chriſtus*, quo *Judæi* complures, ipſique adeo Sacerdotes, à quibus damnatus eſt, Paſchali functus eſt epulo. Id enim ex *Joannis Evangelio* 18. 28. colligitur, qui *Judæos* refert ipſo die, quo paſſionem adiit *Chriſtus*, Prætorium ingredi religioni duxiſſe, *ne contaminarentur, ſed ut comederent Paſcha.* Nondum ergo Paſcha manducaverant. Item *cap.* 19. *vers.* 14. *Evangelii* ejuſdem; *Erat autem Paraſceve Paſcha, hora quaſi ſexta.* Non igitur primo die Azymorum, qualem *Judæi* plerique celebrabant, ſed in ejus Paraſceve, hoc eſt pridie, *Chriſtus* occiſus eſt. Nam *Paraſceve Paſcha* pridie Paſchatis eſt; non utique Paſcha. Neque vero propterea contra Legis interdictum commiſiſſe putandus eſt *Chriſtus*. Nam legitimo ipſe die celebravit, cum eoque nonnulli

cæteri

cæteri præpoſterè & alieno die perfuncti ſunt. Quippe turbatum illo anno ſolemnis in hujus celebratione ab *Judæis* fuiſſe teſtatur (*a*) *Epiphanius*; cujus cauſſam perturbationis in *Commentariis* ad eumdem nos Scriptorem ex conjectura reddimus. Etſi minimè id neceſſe eſt dum de facto ipſo eventuque conſtet, cur factum ſit, anxiè quærere. Quamobrem illo die paſſus eſt, qui reverà & ex lege primus eſſe debuit Azymorum; quod (*b*) reliqui Evangeliſtæ referunt: ſed non eo, quem *Judæi* complures primum Azymorum inſtituerant: ex quo contrariæ partis argumenta licet explicare propemodum omnia. Cætera, quæ ad *Chriſti* Domini vitam ac necem pertinent, copioſè pertractata ſunt in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 19. & ſeq.

a Hær. 51. n. 17. Vide Animad. noſtras ibid. & lib. 12. de Doct. Temp. c. 18.

b Matth. 26. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7.

CAPUT V.

De Auguſti, Tiberii, *ac cæterorum ad* Domitianum *uſque Imperatorum temporibus.*

TAm *Auguſti* mors, quàm *Tiberii* primordium, & conſtanti Scriptorum fide & Aſtronomicâ obſervatione munitur. Scribunt (*c*) *Tacitus* & *Dio* paulò poſt *Auguſti* exitum Lunam defeciſſe, eâque re territas in *Pannonia* legiones, quæ tumultuari cœperant, ad obſequium rediiſſe. Accidit eclipſis iſta anno *Chriſti* 14. Cyclo Lunæ 15. Solis 23. *Septembris* 27. horâ circiter 5. matutinâ in *Pannonia*, quadrageſimo die poſt *Auguſti* mortem. Quare non poteſt aliud in tempus, quàm illum ipſum communis æræ 14. annum, conferri obitus Imperatoris *Auguſti*, Coſſ. *Sextis* duobus, *Juliano* 59. Urbis 767. *Dio* refert eumdem vixiſſe annis 75. menſibus 10. diebus 26. hoc eſt, anno 76. mortuum, ut ſcribit *Tranquillus*. Natus eſt enim *Cicerone* & *Antonio* Coſſ. anno U. C. 691. nono Calend. *Octobris*, à quo annus 76. deſiit

Demonſtratur annus mortis Auguſti & Tiberii

c Tac. Hiſt. lib. 1. Dio lib. 57. Vide lib. 12. de Doct. Temp. cap. 6.

ſiit in eum, qui eſt U. C. 767. Sic de initio quoque *Tiberii* conſtat. Cujus (*a*) mors à *Suetonio, Tacito, Dione*, aliiſque tribuitur anno U. C. 790. *Acerronio* & *Pontio* Coſſ. *Jul.* 82. *Chriſti* 37.

a Tac. Hiſt. lib. 6. Dio lib. 58.

(*b*) *Claudii* imprimis, ac *Neronis*, ſed & cæterorum quoque primordiis & temporibus affirmandis, præter Scriptorum conſenſionem, utiles ſunt Solis eclipſes duæ; quarum altera natali die *Claudii* incidit Calend. *Auguſti*, *Vinicio* & *Statilio* Coſſ. ut Dio *lib.* 60. teſtatur. Quare ne id in religionem verteret populus, illam *Claudius* edicto denunciavit. Par illud Conſulum quintum numeratur ab iis Coſſ. quibus *Caligula* interfectus eſt. Itaque quintus annus fuit *Claudii*. At idem æræ *Chriſtianæ* putatur 45. Hoc enim Sol *Romæ* defecit Calend. *Auguſti*, horâ circiter nonâ matutinâ. Unde neceſſe eſt *Claudium* anno *Chriſti* 41. imperare cœpiſſe.

b Vide l. 12. de Doct. Temp. cap. 6. *Demonſtrantur horum Imperatorum tempora.*

Altera Solis defectio accidit *Vipſanio* & *Fontejo* Coſſ. pridie Calendas *Majas*, horâ diei inter 7. & 8. in *Campania*, ut (*c*) ſcribit *Plinius*. Conſules iſti ſextum annum obſident ab *Aſinio* & *Aviola* Coſſ. quibus deceſſit *Claudius*, & in annum U. C. 812. *Julianum* 104. competunt, quo quintus deſiit *Neronis*, & ſextus iniit; atque idem annus eſt *Chriſti* 59. Ergo *Neronem* imperium adiiſſe conſequens eſt anno *Chriſti* 54. cumque annos 13. & menſes ferè 8. imperarit, ut auctor (*d*) eſt *Dio*, hoc eſt annos paulò minus 14. ut ſcribit *Suetonius*, obiit anno *Chriſti* 68.

c Lib. 2. cap. 70.

d Lib. 63.

Sic reliquorum tempora Principum non ſolâ Faſtorum auctoritate ac nobilium Hiſtoricorum fide nituntur, ſed etiam Aſtronomicis obſervationibus. Nam quo anno *Veſpaſiani* duces cum *Vitellianis* ad *Cremonam* cruento *Marte* pugnârunt, quod *Octobri* exeunte menſe contigit, paulò ante prœlium Luna defecit, ut auctor eſt (*e*) *Dio*. Eam nos ex Tabulis diſcimus in annum *Chriſti* convenire

Vide l. 1. de Doct. Temp. capp. 16. 18. 19.

e lib. 65.

venire 69. *Julianum* 114 quo eclipſis lunaris incidit in *Octobris* 18. feriâ 4. horâ poſt meridiem 9. 42. in horizonte *Romano* : fuitque digitorum penè 11.

Ergo eodem illo anno tam *Otho* quàm *Vitellius* exſtincti ſunt, & *Veſpaſianus* in *Ægypto* renunciatus Imperator Calendis *Juliis*, ut ſcribit *Tacitus*. Hæc enim omnia in eumdem annum competunt. Ac *Vitellius* quidem ſub exitum anni periit, hoc eſt ſub ipſos Saturnaliorum dies, uti *Tacitus* extremo *libro Hiſtor.* 3. ſignificat. Hunc porrò teſtis eſt *Dio* poſt *Galbæ* necem (à qua ſtatim occupavit imperium, auctore (*a*) *Suetonio*) imperâſſe annum 1. minùs dies 10. *Othonem* verò ſcribit uterque tres circiter menſes, hoc eſt dies 90. vel 95. præfuiſſe. *Galbam* menſibus ſeptem principatum geſſiſſe docet *Suetonius*. *Neronis* exordium cadit in annum *Julianum* 99. *Chriſti* 54. Coſſ. *Marcello* & *Aviolâ*, tertio Eid. *Octobris*, ut nos antea ex (*b*) *Suetonio* retulimus, & *Dione* : quorum hic annos 13. menſes 8. dies 20. *Neronem* imperâſſe ſcribit. Ab die *Octobris* 13. qui eſt tertius Eidus, anni *Chriſti* 54. explicati menſes 8. dies 20. ſupra annos 13. deſinunt in Calendas *Julias* anni *Juliani* 113. *Chriſti* 68. Exinde *Galbæ* menſes ſeptem in *Januario* terminantur anno *Chriſti* 69. Etſi novem menſes cum diebus 13. eidem aſſignat *Dio*; ſed *Suetonii* potior eſt fides. *Othonis* tertius menſis in *Aprilem* cadit; quod reliquum eſt anni, partim *Vitellio*, partim *Veſpaſiano* tribuitur. Verùm, quod jam dictum eſt, à Calendis *Juliis Veſpaſiani* primus annus incepit.

Hujus ſecundo anno *Hieroſolyma* eſſe capta *Joſephus* aſſeverat, (*c*) *Gorpiæi* menſis 8. qui *Macedonicus* eſt menſis, & *Metagitnioni Attico* reſpondet, atque *Auguſto* ferè *Juliano* cœpit, ut docuimus *lib.* 1. *de Doct. Temp. cap.* 29. Ita Calendis ipſis *Septembris* urbs capta vide-

a In Vitell. cap. 9.

b Suet. in Claud. c. 45. Dio lib. 60.

Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 17.

c Joſeph. de Excid. Hieroſol. cap. 47.

videtur. Quare anno *Chriſti* 70. inchoato jam *Veſpaſiani* ſecundo, illa clades incidit, poſt Paſſionem *Chriſti* 40. ut recté (*a*) cenſet *Euſebius*.

Imperium *Domitiani* duplici charactere munitur. Primus à *Ptolemæo* memoratur *lib.* 7. *cap.* 3. ubi *Agrippam Bithynum* Mathematicum ait obſervâſſe Lunam cum Vergiliis conjunctam anno duodecimo *Domitiani*, *Metroi* 12. horâ noctis ineunte tertiâ, anno *Nabonaſſari* 840. *Tybi* 2. ſequente 3. Ex methodo annorum *Nabonaſſari* primo *libro* tradita, conſtat hunc annum *Chriſti* putari 92. & *Novembris* 29. illud accidiſſe. Unde colligitur, annum primum *Domitiani* in eum, qui eſt *Chriſti* 81. incurriſſe.

Alterum argumentum. (*b*) Scribit *Suetonius*, *Domitianum* interfectum eſſe 14. Calend. *Octobris*, anno imperii 15. ac pridie ejus diei affirmâſſe, fore ut *ſequenti die Luna ſe in Aquario cruentaret*, hâc ambage necem ſibi allatum iri ſignificantem. Quòd ſi quis Aſtronomicas Tabulas conſulat, inveniet anno *Chriſti* 96. decimo quarto Calend. *Octobris*, id eſt 18. *Septembris* Lunam in gradu Aquarii 24. meridie conſtitiſſe. Quare occiſus eſt eo anno *Domitianus*: adeoque quindecim integros annos quinque diebus exceſſit. Sed & *Zoſimus* in *libro* 1. ſignificat, quindecim illum annos abſolviſſe.

Agon denique *Capitolinus* ab *Domitiano* inſtitutus eſt duodecimo ejus & *Cornelii Dolabellæ* Conſulatu, (*c*) auctore *Cenſorino*; quo annus illius imperii quintus iniit: & *Chriſti* fuit 86. *Julianus* 131. Apparet autem tetraëtericum fuiſſe, uti quarto quoque finito anno, & quinto ineunte commiſſus fuerit, ad modum *Olympicorum* certaminum. Quod *Cenſorinus* indicat, dum anno eo, quo ſcribebat, *Chriſti* 238. cœpiſſe dicit agonem 39. hoc eſt, 38. completos fuiſſe. Agones 38. quater multiplicati conficiunt 152. qui detracti de

a Euſeb. l. 3. Hiſt. & in Chron. Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 19.

b Suet. in Domit. capp. 16. & 17.

c Cenſor. cap. 18. Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 20.

de annis 237. vertentibus, relinquunt annos *Chriſti* abſolutos 85. Ergo anno 86. primus agon celebratus eſt. Quæ omnia in *l.* 11. *de Doct. Temp.* à *cap.* 16. ad 20. habes explicata copioſius.

CAPUT VI.

Quibus argumentis Nervæ, Trajani, Hadriani, *& cæterorum ad* Alexandrum *uſque Imperatorum epochæ nitantur.*

Cum *Domitiani* exitus Aſtronomicâ ratione, quæ ex Lunæ ſitu in Aquario 14. Calend. *Octobris* petitur, in annum *Chriſti* 96. conferri debeat, ac *Nerva* deceſſerit anno 98. ineunte, 6. Calend. *Februarii*, indidem *Trajani* ducendum eſt initium. Huic adverſari videtur obſervatio *Menelai* Mathematici apud *Ptolemæum lib.* 7. *pag.* 170. *Græc. edit.* qui Lunam cum Spica conjunctam animadvertit anno *Nabonaſſari* 845. eâ nocte quæ inter 15. *Mechir* ac 16. interceſſit, anno *Trajani* primo. Congruit tempus anno *Chriſti* 98. *Januarii* 10. Ergo jam tum erat in imperio *Trajanus*. Unde conſequens videtur, *Nervam* obiiſſe *Chriſti* annò 97. atque exeunte primo *Trajani* obſervationem illam eſſe factam. Sed reclamant *Romani Faſti* omnes, qui *Domitiani* mortem *Valenti* ac *Veteri* Coſſ. aſſignant, *Septembris* 18. Tùm *Nervæ* annum 1. menſes 4. ac dies 11. tribuunt: qui explicati deſinunt in *Januarii* finem anno *Chriſti* 98. Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 21.

Eadem de annis *Adriani* ex *Ptolemæo* quæſtio naſcitur. Siquidem anno *Chriſti* 117. *Auguſti* 10. mortuus eſt *Trajanus*, ut ſuprà memoravi, *Nigro* & *Aproniano* Coſſ. auctoribus *Faſtis*, unde *Adriani* conſtat exordium. Proinde & anno *Chriſti* 125. deſiit octavus illius annus, ac nonus incepit; & anno *Chriſti* 133. cœpit ejuſdem 17. annus: atque ita deinceps ordine cæteri. At verò *Ptolemæus* in omnibus Lunæ & æquinoctiorum obſervationibus, quas *Adriani* annis obſignat, uno anno ejus antici- Vide lib. 11. de Doct. Temp. capp. 22. & 23.

anticipavit initium. Etenim Lunam (*a*) ſcribit defeciſſe anno *Nabonaſſari* 872. nocte quæ inter diem 17. ac 18. menſis *Pachon* interceſſit: quod tempus cadit in annum *Chriſti* 125. *Aprilis* 5. Jam ſi *Aprili* menſe labebatur annus 8. *Adriani*, cùm imperare cœperit 4. Eid. *Auguſti*, eodem illo anno nonus occœpit; adeòque primus incidet in annum *Chriſti* 116. non 117. Sic anno *Adriani* 17. *Nabonaſſari* 880. *Payni* 20. (*b*) eclipſis altera notatur, qui eſt annus *Chriſti* 133. *Maij* 6. Proinde ab *Auguſto* menſe anni hujus putari cœpit annus 18. *Adriani*; unde primus incurrit in annum 116. Ejuſdem modi ſunt & aliarum τηρήσεων exempla, quæ à *Ptolemæo* memorantur, ſive *Adriani* annis inſcripta, ſive *Antonini*; quæ omnia uno anno amborum epochas antevertunt.

a Ptol. lib. 4. c. 9.

b Ptol. l. 4. cap. 6.

Cùm hic ſcrupulus pleroſque Chronologos exercuerit, nos certam illius rationem inveſtigavimus in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 22. Obſervavimus enim Canonem quemdam Imperatorum ac Principum à *Ptolemæo* eſſe confectum, qui in fine *Partis* hujus editus, inſcribiturque Κανὼν Βασιλέων. In eo *Romanorum* Principum anni deinceps à *Cajo Caligula* mendosè deſcripti ſunt; ſic ut anno uno minùs putetur. Hunc ergo Canonem *Ptolemæus* ſecutus, in annis Imperatorum adnotandis unius anni errore lapſus eſt. Vide quæ illo *capite* diſputamus.

Ratio temporum ab obitu *Commodi* ad *Alexandri* necem partim certiſſimo charactere nititur, quo initium *Alexandri* notatur, partim annorum calculo, quos unicuique Imperatori Scriptorum conſenſus attribuit.

Ratio annorum Chronologica.

Exſtat *Hippolyti Portuenſis Canon Paſchalis* vetus inter antiquas Inſcriptiones è ſtatua quadam, quæ adhuc *Romæ* viſitur, excerptus, quem in *lib.* 2. *de Doct. Temp. cap.* 60. declaravimus. In hujus Inſcriptione, anno primo

primo *Alexandri* Imperatoris, Paſchalis decima quarta conveniſſe dicitur in Eidus *Apriles*, feriamque ſeptimam. Hoc verò neceſſe eſt accidiſſe anno *Christi* 222. Cyclo Solis 7. litera Dominic. F. Lunæ Cyclo 14. Quare hoc anno imperare eſt orſus *Alexander Mammææ* filius. Ex quo antecedentium Principum initia conſtituuntur; ſi annorum ſummas, quas unicuique idonei Auctores aſſignant, anteriora promoveas, & cum iſto charactere reliquos conferas, qui à nobis ſuprà commemorati ſunt. Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 24.

CAP. VII.

De inſtaurato in Oriente Perſarum *Imperio, ac de* Parthis *recuperato.*

ALexandro *Mammææ* filio *Romanis* imperante, novum imperii *Perſarum* exordium in Oriente factum eſt, cùm *Parthi* rerum hactenus potiti eſſent, quorum primus regnavit *Arſaces*, poſtremus *Artabanus*; qui ab *Artaxerxe*, ut eum (*a*) vocat *Herodianus*, vel, (*b*) ut *Agathias*, *Artaxare* victus occiſuſque eſt. Ut hoc certum eſt *Alexandro* Imperatore contigiſſe, ſic annus in dubio eſt. (*c*) *Agathias*, qui hiſtoriam illam accuratè deſcribit, ab initio *Artaxaris*, ad 28. annum *Juſtiniani*, & 25. *Choſrois* annos putat 319. Annus 28. *Juſtiniani* cœptus eſt *Christi* anno 554. de quibus deductis 319. reſtat annus *Christi* 235. quo *Alexander* obiit, cùm jam antecedente anno cum *Perſis* bellum geſſiſſet. Itaque non convenit. Meliùs *Agathias* idem *lib.* 4. *pag.* 129. cœpiſſe ait *Artaxarem* anno 4. *Alexandri Severi*, qui eſt *Christi* 225. Sed annum 4. jam elapſum, & ineuntem 5. interpretor; ut anno 226. *Christi Artaxares* imperare ſit orſus. Idem *Agathias* ad annum illum *Alexandri Severi* quartum annos nu-

a Lib. 6.
b Lib. 2. pag. 61. Græcæ edit.
c Lib. 2. pag. 62.

merat 538. poſt *Alexandrum M.* Annus *Chriſti* 226. eſt Per. *Jul.* 4939. de quo detrahe annos 538. ſupererit annus Per. *Jul.* 4401. Proinde annos poſt *Alexandrum* uſurpavit de *Seleucidarum* æra, quæ ab anno 4402. procedit. Suſpicor *Agathiam* pro 319. anno ſcripſiſſe 329. qui ab anno *Chriſti* 226. inchoati deſinunt in 554. in quem *Juſtiniani* octavus & viceſimus incidit.

Omninò *Artaxaris* & *Perſici* inſtaurati regni primordium anno *Chriſti* 226. convenit. Sed *Agathiæ* non uno loco perverſa Chronologia eſt: ut cùm à primordio *Arſacis* ad *Artabani* exitum annos numerat 279. qui ſunt 475. (*a*) ſi *Juſtinum* ſequimur. Initium igitur imperii *Perſici* habet annus *Chriſti* 226. finem annus 632. à quo æra *Jeſdegirdis* incipit. Qui poſtremus in illa ſtirpe regnavit, & à *Saracenis* victus, cum vita regnum amiſiſſe dicitur anno illo 632. de quo vide quæ in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 51. docuimus, nec non in *lib.* 3. *cap.* 11. Verùm ex *Theophane* colligitur *Jeſdegirdem*, quem ille vocat *Hormiſdam*, ultra tempus illud vitam cum regno propagâſſe.

(*b*) *Agathias* ex *Archivis Perſicis* accuratam *Perſarum* ſe Regum ſeriem accepiſſe confirmat per *Sergium* interpretem; quam hîc deſcribemus, adnotatis annis, quibus regnum inierunt. Deſivit autem *Agathias* in *Hormiſdam*, qui *Juſtiniano* imperante regnabat: reliquos ex *Theophanis* Annalibus petemus.

a Vide lib. 4. Part. 2. cap. 3.

b Lib. 4. pag. 136.

Later-

Laterculum Regum *Perſarum* ab initio *Artaxerxis*, ſive *Artaxaris*, ex *Agathiæ lib.* 2. & deinceps.

	Reges.	Anni regni.	Anni *Chriſti*, quibus cœperunt.
1	*Artaxares* ſive *Artaxerxes*	14. M. 10.	226
2	*Sapores* Hic *Valerianum* cepit, in *Cappadociam* excurrit. *Agath. lib.* 4. *pag.* 129.	31	241
3	*Hormiſdates*	A. 1. D. 10.	272
4	*Vararanes* I.	3	273
5	*Vararanes* II.	17	276
6	*Vararanes* III.	M. 4	293
7	*Narſes*	7.M.5	294
8	*Hormiſdates* II.	7.M.5	302
9	*Sapores* II. Hic in matris utero Rex creatus eſt. *Agath. lib.* 4. *pag.* 130.	70	310
10	*Artaxerxes Saporis* frater.	4	380
11	*Sapor* II. filius *Artaxerxis.*	5	384
12	*Vararanes* IV. cognomento *Cermaſas.*	11	389
13	*Iſdigerdes Saporis* filius. Huic moriens *Arcadius* filium commiſit.	21	400
14	*Vararanes* V.	20	421

	Iſdigerdæ filius		
15	*Iſdigerdes* II.	17. M. 4.	441
	Vararanis filius		
16	*Perozes* Hic à *Nephtalitis Hunnis* oppreſſus eſt. *Procop.* I. *Perſ.* & *Agath.*	24	459
17	*Hobalas Iſdigerdis* frater	4	483
18	*Cabades* primò Hic violentus, & impotens, ob legem de promiſcuis uxoribus latam pulſus, ad *Nephthalitas* confugit. *Agath.*	11	487
19	*Zamaſphes Perozis* filius	4	498
o	*Cabades* iterum Obiit anno 5. *Juſtiniani. Agath. lib.* 5. *pag.* 135.	30	502
20	*Choſroes*	48	532
21	*Hormiſda* I. Eo regnante ſcripſit *Agathias*, & ideo annos illius omiſit.	o	580

	Sequuntur reliqui Reges ex *Theophane*.		
	Reges.	Anni regni.	Anni quibus inierunt.
21	*Hormiſda* II.	15	580
22	*Choſroes*	39	595
23	*Siroes*	1	634
24	*Adeſer Sirois* filius	M. 7	635
25	*Sarbarazas*	M. 2	635
26	*Borane Choſrois* filia	M. 7	636
27	*Hormiſda* III. Hic à *Saracenis* vitâ regnoque eſt exutus. Obiit an. 647.	11	636

Si hæc vera eſt *Theophanis* Chronologia, *Perſicum* regnum non anno 632. ſed 647. à *Saracenis* occupatum eſt. *Petrus Biſarus* in calce *Hiſtoriæ Perſicæ*, *Hormiſdæ Choſrois* filio dat annos 8. non 15. & poſtremo omnium *Hormiſdæ* annos 10. *Scaliger* priori annos itidem 8. poſteriori 3. quâ ratione mortuus hic erit anno 634. Colliguntur ab initio *Artaxerxis* ad annum 632. quæ eſt *Jeſdegirdis* æra, anni 307. Sed ut ad conditorem hujus regni *Artaxerxem* redeam, *Herodianus* auctor eſt, contra hunc anno imperii decimo quarto *Alexandrum* Imperatorem moviſſe. Id verò falſum eſt. Si quidem annos 13. paucis diebus *Alexander* exceſſit, ut *Lampridius* docet. Triumphavit autem de *Perſis* 7. Calend. *Octobris*, ut ex Actis Senatus idem refert: omninò anno 13. imperii ſui. Nam decimi quarti dies haud ampliùs novem attigit.

CAPUT VIII.

Demonſtratio Chronologica, *quâ* Gordianorum *tempora probantur*.

Vide lib. de Doct. Temp. cap. 24.

SUperiorum Principum epochæ pendent ex antecedentium temporibus, quæ ſigillatim adſtruximus; præſertim *Alexandri Mammææ* filii, cujus annus primus ex *Hippolyti Canone* ſtatuitur *Chriſti* 222. reliquos Hiſtoricorum conſenſus affirmat. Imperavit enim annos ſolidos 13. ac 14. inchoavit, ut ex *Herodiano*, *Eutropio*, aliiſque conſtat. Proinde ab anno *Chriſti* 222. cœpti anno 235. terminantur.

Gordianorum duorum tempus. *Error Capitolini.*

De *Gordianis* duobus, qui in *Africa* contra *Maximinum* imperium & arma ſumpſerunt, non parva quæſtio eſt. Sunt enim aliqui, qui haud amplius uno menſe ac paucis diebus imperâſſe ſentiant; quod *Onuphrio* placuit. *Capitolinus* autem annum imputat cum menſibus ſex. In quo ſibi ipſe contradicit. Etenim in *Maximinis* ait, 6. Calendas *Junias* literas *Gordiani* ſenioris ex *Africa* miſſas à *Silano* Conſule in Senatu recitatas eſſe, quibus ſe ad imperium vocatum eſſe ſignificabat. Idem in *Maximo* & *Balbino* refert, 7. Calendas *Junias* in Senatu de nece *Gordianorum* ac *Maximini* adventu mentionem eſſe factam. Quæ, ſi vera *Onuphrii* eſſet opinio, mendoſè ſcripta ſint oportet. Non enim eodem anno accidere iſta potuerunt. Itaque nos in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 24. emendanda putavimus, quòd tùm communis illa, & *Onuphriana* ratio placebat. In *libro* verò 13. qui *Chronicon* continet, annum 1. ac dies aliquot *Gordianis* attribuimus, non menſes ſex. Ita anno ſecundo *Maximini* ineunte, menſeque *Majo* anni *Chriſti* 236. *Gordiani* Imperatores creati; ſequenti anno 237. eodem circiter men-

ſe

ſe interempti ſunt. Id nobis probabilius quoquo modo videtur.

Maximus & *Balbinus* à Senatu contra *Maximum Gordianis* ſubſtituti ſunt; iiſque *Gordianus* junior primùm *Cæſaris* titulo, paulò pòſt etiam *Auguſti* & Imperatoris adjunctus eſt. In quo falſus eſt *Herodianus*, qui *Gordianum* puerum poſt amborum cædem ex *Cæſare Auguſtum* eſſe factum aſſerit. Sed in Actis ipſis Senatus, quæ idem *Capitolinus* recitat, *Maximo* & *Balbino* Imperatoribus Imperator & *Auguſtus Gordianus* accenſetur, ut in eodem *capite lib.* 11. *de Doct. Temp.* oſtendimus.

Maximus & Balbinus.

Error Herodiani.

Ad hæc *Eutropius lib.* 9. *Poſtea*, inquit, *tres ſimul Auguſti fuerunt, Pupienus, Balbinus, & Gordianus*. Quocirca vel anno *Chriſti* 237. quo *Maximus* & *Balbinus* auſpicati ſunt, vel 238. quo ſunt interfecti, *Gordianus* junior iis aggregatus eſt *Auguſtus*. Scribit *Capitolinus* in omen non diu imperaturi *Gordiani* tractam eſſe Solis eclipſin, quæ tum horrenda contigit. Duas nos reperimus; alteram anno 237. *Aprilis* 12. alteram anno 238. *Aprilis* 2. ſed hanc minorem, illam verò majorem. Itaque prior ad hiſtoriam *Capitolini* magis convenit: ut vel hoc argumento eſſe poſſit, jam tùm anno 237. *Auguſtum* & Imperatorem fuiſſe *Gordianum*, quem in annum Solis defectio iſta ciciderit. Quanquam anni *Gordiani* ab eo, qui eſt *Chriſti* 238. procedere incipiunt, poſtquam, collegis ſublatis, ſolus imperare perſeveravit.

Eodem ipſo anno *Chriſti* 238. ac *Gordiani* ſolius primo, *Cenſorinus* libellum ſuum *de natali die* commentabatur; cujus in *capite* 21. illum ipſum annum inſignibus notatum titulis temporum reliquit, quo *Vlpius* & *Pontianus* Conſules fuerunt. Hunc enim annum ab Olympiade prima milleſimum quartum decimum numerat ex diebus æſtivis, à *Roma* condita 991. *Julianum* 283. *Nabonaſſari* 986.

Cenſorini tempus.

quæ omnia in eumdem conſpirant limitem anni illius, quem poſui. Siquidem primus annus Olympiadicus cœpit anno mundi 3208. ante æram *Chriſtianam* 776. Adde annos 1014. ad 3207. mundi confectos, exiſtet annus mundi 4221. de quo ablatis 3983. annis, qui ab orbe condito ad natalem *Chriſti* communem evoluti ſunt, ſupereſt annus *Chriſti* 238. ut ratio poſtulat. Sic *Roma* conditus à nobis poſitus eſt anno mundi 3231. Adde 991. ad 3230. fiet annus ab orbis initio 4221. & *Chriſti* 238. *Julianus* itidem annus primus quadrageſimus quintus fuit ante natalem *Chriſti* vulgarem. Itaque detractis annis 45. de 283. ſuperſunt à *Chriſtiana* epocha anni 238. Non minùs hoc *Nabonaſſareorum* annorum calculus efficiet; ſed ea ſervanda, quæ de horum annorum methodo *libro* primo hujus *Partis* præſcripſimus.

Hæc ſunt firmamenta temporum, quibus Chronologia debet inniti. Addit Auctor idem, abhinc annos centum *Antoninum Pium* 2. & *Bruttium Præſentem* Conſules fuiſſe. Atqui Conſulatus horum incurrit in annum *Chriſti* 139. ab eoque centeſimus eſt annus *Chriſti* 238. Quare firma eſt temporum putatio, quam ex *Faſtis Romanis* conſtruximus, rectèque à nobis Imperatorum *Romanorum* intervalla definita ſunt: præſertim cùm cœleſtium obſervationum, quas ſuprà retulimus, ad *Cenſorini* auctoritatem conſenſus accedat.

De annis *Philipporum*, ac cæterorum deinceps Imperatorum, vide omnino *cap.* 26. *lib.* 11. *de Doct. Temporum.* Nolo enim in tricis iſtis hærere diutiùs.

CAPUT IX.

Chronologica temporum ratio, quâ Probi *Imperatoris anni*, Diocletiani, *&* Maximiani *exordia colliguntur.*

DE *Probi* Imperatoris tempore invicem Auctores diſſentiunt. *Vopiſcus* dat annos 5. *Eutropius* annos 6. menſes 4. *Victor Schotti* cis annum ſextum periiſſe ſcribit. *Euſebii Chronicon* & *Caſſiodorus Eutropium* ſequuntur. Sed & *Julianus* in *Cæſaribus Probo* 7. aſſignat annos. Sanè temporum illorum valde incerti ſunt diſcordeſque Faſti. Qua ex diſſenſione corrigendi ſui erroris anſam Chronologi quidam acceperunt: qui cùm biennio hactenus, unove deerraſſent anno, & in *Chriſtianæ* æræ putandis annis alterutro ſpatio tardiorem calculum inſtituiſſent, verſuram facere coacti ſunt in *Probi* Imperatoris tempore, de quo annum unum alterumve detraxerunt. Nam cùm fixa ſit *Diocletiani* Imperatoris epocha in eo, qui numeratur annus *Chriſti* 284. quique proximè Conſulatum *Diocletiani* 2. & *Ariſtobuli* præcedit, ac notatur Coſſ. *Carino* 2. & *Numeriano* in *Faſtis Caſſiodori* & *Idatii*, totidem Conſulem paria digeri neceſſe eſt à Coſſ. *Cajo Cæſare* & *Æmilio Paulo*, hoc eſt anno 1. æræ *Chriſti*, ad *Diocletianum* & *Ariſtobulum*, qui eſt ejuſdem æræ 285. Conſulatus, inquam, ſunt abſoluti 284. Atqui *Chriſtianam* æram exorſi ſunt aliqui ab Conſulatu *Auguſti* 13. & *Sylvani*, qui biennio vulgarem antecedit epocham; alii à ſequentibus Coſſ. *Lentulo* & *Piſone*, ut *Onuphrius*. Utroſque igitur à primo anno *Chriſti* duobus unove plures Conſulatus neceſſe eſt ponere; quod ad *Probum* uſque fecerunt. Ubi detractis totidem, quot ſuperfluos habebant, rediére deinceps in viam.

Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 27.

Quare *Probo* alii 5. alii 6. haud integros aſſignant: nos ſeptimum inchoâſſe pertendimus. Sed ea quæſtio diligentiùs à nobis eſt pertractata in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 27.

Diocletiani initium

Nunc de *Diocletiani* agamus initio, quod inſigne eſt, ac præcipuam à Chronologo curam exigit. Nos in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 30. certiſſimè, quantum in hac re conſequi licet, oſtendimus, anno *Chriſti* 284. poſt *Cari* & *Numeriani* obitum, ab exercitu *Diocletianum* ad imperium eſſe provectum. Sed cum *Carinus* adhuc ſuperſtes eſſet, atque Occidentales provincias obtineret, in his, anno demùm 285. occiſo *Carino*, *Diocletiani* nomen receptum.

Quòd igitur ab anno *Chriſti* 284. imperare *Diocletianus* cœperit, ex eo conficitur. Conſulatus *Diocletiani* 2. & *Ariſtobuli* eſt ſeptuageſimus nonus ante Conſulatum *Juliani* 4. & *Salluſtii*, quod docent *Faſti* omnes antiqui, ut *Idatii*, & *Caſſiodori*, & quos *Onuphrius* ac *Baronius* adhibuerunt: idemque quinquageſimus eſt ante Conſulatum *Optati* & *Paulini*. Atqui *Juliani* 4. & *Salluſtii* Conſulatus incurrit in annum *Chriſti* 363. quo, mortuo *Juliano*, *Jovianus* imperare cœpit; ut & (*a*) Faſti Conſulares, & (*b*) *Ammianus*, aliique omnes Hiſtorici tradunt, diſcrepante nullo. *Optatus* verò & *Paulinus* Conſules fuerunt anno 334. quod præterea demonſtrat ſolaris illa defectio, quam his Conſulibus ſub meridiem accidiſſe teſtatur *Firmicus lib.* 1. *cap.* 2. quam nos deprehendimus *Julii* 17. horâ circiter meridianâ in horizonte *Romano*. Si igitur de annis 363. ſubducas annos 79. vel de 334. annos 50. utrobique reſidebunt anni 284. Quare ſequens annus, qui numeratur à *Chriſto* 285. Conſules habuit *Diocletianum* 2. & *Ariſtobulum*. At verò ante Calendas anni hujus Imperatorem jam fuiſſe *Diocletianum*, ex *Ammiano* colligitur: qui *Julianum* ait *Auguſtum*

Diocletianus Imperator ex anno 284.

a Faſti Caſſiod. Siculi. Idatii.
b Amm. 23.

Auguſtum cum *Salluſtio* homine privato Conſulatum iniiſſe; *quod poſt Diocletianum & Ariſtobulum nullus meminerat geſtum.* Ergo Imperator tum erat *Diocletianus*, & *Auguſtus*, quando cum *Ariſtobulo* magiſtratum iniit. Hoc verò anno 285. factum eſt, ut oſtendimus. Quare ex anno 284. imperare cœpit. Id ipſum vetus quoque apud *Gruterum* (*a*) Inſcriptio declarat, quæ cum *Diocletiano* 2. Conſule Tribunitiam poteſtatem 2. copulat. Proinde Tribunitiam poteſtatem primò eſt indeptus ante Conſulatum ſecundum: qui cum poteſtate primum quoque Conſulatum accepiſſe videtur, affecto jam anno, cùm *Numerianus* Conſul eſſet occiſus. Hæc ἀποδεικτικῶς, quod ſtudemus, efficiunt, anno 284. *Diocletianum* Imperatorem fuiſſe. Quòd verò illis ipſis Coſſ. *Diocletiano* 2. & *Ariſtobulo* refert *Idatius* levatum eſſe *Diocletianum*, id ita par eſt intelligi, ut occiſo tum *Carino* ſolus ac ſine rivali dominari cœperit, & in Occidente, ibique, ubi *Carinus* hactenus imperârat, ſit appellatus *Auguſtus.* Vide *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 30. *Chronicon Alexandrinum* egregiè quod docuimus affirmat. Ait enim *Diocletianum Carino* 2. & *Numeriano* Coſſ. (is eſt annus *Chriſti* 284) ante diem 15. Calend. *Octobris Chalcedone* renunciatum eſſe Imperatorem, & 5. Calend. *Octobris* cum purpura ingreſſum eſſe *Nicomediam*; ac demum Calendis *Januariis* ſequentibus Conſulem proceſſiſſe cum *Ariſtobulo* collega; qui locus eximius eſt. Nam ex eo diſcimus, falsò hactenus perſuaſum fuiſſe Chronologis, *Diocletianum Palilibus* ipſis, ſive 11. Calendas *Majas* imperium accepiſſe; quod longè poſt hoc tempus evenit. Quod autem ex *Mamertini Panegyrico* de *Palilibus* colligi *Onuphrius*, *Scaliger*, ac reliqui ferè omnes exiſtimârunt, fugit illos ratio. Nihil enim ejuſmodi illius verba ſignificant, ut *capite*

a Inſcript. pag. 285.

Diocletianus non à Palilibus initi, ſed Septembri menſe.

a Epiſt. ad Epiſc. Æmil. iſto 30. probavimus. (*a*) Quin etiam *Ambroſius* annum *Chriſti* 377. quo Luna 14. in quintum Eidus *Aprilis* incurrit, quæ dies erat Dominica, Paſcha verò celebratum eſt 16. Calend. *Maji*, numerat tertium & nonageſimum à die imperii *Diocletiani*. Detractis 93. de 377. reſidui ſunt 284. Hoc igitur anno *Diocletianus* iniit. Quippe initium annorum *Diocletiani* ab *Auguſti* 29. die capitur, ex *Alexandrinorum* inſtituto, adeòque ante Paſcha: ſic ut anni 93. principium cadat in *Chriſti* 376.

b Vide Append. Operis de Doct. Temp. pag. 874 (*b*) *Dionyſius* etiam *Exiguus Epiſt.* 1. ſcribit *Cyrillum* primum cyclum ſuum exorſum eſſe ab anno 153. *Diocletiani*, & ultimum in 247. terminaſſe. *Nos à* 248. *anno ejuſdem*, ait, *Tyranni potiùs, quàm Principis inchoantes, noluimus circulis noſtris memoriam impii & perſecutoris innectere.* Annus primus cycli S. *Cyrilli* cœpit à 29. die *Auguſti* anni *Chriſti* 436. anni verò ultimi Paſcha convenit in annum *Chriſti* 531. quo putabatur 247. annus *Diocletiani*, & 248. inchoatus eſt ab *Auguſto* menſe. Proinde ſi de annis 531. ſubducas 248. relinquentur anni 283. ut ſequenti anno *Chriſti* 284. *Diocletiani* primus exordium habuerit. Non ſunt igitur audiendi, qui *Diocletiani* exordium in anno *Chriſti* ſtatuunt 286. vel 287.

Maximiani exordium. De *Maximiano Herculio Diocletiani* collega haud levis eſt dubitatio. Nam plerique Coſſ. *Maximo* 2. & *Aquilino Maximianum* Imperatorem eſſe factum aſſerunt, ut *Idatius*, qui & Calend. *Aprilis* diem deſignat. Hic eſt annus *Chriſti* 286. *Caſſiodorus Baſſo* & *Quintiano* Coſſ. anno 289. Nos anno 285. *Diocletiano* 2. & *Ariſtobulo* Coſſ. *Cæſarem* eſſe ab *Diocletiano* creatum arbitramur: eodem verò, vel ſequenti, *Maximo* & *Aquilino* Coſſ. *Auguſtum*, & Imperatorem; quod ita demonſtramus. *Panegyricus Maximiano* & *Conſtantino Auguſtis* ab incerto Auctore dictus viginti annis *Maximianum* ait

ait Imperatorem fuiſſe. *Aurelius* autem *Victor* à *Schotto* editus *Diocletianum* refert *viceſimo anno regni curam abjeciſſe Reipublicæ, & in ſententiam Herculium ægrè traduxiſſe, cui anno minùs potentia fuerit.* Ergo 19. annis ſolidis regnavit. Rurſus Inſcriptiones veteres apud *Gruterum pag.* 280. teſtantur, *Diocletianum* Coſ. 2. fuiſſe cum *Maximiano Auguſto.* Ergo ſaltem anno 286. *Auguſtus* eſſe cœpit. Nam anno 287. *Diocletianus* Conſul tertiùm fuit; anno verò 285. Conſul ſecundùm. *Eutropius Maximianum* ſcribit priùs *Cæſarem* fuiſſe, poſtea *Auguſtum* ex *Cæſare.* Igitur anno 285. id eſt altero poſt initium *Diocletiani*, primùm *Cæſar* eſt creatus, deinde *Auguſtus*, vel eodem anno, ut Inſcriptio illa perſuadet, vel ſequenti, ut *Idatius* ſignificat. Id enim ambiguum eſt; de quo vide *cap.* 30. *lib.* 11. *de Doct. Temp.* Annus, quo purpuram ambo depoſuerunt, eſt *Chriſti* 304. qui *Diocletiano* 9. & *Maximiano* 8. Coſſ. notatur, ut refert *Idatius*, & *Alexandrinum Chronicon*; de quo mox agetur. Hâc ratione 20. annos ſolidos *Diocletianus*, uno minùs *Maximianus*, Rempublicam adminiſtrârunt.

Maximiani initium

CAPUT. X.

De initio perſecutionis Diocletianeæ, *& anno depoſiti ab ambobus imperii: quod utrumque firmiſſimis argumentis adſtruitur.*

EUſebius in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* & in *Chronico* teſtatur, anno imperii 19. *Diocletianum* contra *Chriſtianos* horribilem perſecutionem excitâſſe; cujus initium edicto illo fecit, quo Eccleſias dirui, & libros ſacros tradi juſſit, & exuri, menſe *Martio*, cùm Paſſionis feſtum appeteret. Ita (*a*) *Euſebius.* Subjicit Martyrum hiſtoriam, qui tum primùm pro fide certârunt, & in nonnullis etiam dierum characteres adſcri-

Vide lib. 12 de Doct. Temp. cap. 32. & 33.

a Euſeb. Hiſt. lib. 8 cap. 13.

adſcribit, ſed plerumque mendoſos ac minimè cohærentes. Et apparet, hanc octavi libri laciniam, vel aſſutam aliunde, vel additis & immutatis ab recentiore manu quibuſdam, interpolatam fuiſſe.

Duo ſunt anni, qui perſecutionis exordio probabiliter adſcribi queant, nimirum 302. & 303. Nam priore cœptus eſt *Diocletiani* 19. annus circa autumnum, ut ſuprà demonſtravimus; poſteriore deſiit 19. & inchoatus eſt 20. Verùm potiùs anno 302. perſecutionem cœpiſſe nobis iſta perſuadent. Conciliabulum *Cirthenſe* à *Donatiſtis* coactum eſt, præſidente *Secundo Tigiſitano* Epiſcopo, poſt annum, quàm commota perſecutio eſt, (*a*) ut ſcribit *Auguſtinus*. At idem celebratum eſt 4. Nonas *Martii*, *Diocletiano* octies, & *Maximiano* ſepties Coſſ. ut Acta illius fidem faciunt, quæ idem refert (*b*) *Auguſtinus*. Conſules iſti cadunt in annum *Chriſti* 303. Ergo annus antecedens perſecutionis initium dedit. Contra hoc opponi poſſet, *Auguſtinum* in *Breviculo* ſcribere, Conciliabulum iſtud *Cirthenſe* coactum eſſe anno proximè ſequenti ab eo, quo Coſſ. fuere *Diocletianus* 9. *Maximianus* 8. *Nam geſta Martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis, Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarias; geſta autem epiſcopalia decreti Cirthenſis poſt eorumdem Conſulatum, tertio Nonas Martias; ac per hoc tredecim menſes intereſſe inveniuntur, plures utique quàm undecim, quos priùs Catholici minùs diligenter computando reſponderant.* Hic locus inſignis eſt, & à nobis illuſtrandus. Nam ex eo perſecutionis exordium inveſtigare poſſumus. Cùm igitur in *Collatione* cum *Donatiſtis Catholici* ex Concilio *Cirthenſi* ab illorum majoribus habito eos revincerent, hi adverſus Concilium iſtud & ejus Acta falſum exceperunt, aſſerentes perſecutionis tempore non potuiſſe Concilium congregari. Contrà, *Catholici*

a Auguſt. in Brevic. Collat. diei 3. cap. 17.

b Auguſt. 3. contr. Gaud. c. 27.

Explicatur Auguſtini locus.

Catholici dicebant, poſt paſſionem illorum Martyrum, unde perſecutionis tempus probabatur, propè annum conſecutum fuiſſe uſque ad Conſulem & diem Concilii *Cirthenſis*: at Officiales menſem interfuiſſe dixerunt. Nempe quòd Martyrum geſta pridie Idus *Februarias*, Concilii verò *Cirthenſis* Acta tertio Nonas *Martias* erant inſcripta, annis utique diverſis. Sed Officiales menſtrui ſolius intervalli rationem duxere per imprudentiam. Quare ſequitur apud *Auguſtinum*: *Sed illud verius erat, quod Catholici dixerant. Nam geſta Martyrum Conſulibus facta ſunt Diocletiano novies, & Maximiano octies, pridie Idus Februarias: geſta autem epiſcopalia decreti Cirthenſis poſt eorumdem Conſulatum, tertio Nonas Martias; ac per hoc tredecim menſes intereſſe inveniuntur.* Hæc *Auguſtinus* in *Breviculo*.

In *Diocletiani* perſecutione non uno anno paſſi ſunt Martyres in *Africa*; ac primi quidem ſub illius initium: poſteriores anno ſequente; amborum geſta ſunt confecta, & Conſulibus notata. *Diocletiano* 9. & *Maximiano* 8. Coſſ. pridie Idus *Februarias* paſſi erant aliqui, ſecundo perſecutionis anno labente. Cùm ergo conſtaret, anno poſt inchoatam perſecutionem *Cirthenſe* Concilium peractum fuiſſe, Officiales ex Actis Martyrum, qui primi occurrerant, eos fortè recitaſſent, adeoque in anni ſecundi Martyres incidiſſent, anno ſequenti, quo perſecutionis, ſecundo deſito, tertius incepit annus, *Cirthenſe* Concilium attribuit *Auguſtinus*, cujus geſta 3. Nonas *Martias* notata erant. Quare Officiales quidem illo ipſo anno, quo Coſſ. fuere *Diocletianus* 9. *Maimianus* 8. utrumque contigiſſe putârunt, Martyrum illorum paſſionem; & *Cirthenſe* Concilium. *Auguſtinus* verò Concilium anno ſequente, qui fuit *Chriſti* 305. Nam Conſulatus iſte *Diocletiani* 9.

annum

annum occupat 304. Verùm Acta ipſa *Cirthenſis* Synodi, quæ totidem verbis exſcribit in *lib.* 3. *contra Creſcon. cap.* 27. *Cirthenſe* Concilium Coſſ. *Diocletiano* octies & *Maximiano* ſepties aſſignant, quarto Nonas *Martii.* Is eſt annus *Chriſti* 303. quo Epiſcopi *Donatiſtæ* convenerunt quarto Nonas *Martii*; geſta autem epiſcopalia confecta ſunt poſtridie, tertio Nonas. Ex quo neceſſariò ſequitur, perſecutionis exordium anno antecedente, *Chriſti* 302. accidiſſe, Coſſ. *Conſtantio Chloro Cæſare* 4. & *Maximiano Armentario Cæſare* 4. Etenim perſecutionis claſſicum Imperatorum edictacecinere ſub Paſchatis ſolemne, hoc eſt exeunte *Martio*, vel *Aprili* ineunte; at *Cirthenſe* Concilium *Martio* ineunte cogitur, utique jam inflammatâ perſecutione. Igitur antecedente anno cœpta perſecutio eſt. Hæc pro certiſſimis habenda ſunt. Pluris enim geſta ipſa Concilii *Cirthenſis* Conſulumque notam iis appoſitam facimus, quàm quod per hallucinationem Officiales reſponderunt. Ergo anno *Chriſti* 302. *Diocletiani* 18. exeunte, vel 19. ineunte, ſi à Paſchali menſe, ut *Chriſtianis* mos erat, annos illius auſpicemur, circa Paſſionis Dominicæ tempus perſecutionis edicta publicata ſunt. *Euſebius* in calce *libri* 7. annum illum 305. numerat à natali *Chriſti*; quod idem legitur in *Actis SS. Metrophanis & Alexandri* apud (*a*) *Photium*. Sed ſi de æra vulgari ſermo ſit, eum conſtat eſſe 302. quem *Euſebius* auxit triennio, quòd antecedentium annos Imperatorum, qui nonnunquam invicem permiſti ſunt, diſtraxit, atque integros explicavit.

a Photius Cod. 256.

Idem porrò de die ac menſe ſibi non conſtat. *Lib.* 8. *cap.* 2. edicta primùm propoſita ſcribit anno 19. *Diocletiani*, menſe *Dyſtro*, qui eſt *Romanus Martius*, τῆς τȣ̃ σωτηρίȣ πάθȣς ἑορτῆς ἐισελαυνȣ́σης, *appetente feſto ſalutifera*

tifera

tiferæ paſſionis : (*a*) at in *Appendice libri* eiuſdem anno eodem 19. *Diocletiani*, menſe *Xanthico*, qui eſt *Aprilis*, τῆς τȣ̃ σωτηρίȣ πάθȣς ἑορτῆς ἐπιλαμϐανȣ́σης, *ſubeunte feſto ſalutiferæ paſſionis*, idem, quod prius ſcripſerat, contigiſſe dicit. Utrumque verum eſſe poteſt, ut & *Martio* deſinente primum edictum promulgaverit, & *Aprili* ineunte poſterius & abſolutius. *Alexandrinum Chronicon* diem adjicit *Martii* 25. ἐν ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ Πάσχα, *ipſo Paſchatis feſto* : quod falſum eſt. Nam Paſcha non poteſt in illum cadere diem, niſi litera Dominicalis ſit G. Hoc verò contigit anno 305. Cyclo Lunæ 2. quartâ decimâ Paſchalis *Nicænâ Martii* 25. ac *Diocletiani* tempore fortaſſe *Martii* 26. & ut *Nicænam* tunc obtinuerint, Paſcha non potuit conferri in 25. *Martii*, niſi in termino celebraretur. Denique *Diocletianus* anno illo Imperator eſſe deſierat. Itaque non congruit tempus in iſto *Chronico* deſignatum.

(*b*) *Euſebius* ait *Diocletianum* & *Maximianum* ab inchoata perſecutione duos annos haud integros in imperio permanſiſſe, οὐδ᾽ ὅλοις δυοῖν ἔτεσιν ἐπιγενόμενοι τῷ διωγμῷ, μεθίσανται τῆς βασιλείας. Purpuram exuerunt eo anno, quo Coſſ. erant *Diocletianus* 9. *Maximianus* 8. Calendis *Aprilis*, ut ſcribit *Idatius*. Quare ita componenda res videtur. Anno 302. Paſcha celebratum eſt, ut dixi, *Aprilis* 5. Feſtum Paſſionis, id eſt Paraſceve ſancta, *Aprilis* 3. quo die edicta publicata ſunt. Biennio nondum plenè vertente, ac biduo ante ſecundi anni terminum, Calendis *Aprilis* ambo Imperatores privatam ad vitam redierunt. *Chronicon Alexandrinum* Coſſ. *Diocletiano* 8. & *Maximiano* 7. commotam eſſe procellam perſecutionis affirmat, & ſequenti *Diocletiano* 9. & *Maximiano* 8. Coſſ. imperio ceſſiſſe. Hoc modo vix

a F. 91. pag. 2. Rob. Steph.

b Euſeb. lib. 8. cap. 13. & in Append. lib. 8. f. 91. p. 2 Rob. Steph.

vix anno integro poſt initium illius imperâſſent. Siquidem anno 303. *Aprilis* 18. Paſcha contigit, aut *Aprilis* 25. ſi neomenia uno die tardiùs collocata ſit; Imperatores verò Calendis *Aprilis* in ordinem redacti ſunt.

Jam verò anno illo, quo Coſſ. erant *Diocletianus* 9. *Maximianus* 8. utrumque imperium abdicâſſe, *Faſti* omnes conſentiunt, *Idatii*, *Caſſiodori*, *Siculi*, *Zoſimus lib.* 2. qui etiam addit à Conſulatu *Chilonis* & *Libonis*, quo *Severus* ludos ſæculares edidit, ad *Diocletianum* 9. & *Maximianum* 8. Coſſ. annos putari 101. Atqui *Severus* ludos illos celebravit anno Urbis conditæ 957. ut teſtis eſt (*a*) *Cenſorinus*, qui & eoſdem Conſules illo anno fuiſſe ſcribit; qui annus Tribunitiæ poteſtatis duodecimus *Severo* fuit, ut vetus Inſcriptio teſtatur apud *Onuphrium*. Annus Urbis 957. eſt æræ *Chriſtianæ* 204. Per. *Jul.* 4917. à quo centeſimus primus annus eſt *Chriſti* 304. *Idatius* porrò Coſſ. iſtos adſcribit æræ *Hiſpanicæ* 342. de qua detractis anni ex methodo annis 38. reſidui ſunt anni *Chriſti* 304.

a Cenſorin. cap. 17. pag. 35.

Aurelius Victor à *Schotto* vulgatus refert, *Diocletianum* anno imperii viceſimo ſe abdicaſſe; quem ſecundum perſecutionis annum numerat *Euſebius* in *Chronico*. Auctor verò *Panegyrici Maximiano* & *Conſtantino* dicti, *Maximianum* imperii viceſimo, octavum jam Conſulem, poſuiſſe purpuram ſignificat. Annus primus *Diocletiani* cœpit anno *Chriſti* 284. ut ſuperiùs oſtenſum eſt. Ergo annus viceſimus iniit anno 303. *Maximianus* verò *Cæſar* eſt factus anno 285. Proinde viceſimus illius inchoatus eſt anno 304. Vide quæ ſuprà de initio utriuſque diſſeruimus.

Refellitur quorumdam opinio de anno I. perſecutionis Diocletiani.

Ex his intelligi poteſt, quantum aberrent eruditi quidam viri, qui annum primum *Diocletianeæ* perſecutionis, quo edictum de Eccleſiis

Eccleſiis ſubvertendis propoſitum eſt, applicant ad annum *Chriſti* 305. quo *Diocletianum* 8. *Maximianum* 7. Coſſ. fuiſſe volunt; anno verò 306. *Diocletianum* 9. *Maximianum* 8. quo iidem purpuram exuerunt. In quo ſua ipſos refellit ratio. Siquidem *Zoſimi* teſtimonium approbant *libro* 2. narrantis *à Conſulatu Chilonis & Libonis, per quem Severus ſaculares ludos exhibuit, uſque ad Conſules Diocletianum* 9. *Maximianum* 8. *annum fluxiſſe unum ſupra centenos; ac tunc Diocletianus privatus ex Imperatore factus eſt. Cùm autem Conſtantinus & Licinius tertiùm ambo Conſules forent, centum ac decem annorum vertebat ſpatium; quo legitimos ſaculares ludos fieri oportebat.* Subjicit, *Diocletianum poſt tres inde annos exceſſiſſe.*

Hæc *Zoſimus. Chilonis* & *Libonis* Conſulatus in annum *Chriſti* 204. neceſſariò competit, ut proximè antè collegimus; à quo anno centeſimus primus eſt 304. at verò 306. eſt centeſimus tertius. Sic *Conſtantinus* & *Licinius* 3. Conſules fuerunt anno *Chriſti* 313. qui eſt centeſimus decimus ab anno 204. Quare Conſulatus 9. *Diocletiani*, & *Maximiani* 8. erit *Chriſti* 304. ex *Zoſimi* ſententia: aut ſaltem 305. ſi annos 101. excluſo *Chriſti* 204. computet. Non poteſt verò 306. numerari. Præterea *Diocletianus* anno 304. viceſimum annum abſolvebat imperii, eodemque imperium abdicavit; perſecutio verò cœpta eſt anno ejus 19. Atque hoc demonſtrant illa, quæ ſuper ejus exordio *capite ſuperiori* diximus; ubi ex anno *Chriſti* 284. iniiſſe *Diocletianum* oſtendimus, maximè *Ammiani* auctoritate freti, *Faſtorum*que *Conſularium*, quibus cœleſtes obſervationes fidem conciliant.

At enim (*a*) *Euſebius* anno 305. *Chriſti* perſecutionem cœpiſſe aſſerit, cum eoque nonnulli. Primùm animadvertendum erat, eum annum, qui 305. à natali *Chriſti* putatur ab

a Lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. in fine.

 Euſebio,

Euſebio, non eſſe communis æræ 305. Hic enim vulgarem *Chriſti* ortum antevertit, in *Chronico* quidem anno ſolido; ſic ut annus 303. æræ communis incidat in eum annum *Julianum*, qui trecenteſimus quintus eſt ab eo, quo *Chriſtum* natum poſuit. In eo porrò *libri Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeptimi* loco unum emetiri annum potuit, ut eum qui communis eſt æræ 302. ab ortu *Chriſti* numeraret 305. Neque verò ex Hiſtoria Martyrum, quæ in 8. *libri Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* fine legitur, explorati quippiam ac certi illius ad conjecturæ patrocinium efficitur. Quippe mendoſa illic omnia ferè ſunt, & ſi quæ ſunt anni primi perſecutionis indices notæ, eæ non uni & eidem congruunt, ſed plures diverſoſque deſignant.

(*a*) Anno perſecutionis 3. *Apphianus* (*b*) menſis *Xanthici*, ſive *Aprilis* 2. feriâ 6. paſſus eſt. Igitur litera tum fuit Dominicalis C, proindeque annus *Chriſti* 303. vel 308. ut primus cœperit vel 301. vel 305. Utrumque verò falſiſſimum eſt, etiam ex illorum opinione, qui anno 305. ab die *Martii* 25. inchoatam eſſe perſecutionem exiſtimant: cùm *Aprilis* anni 308. hâc ratione quarti anni principium eſſe debuerit.

a Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 8. f. 93. p. 2. edit. Rob. Steph.
b Ibid. f. 94. p. 2

(*c*) Eâdem *Aprilis* 2. die, Dominicâ Paſchali, *Theodoſia* virgo pro *Chriſto* mortem obiit anno 5. perſecutionis. Convenit anno 310. Unde primus in annum cadet *Chriſti* 306. Reliqua, ne longior ſim, omitto, quæ ſunt abſurdiora temporis veſtigia.

c Ibid. f. 94. p. 2.

Illud movere quempiam poteſt, (*d*) quod *Euſebius* ait, perſecutionem octavo anno nonnihil relaxatam, decimo tandem anno quieviſſe penitùs. Atqui ſi in annum 302. *Chriſti* primus illius incurrit annus: decimus anno *Chriſti* congruet 311. quo ipſo nondum perſecutioni modus eſt adhibitus nec ante 313. id evenit, paulò (*e*) ante *Maximini* obitum. Sed ſciendum eſt, in perſecutionis annis enumerandis

d Hiſt. Eccleſ. lib. 8. f. 90. p. 2.
e Euſeb. lib. 8. Hiſt. Eccleſ cap. 17. & lib. 9. cap. 9.

merandis *Euſebium* illud intervallum minimè comprehendiſſe, (*a*) quod ab inſectatione *Chriſtianorum* vacuum interceſſit poſt annum illius octavum; quod ſpatium (*b*) ſex fuiſſe menſium ſignificat. Quocirca octavus annus perſecutionis finitus eſt anno *Chriſti* 310. quo ad tempus pace reſtitutâ, iterum anno ſequenti novis decretis à *Maximino* repetita eſt *Chriſtianorum* vexatio. Ita decimus annus in *Chriſti* 313. deſiit. Sanè probabiliter hæc dicuntur à nobis. Qui autem annum perſecutionis primum 303. eſſe *Chriſti* volunt, eoſdem neceſſe eſt decimum illius inchoare anno 314. ſublato jam è vivis ex anno ſuperiore *Maximino*: ante cujus exitum finem illi adhibitum ſcribit *Euſebius*.

a Euſeb. init. lib. 9.
b Lib. 9. cap. 2.

CAPUT XI.

Epilogiſmus temporum Conſtantii, & Conſtantini, *Chronologicâ ratione confectus.*

CONſtantius Chlorus obiit anno *Chriſti* 306. ut in *Faſtis* ſcribit *Idatius*, ipſo & *Armentario* 6. Coſſ. ærâ 344. Calendis *Auguſti*; quo die functum eſſe vitâ *Conſtantium* auctor (*c*) eſt *Socrates*. Id anno quarto perſecutionis eſſe factum *Euſebius* docet. Cœpta verò perſecutio eſt (ut oſtendimus) anno 302. Quare annus quartus expletus debet intelligi, ut in 306. cadat initium *Conſtantini*.

c Socrat. lib. 1. cap. 1. Euſebius in Chro.

Cæterùm nos in *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 35. meritò dubitavimus, an *Chriſti* anno 305. mortuus ſit *Conſtantius*, potiùs quàm ſequenti. Etenim *Euſebius lib. de Vita Conſtantini cap.* 53. *Conſtantinum* refert imperaſſe annos 32. paucis exceptis menſibus; hoc eſt, annos 31. menſes 10. ut ait *Theodorus Lector* in *Collectaneis*; at mortuus eſt anno *Chriſti* 337. die 11. Calend. *Junii*, ut mox dicetur. Proinde *Julio* exeunte illius anni triceſimus tertius inchoandus

De Conſtantii morte quæſitum.

dus erat. Deductis 33. de 337. reſtant 304. Ergo anno 305. mors *Conſtantii*, & initium *Conſtantini* contigit. Hæc firmiſſima ratio videtur. Nam *Conſtantini* annos ignorare non potuit intimus ejus *Euſebius*. Aſſentitur *Euſebio Victor* in *Epitom.* qui 10. 12. ac 10. hoc eſt 32. annos illius numerat, & diſertiùs idem à *Schotto* editus triceſimo ac ſecundo obiiſſe dicit. *Eutropius* 31. anno mortuum refert, nempe abſoluto. Præterea *Victor Schotti* annuum *Chloro* imperium attribuit, ex quo *Auguſtus* eſſe cœpit: quod anno 304. contigiſſe ſuprà demonſtravimus. Tum quartus ipſe perſecutionis annus, cujus paulò antè memini, id ipſum adſtruit. Nec abhorret *Socrates*, qui anno 1. Olympiadis 271. obiiſſe *Conſtantium* narrat 25. *Julii*. At hæc Olympias procedit à ſolſtitio anni 305. Quamobrem ſuſpicabamur, anno 305. poſt obitum patris, *Conſtantinum* militari ſuffragio *Cæſarem* eſſe renuntiatum, eumdemque anno ſequenti à *Maximiano* ſocero unà cum *Fauſta* conjuge *Auguſti* titulum impetraſſe. Nam *Cæſarem* aliquandiu antè, quàm *Auguſtus* à ſocero fieret, *Conſtantinum* fuiſſe, docet *Panegyricus Maxim. & Conſtant.* dictus. Porrò anno altero ab morte *Conſtantii Fauſtam* duxit. Hoc modo ab obitu *Conſtantii* annos 32. ab *Auguſtæ* dignitatis initio, uno minùs imperaverit. Hæc ut veriſimilia ſunt, ſic non temerè ab communi Chronologia diſceſſerim, quæ annum 306. *Conſtantii* morti præfinit; præſertim cùm eumdem annum *Faſti Idatii* deſignent.

Annus mortis Conſtantini.

Mors *Conſtantini* fixa eſt in anno *Chriſti* 337. *Feliciano* & *Titiano* Coſſ. ipſo die Pentecoſtes, ut notat (*a*) *Euſebius*, & 22. *Maij*, quod (*b*) *Socrates* prodidit, nec de eo controverſia eſt ulla. Ex quo refelluntur ii, qui *Conſtantinum* anno 307. iniiſſe volunt: ſiquidem 32. annos ferè in imperio tranſegit. Qui & validiùs ex

a Euſeb. lib. 4 de vita Conſtant. cap. 64.
b Socr. lib. 2. cap. 32.

Maxentij

Maxentii primordio ac nece confutantur. Hic enim, mox ut audiit *Conſtantinum* mortuo patri ſucceſſiſſe, ejuſque *Romam* imagines allatæ ſunt, imperium & ipſe ſumpſit, quod ſexennio toto tenuit, ſic ut ſexti anni poſtremo die in pugna ceciderit. Teſtatur hoc *Nazarius* in *Panegyrico Conſtantini*, ubi dominationem illius ſexennio toto definit: & alter *Panegyricus* eidem *Conſtantino* dictus, *Conſumpto*, inquit, *per deſidias ſexennio*, (ita leg. pro *ſenio*) *ipſum diem natalis ſui ultimâ ſuâ cæde ſignaret, ne ſeptenarium illum numerum ſacrum & religioſum vel incohoando violaret.* Pridie natalis ſui, hoc eſt ejus diei, quo imperare cœpit, annique ſeptimi, occiſum eſſe *Maxentium* ait. Anni porrò tempus indicat *Nazarius* hibernum, ac nondum ſatis aperto mari, quando caput illius in *Africam* miſſum eſt: *Et nondum ſatis tempeſtivo mari, affuerant tamen navigantibus felices auræ.* Jam certiſſimum eſt, annum hunc fuiſſe *Chriſti* 312. *Conſtantino* 2. & *Licinio* 2. Coſſ. ut eſt in *Idatii Faſtis*, ærâ 350. quod ex eo demonſtratur, quia ſequenti anno, ambobus illis tertiùm Coſſ. *Conſtantini* juſſu *Melchiades* de *Donatiſtarum* & *Cæciliani* cauſſa *Romæ* judicavit 6. Nonas *Octobres*, feriâ 6. ut ex *Actis Optatus* refert *lib.* 1. & *Auguſtinus Epiſt.* 68. cùm eodem anno, 17. Calend. *Maij*, libellus contra *Cæcilianum* à *Donatiſtis* directus eſſet *Conſtantino* Imperatori; quo accepto libello, cum literis *Anulini* Proconſulis *Romam* illos evocavit Imperator. Hæc anno 313. neceſſariò contigerunt. Ergo jam *Romam Conſtantinus* obtinebat, proindeque ſuperiore anno victus & occiſus eſt *Maxentius*; cujus ſi annus ſeptimus inchoandus fuit anno 312. primus ab anno 306. procedit. Quod autem de anno 305. ſuſpicati ſumus, id non aliâ ratione conciliari poteſt, niſi ut *Conſtantinum* anno ipſo 305. ſuperſtite patre, *Cæſaris* dignitate auctum eſſe dicamus, quamvis nondum

De Maxentii obitu.

imperaret. Solent autem nonnunquam eorum anni, qui *Cæſares* antè, quàm imperarent, fuerunt, ab ipſo *Cæſarei* nominis auſpicio progredi. Velut in *Chronico Euſebij* ſcriptum eſt, *Conſtantium Chlorum anno ſexto decimo imperii diem obiiſſe in Britannia Eboraci*: cùm imperarit *Auguſtâ* poteſtate non integrum biennium. Sunt & alia ejus rei apud Hiſtoricos exempla. Quo magis de *Conſtantino* licet uſurpare; etſi auctoritas Scriptorum expreſſa non eſt. Sed *Panegyricorum* loca, quæ adduximus ſuper *Maxentii* tempore, *Scaligeri* & aliorum Chronologorum licentiæ frænos injiciunt, qui anno 307. *Conſtantii* obitum & initium *Conſtantini* alligant, errore haud mediocri.

a Lib. 3. de Vita Conſtant.

Idem *Conſtantini* primordium ex *Nicæni* Concilii tempore confirmari poteſt. (*a*) *Euſebius* refert, poſt finem *Nicæni* Concilii, antequam Patres dimitteret, Vicennalia commodùm abſoluta; ob quæ ſplendido convivio Epiſcopos excepit, κατὰ τὸ αὐτὸ δὲ καὶ τῆς βασιλείας εἰκοσαετὴς ἐπληροῦτο χρόνος. Idem & (*b*) *Socrates* & (*c*) *Sozomenus* teſtantur. Atqui *Nicæna* Synodus anno *Chriſti* 325. *Paulino* & *Juliano* Coſſ. eſt habita, uti omnes conſentiunt. Is autem eſt annus *Chriſti* 325. Igitur anno 325. *Conſtantini* 20. ſaltem eſt inchoatus. Sanè *Euſebius* in *Chron.* ad annum Olympiadis 276. ſecundum in editione *Scaligeri*, tertium in *Pontacena*, ita ſcribit, *Vicennalia Conſtantini Nicomediæ facta, & ſequenti anno Romæ edita. Idatius* in *Faſtis* Vicennalia *Conſtantini Romæ* ait edita *Conſtantino* 7. & *Conſtantio Cæſare* Coſſ. æræ 364. Is eſt annus *Chriſti* 326. Ergo anno antecedenti 325. *Nicomediæ* celebrata ſunt. Si viceſimus *Conſtantini* cœpit anno 325. primus ſaltem anno 306. inchoatus eſt, non 307.

b Lib. 1. cap. 16.
c Lib. 1. cap. 25.

CAP.

CAP. XII.

De Nicæno *Concilio*, *ejuſque tempore*, *ac rebus in eo geſtis*; *tum de initio* Conſtantii, *& inſequentium annorum ad uſque* Chriſti 416. *ratione Chronologicâ.*

FUit iſta quorumdam opinio, partim *Nicænum* Concilium anno *Chriſti* 322. celebratum fuiſſe, partim ad annos propagatum, paulò plus tribus, aut ſex. Priorem, quæ anno ipſo 322. peractum aſſerit, *Paulus Foroſempronienſis* Epiſcopus amplexus eſt *Parte* 1. *libb.* 3. & 4. itidemque computi Scriptores aliqui, *Joannes Staflerus* in *Calendario Propoſ.* 34. & *Joannes Lucidus.* Quò illos induxiſſe videtur aurei numeri commoditas; ut ab eo anno, qui proximè Concilium illud ſecutus eſt, in quo & celebrandi diſciplina Paſchatis, & lunaris Cycli caſtigata ratio creditur, is ipſe lunaris Cyclus proceſſerit; quippe annus *Chriſti* 323. aureum numerum habuit 1. Hac methodi opportunitate in eam ſententiam illectos computi Magiſtros illos arbitror. Triennio ſexque menſibus Synodum hanc habitam referunt *Acta Metrophanis* & *Alexandri* apud *Photium Cod.* 256. *Scaliger* in *lib.* 5. *de Emendatione Temporum*, triennium circiter tenuiſſe *Nicænum* Concilium exiſtimat, ab anno 325. ad 327. *Gelaſius* apud *Photium Cod.* 88. annos ſex, ab decimo ſexto *Conſtantini* ad viceſimum ſextum.

Vide lib. 11. de Temp. cap. 41.

Sed iſtos omnes falſos eſſe conſtat; neque quidquam exploratius eſt, quàm eodem anno, qui Conſulibus notatur *Paulino* & *Juliano*, & inchoatam & abſolutam eſſe Synodum. De anno teſtatur *Socrates lib.* 1. *cap.* 13. cum fuiſſe dicens 636. ab regno *Alexandri Magni*, quæ eſt æra *Græcorum Seleucidarum* ab anno cœpta ante *Chriſtianam* æram 312. de qua *Seleucidarum* epocha diximus in *lib.* 3. *cap.* 3. tum eoſdem

Conſules adſcribit, quos retuli. Addit primum conſeſſum habitum *Maij* viceſimo die. *Euſebius* porrò *lib.* 3. *de Vita Conſtantini cap.* 21. & *lib.* 4. *cap.* 47. *Sozomenus lib.* 1. *cap.* ult. ſcribunt in eum annum, viceſimum *Conſtantini* annum incidiſſe, ac Vicennalia poſt abſolutam Synodum dediſſe iis Imperatorem. Eſt autem viceſimus annus *Conſtantini*, æræ *Chriſtianæ* 325.

In actis Synodi percenſendis mirus eſt Veterum conflictus. Nos hîc ea paucis exſequemur. (*a*) Convenere Epiſcopi numero 318. omnes ferè aut vitæ merito, aut doctrinâ, aut utroque celebres. Quorum illecti famâ Gentiles eodem venere Philoſophi, cum iiſque in certamen deſcenderunt. (*b*) Editâ fidei formulâ, ſeptemdecim initiò reclamarunt, *Arianâ* infecti labe. Mox autem Imperatoris minas veriti undecim ex illis ſubſcripſere, ut ait *Ruffinus*; qui ſex reliquos cum *Ario* relegatos aſſerit.

(*c*) *Hieronymus* octo ait *Arianos* Epiſcopos in *Nicæno* Concilio ſuſceptos, è quibus tres nominat, *Euſebium Nicomedienſem*, *Euſebium Cæſareenſem*, *Theogonium Nicænum*: tum *Saram Lybiæ* Presbyterum, *Arium* Presbyterum, *Euzoium* Diaconum, & *Achillam* Lectorem.

Socrates lib. 1. & *Sozomenus lib.* 1. *cap.* 21. quinque commemorant, qui inviti deinde τῷ ὁμοουσίῳ ſubſcripſerunt, quibus ſi *Euſebium Cæſareenſem* addas, ſex illos reliquos efficies. Addunt poſt receptam ſubſcriptamque formulam, cùm de *Arii* damnatione agi cœptum eſt, reſtitiſſe *Nicomedienſem Euſebium*, & *Theogonium Nicænum*. Ideo juſſu *Conſtantini* unà cum *Ario* deportatos, ac pro *Euſebio* ordinatum *Nicomediæ Amphionem*, pro altero *Chriſtum*. Quod poſterius teſtatur (*d*) *Athanaſius*. (*e*) *Theodoretus* duos omnino, ſubſcribentibus cæteris, aſſentiri noluiſſe, *Theonam* & *Secundum*. Sanè Epiſtola Synodica *Nicæni* Concilii

a Socrat. lib. 1. Sozom. lib. 1. Gelaſ. lib. 2.
b Ruff. lib. 1. cap 5. Gelaſ. lib. 2. cap. 7. & 24. 25.
c contra Lucif. pag. 612.
d Apolog. 1. pag. 566.
e Lib 1. pag. 265. Græc.

Concilii apud *Socratem* docet, *Arium* damnatum, cum eoque duos iſtos. Verùm *Hieronymus* tam Epiſcopos omnes, quàm *Arium* ipſum, Synodo plenè ſatisfeciſſe ſignificat, & ab ea eſſe ſuſceptos. Verùm perſuaſum id habuerunt Hiſtorici veteres, *Arium* cum quibuſdam Epiſcopis, è quibus fuit *Nicomedienſis Euſebius*, ex ipſa Synodo Imperatoris edicto relegatos fuiſſe. Sed *Conſtantini* ipſius Reſcriptum poſt annos aliquot ad *Nicomedienſes* datum, cujus fragmentum legitur apud *Theodoretum lib.* 1. *cap.* 19. *fol.* 290. edit. *Græcæ*, fidem facit, *Euſebium* aliquanto poſt *Nicænum* Concilium tempore depoſitum eſſe: cùm quidem ſub ipſum Concilium, pendente adhuc damnationis ſententiâ, infimis precibus veniam exoraſſet; cujus etiam *Sozomenus lib.* 2. *cap.* 21. *fol.* 29. meminit. Quocirca conciliari in hunc modum hiſtoria illa debet. Cum in *Nicæna* Synodo de *Ario* damnando actum eſſet à Patribus, ei primùm interceſſiſſe Epiſcopos ſex: tum cæteris metu conſentientibus, *Euſebium Nicomedienſem*, ac *Theogonium*, pertinaciùs in ſententia cum *Ario* perſtitiſſe, atque in eos propterea depoſitionis primùm ab Epiſcopis, tum ab Imperatore conſtitutam in illos exſilii pœnam. Sed eos omnes oblato ſupplici libello reconciliatos eſſe, ac pœnæ gratiam impetrâſſe. Demùm ambo illi Epiſcopi, cùm eorum ſimulatio ab *Conſtantino* detecta eſſet, ex priſtino illo decreto in ordinem redacti, in exſilium abierunt, è quo ſubinde revocati ſunt, & in priorem gradum reſtituti. Vide *Annales Baronii* ad Ann. 327. & 329.

Conſtantii Imperatoris tempus primùm Scriptorum auctoritate munitum eſt, qui ejus initium in Conſulatum referunt *Feliciani* & *Titiani*, quo mortuus eſt *Conſtantinus*, cùm Pentecoſte in *Maij* 22. incidiſſet; mortem verò in Coſſ. *Taurum* & *Florentinum* anno 361. tum cœleſti obſervatione nititur. Quippe *Conſtantii tempus ratione firmatur.*

anno eo, qui proximé mortem illius anteceſſit, quo ipſe *Conſtantius* decimùm, *Julianus Cæſar* tertiùm fuere Conſules, ſcribit *Ammianus lib.* 20. horrendam Solis defectionem ſub diluculum in Oriente conſpectam. Ea contigit anno 360. *Auguſti* 28. Proinde *Conſtantius* anno 361. obiit. Ad hæc *Hieronymus* in *Chron.* & *Theophanes* aſſerunt anno 10. *Conſtantii* Solem defeciſſe horâ diei tertiâ, *Junii* 9. fuit annus *Chriſti* 364. Ergo anno iſti decimus *Conſtantii* congruit; adeòque primus annus 337. Vide *lib.* 11. *de Doct. Temp. cap.* 43.

Vide l. 8. de Doct. Temp. pag. 840. Intervalli porrò illius, quod ab anno *Chriſti* 378. ad 408. interjectum eſt, ac ſuperiorum itidem annorum Chronologicum munimentum, præter Hiſtoricorum auctoritatem, cœleſtium quoque obſervationum fidem advocat. Suſpicatur *Scaliger lib.* 5. *de Emend. Temp.* Faſtos Conſulares circa illa tempora corruptos eſſe, atque inter Conſulatum *Auſonii*, qui in annum 379. incidit, & *Stiliconis* atque *Anthemii*, qui annum 405. obſidet, par unum deſiderari Conſulum; quod eſſe falſum in *lib.* 12. *de Doct. Temp. cap.* 46. demonſtravimus. Nunc idem triplici de cælo petito charactere ſic probamus. Non eſt dubium, quod *Ammianus* initio *libri* 20. prodidit, anno illo, qui *Conſtantii* præceſſit obitum, quo Coſſ. erant *Conſtantius* & *Julianus* 3. ſub ortum Solis, ingentem Solis eclipſin accidiſſe. Ea porrò convenit in annum *Chriſti* 360. *Auguſti* die 28. ut ex Aſtronomicis tabulis conſtat; quadriennio pòſt biſextilis annus fuit, quo, *Joviano* mortuo, *Valentinianus* rerum potitus eſt, eodem *Ammiano* teſtante *lib.* 25. fuit hic annus 364. Rurſus anno illo, quo Coſſ. fuere *Theodoſius* 3. & *Abundantius*, atque *Honorius* ſalutatus eſt *Auguſtus*, horâ diei tertiâ tenebræ factæ ſunt, Indictione 6. ut *Proſper* & *Marcellinus* in *Chronicis* referunt. Aſſignantur ii Conſules anno vulgaris æræ 393. quo Sol

Vide l. 11. de Doct. Temp. capp. 46. & 47.

obſcu-

obſcuratus eſt *Novembris* 20. Indict. 6. Rectè igitur iſti Conſules anno 393. attribuuntur. Demùm *Arcadio* 5. & *Honorio* 5. Coſſ. ſcribit *Idatius* in *Faſtis* defectionem Solis accidiſſe 3. Idus *Novembris*. Hoc nullo alio anno contigit, quàm qui vulgò *Chriſti* 402. putatur. Siquidem eo anno, atque illo ipſo die, Sol defecit circa horam 9. à nocte media. Quocirca ex anno 360. ad 393. & 402. plena ſunt Faſtorum Conſularium intervalla, quibus nec addi poteſt quicquam, nec detrahi. Nam eclipſes iſtæ velut limites ac termini ſunt, qui certis finibus ſpatia illa continent. Deinceps verò tria Conſulum paria totidem annis reſpondent; ac ſecundum, quo *Honorius* 6. & *Ariſtanetus* Conſulatum geſſerunt, non alium annum, quàm 404. obtinere poteſt: ut ex hiſtoria S. *Joannis Chryſoſtomi* poſtea conſtabit, qui hoc anno in exſilium abiit.

Mors *Arcadii Baſſo* & *Philippo* Coſſ. notatur ab *Zoſimo lib. 6.* & *Proſperi Chronico*, nec non *Socrate lib. 7. cap.* 1. & *lib. 6. cap.* 23. ubi ait, illum vixiſſe annos 31. imperâſſe poſt parentis mortem annos 14. & Calendis *Majis* obiiſſe.

Alaricus Urbem expugnavit anno 410. *Varane* Conſule, ut *Proſper*, *Caſſiodorus*, & *Marcellinus* adſtruunt. At *Idatius* in *Chron.* & *Iſidorus* ærâ 447. hoc eſt anno 409. id eveniſſe ſcribunt. Quibus non aſſentior. Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 47.

CAPUT XIII.

De S. Martini *&* Eudoxiæ Arcadii *conjugis obitu, deque Chronologicis quibuſdam notis, quibus* Marciani *Imperatoris & ſequentium Principum tempora demonſtrantur.*

DE S. *Martini* morte ſumma veterum Scriptorum diſſenſio eſt. *Gregorius Turon. lib.* 1. *cap.* 46. *Cæſario* & *Attico* Coſſ. obiiſſe narrat; *De Martini obitu.*

Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 44.

narrat; *mediâ nocte*, *quæ Dominica habebatur*. Hic eſt annus 397. Verùm eo anno litera Dominicalis fuit D; proinde *Novembris* 11. erat, 4. feria, non Dominica. *Sigebertus*, quem Annales Eccleſiaſtici ſequuntur, annum 402. addicit; at eo anno litera fuit E, *Novembris* 11. feria 3. Aut ergo anno 400. obiit, quo litera Dominicalis erat A G, *Novembris* 11. feria 1. aut 401. quo fuit ſecunda feria. Si prius amplectimur, mortuus erit eâ nocte, quæ Dominicam anteceſſit; ſi poſterius placet, eâ nocte, quæ Dominicam excepit. Annum 401. ſuadet *Severus Sulpicius*, qui *Dial.* 3. ſcribit, *Martinum* ſedecim annis vixiſſe poſt Conſulatum *Evodii*, qui incidit in annum 386 à quo ſextus decimus annus eſt *Chriſti* 401. *Gregorius* verò *Turonenſis lib.* 2. *cap.* 43. annum 400. deſignat, dum *Chlodoveum* ab obitu *Martini* anno 112. mortuum eſſe ſcribit, qui exceſſit anno *Chriſti* 511.

De tempore obitus Eudoxiæ.

Circa annum obitus *Eudoxiæ* Imperatricis obſervatione digna eſt Hiſtoricorum veterum conſenſio, & illorum adeo, qui eodem vixere tempore. Hi omnes anno ipſo, quo *Chryſoſtomus* exſulavit, *Chriſti* 404. tertio poſtquam ille *Conſtantinopoli* diſceſſit menſe, *Eudoxiam* periiſſe dicunt. Ita *Proſper* in *Chron. Eunapius* apud *Photium Cod.* 77. *Eudoxiam* obiiſſe prodidit eo anno, quo *Arſacius* pulſo *Joanne* ſubſtitutus eſt, qui eſt ille ipſe 404. Idem docent *Socrates lib.*6. *cap.*17. *Sozomenus lib.*8. *cap.*27. & *Chronicon Alexandrinum*, in quo & anni ejuſdem characteres adhibentur. Ait enim, mortuam *Eudoxiam* prid. Non. *Octobris*, feriâ 5. & depoſitum ejus cadaver in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum, 4. Eid. *Octobris*, feriâ 4. quæ in annum 404. competunt, quo litera Dominicalis erat CB. Aſſentitur etiam *Theophanes*, ſed & *Marcellinus*, qui *Honorio* 6. & *Ariſtæneto* Coſſ. *Eudoxiam* obiiſſe refert, anno ſcilicet 404. Quòd autem antecedente anno

Chryſoſtomi

Chryſoſtomi exſilium atque mortem poſuit, non ideo accuſandus eſt. Id enim eò fecit, quòd anno iſto 403. primùm damnatus eſt *Chryſoſtomus* in ſuburbio *Chalcedonenſi* ad *Quercum*, ſed ſubinde ob tumultum populi revocatus. Unde cùm ſemel *Chryſoſtomi* mentionem attigiſſet, reliqua, quæ deinceps annis inſequentibus ei contigerunt, eodem filo pertexuit.

Apud *Idatium* quædam ſparſim defectiones Solis Lunæque memorantur, quibus velut notis *Marciani* & inſequentium Principum tempora deſignantur. Nam eo anno, qui *Theodoſii* mortem ſecutus eſt & initium *Marciani*, quo *Attila*, populatis *Galliis*, ab *Aëtio*, & *Theodorico Gothorùm* Rege in *Catalaunicis* campis ſuperatus eſt, 5. Calend. *Octobris* Lunam ait eſſe fuſcatam. (*a*) Atqui hoc anno *Chriſti* 451. accidit. Hoc enim ipſo, *Septembris* 26. feriâ 4. Luna defecit; cujus deliquii extremum in *Hiſpania* videri potuit. Nam deſiit horâ 7. 25. fuitque digitorum 10. Eodem anno *Placidiam* mortuam refert. Quocirca *Theodoſii* mors, & initium *Marciani*, rectè ab omnibus in annum antecedentem confertur, *Chriſti* 450. *Attilæ* verò clades, in 451. Sed apud *Idatium* pro *quinto Calend. Octobris*, ſcribendum eſt, *ſexto*.

a Vide lib. 8. de Doct. Temp. pag. 845.

(*b*) Item æra 500. ſexto *Nonas Martias* ſive *Martii* 2. feriâ 6. Lunam defeciſſe notat. Hic eſt annus 462. quo ineunte *feriâ* 6. hoc eſt (*c*) paulò poſt mediam noctem diei 2. *Martii*, obſcurata eſt Luna ad dodrantem diametri. Atque hunc annum proximum numerat ab eo, quo *Severus* poſt *Majorianum* ad Imperium eſt evectus, quem *Chriſti* 461. fuiſſe ſuperiùs adnotavimus.

b Idat. pag 40.

c Lib. 8. de Doct. Temp. pag 846.

(*d*) Ad hæc anno illo, qui proximè eum anteceſſit, quo mortuus eſt *Severus*, Solis defectionem obſervat *Idatius* 13. Calend. *Auguſti*, feriâ 2. quâ die in ſpeciem Lunæ quintæ, Sol ab hora tertia in ſextam obſcuratus eſt. Id evenit

d Idat. pag. 42.

anno

anno 464. *Julii* 20. Rectè ergo *Severi* nex anno ſequenti 465. tributur.

CAPUT XIV.

De Chlodovei *poſterorum temporibus,ac* S. Benedicti *obitu.*

Demonſtantur anni Chlodovei poſterorum.

CHlodovei filiorum tempora ex *Gregorio Turonenſi*, *Aimoino*, & aliis Veteribus in hunc modum approbantur. Obiit *Chlodoveus* anno *Chriſti* 511. *Novembris* 27. quo die anniverſariæ pro illo preces *Lutetiæ* in Cœnobio *Sanctæ Genovefæ*, ubi is ſepultus eſt, hodiéque celebrantur. Quippe *Secundino* ac *Felice* Coſſ. exceſſit, ut (*a*) ſuo loco docuimus. *Childebertus* (*b*) anno regni 49. periit; (*c*) cujus anno 38. Indictione 13. quinto Calend. *Novembris* *Aurelianenſis* 5. Synodus notatur: eſt hic annus *Chriſti* 549. Proinde cœpit anno exeunte 511. *Novembri* exeunte. Sic *Aurelianenſis* 3. celebrata dicitur anno *Childeberti* 27. quarto poſt Conſulatum *Paulini Junioris*, Nonis *Maij*. *Paulinus* iſte Conſul fuit anno *Chriſti* 534. Quare annus 4. poſt ejus Conſulatum eſt 538. Ergo *Childebertus* iniit anno 511. *Chriſti* verò annus 560. poſtremus illi fuit.

a Paral. 1. lib. 7. cap. 2.
b Aimoin. lib. 2. cap. 29.
c Tom. 1. Concil. Gall. pag. 277.

Jam quod in 7. *libro prioris Partis cap.* 6. quadriennio poſt *Chlodomiri* necem *Burgundiam* dixi ab illius fratribus *Childeberto* & *Chlotario* domitam eſſe, id hâc ratione nititur. Scribit *Gregorius Turonenſis lib.* 3. *cap.* 11. expeditionem *Burgundicam* amborum fratrum inciſſe poſt obitum *Almarici Gothi Hiſpaniæ* Regis, quam antecedenti *capite* 10. poſuit. At *Almarico* ſucceſſiſſe *Theudes* dicitur in *Iſidori Chronico*, æra 560. qui annus *Chriſti* 522. Ergo hoc anno *Burgundia* à *Francis* eſt ſubacta, quarto ſcilicet poſt *Chlodomiri* mortem.

Theodoricus anno (*d*) regni 23. *Chriſtique* adeo 534. obiit: *Theodebertum* anno 14. mortuum

d Greg. lib. 3. cap. 23. Aim. lib. 2. cap. 14.

tuum eſſe (*a*) ſcribit *Gregorius*: *Aimoinus* 13. aſſignat (*b*) Videtur ineunte 14. mors illi contigiſſe, *Chriſti* 547. *Theodebaldus* anno (*c*) ſeptimo moritur: cui *Aimoinus* octavum (*d*) arrogat. Ergo vivere deſiit anno 554. Porrò *Gregorius* à morte *Chlodovei*, ad exitum *Theodeberti*, annos numerat 37. qui ab anno *Chriſti* 511. putati incidunt in 547. *Chlotharius* regni (*e*) anno 51. *Chriſti* 561. deceſſit. Quæ omnia *Marcellini* Appendix præpoſterè collocavit.

Quod ad *S. Benedictum* attinet, (*f*) hunc extra controverſiam eſt imperantibus *Juſtino* & *Juſtiniano* floruiſſe. Mortis annus incertus eſt. Nam *Fauſtus* ejus diſcipulus, ut teſtis (*g*) eſt *Sigebertus*, ſcriptum reliquit, eum obiiſſe 12. Calend. *Aprilis*, *Martii* 21. pridie Paſchatis; idemque (*h*) *Leo Hoſtienſis* refert; ſed addit, anno 542. Indict. 2. obiiſſe *Benedictum*; quæ ſunt ἀσύστατα. Nam Indictio 5. fuit anno 542. Reliqui characteres inextricabiles ſunt. Ut enim Paſcha contigerit *Martii* 22. literam oportet fuiſſe D. adeòque Cyclum Solis 3. vel 14. 20. 25. Lunæ porrò Cyclus *Nicænus* fuerit 16. Quo cum Cyclo litera D non concurrit, niſi annis *Chriſti* 72. 319. 414. 509. 604. Quòd ſi quis *Latinorum* Paſchalem methodum adhibeat, quæ per id tempus uſurpata nonnunquam fuit, Cyclum Lunæ 19. fuiſſe neceſſe eſt, qui fuit *Latinorum* 16. vel 8. qui fuit *Latinorum* 5. Prior Cyclus cum littera D non convenit, niſi *Chriſti* annis 151. 246. 341. 436. Poſterior, annis 235. 330. 425. 520. qui omnes ab vera mortis illius hiſtoria diſcrepant. Conſtat enim, quod (*i*) *S. Gregorius* Papa ſcribit, ad eum *Totilam Gothorum* Regem adiiſſe anno regni ſui ſecundo, eique prædixiſſe *Benedictum*, novem adhuc annis regnaturum ipſum, ac decimo moriturum. Atqui *Totila* regnum auſpicatus èſt anno belli *Gothici* 7. *Chriſti* 541. ut ex *Procopio* liquet (*k*) mortuum verò anno 11. regni nondum expleto, *Chriſti* 552.

a In fine lib. 13.
b Lib. 2. cap. 25.
c Greg. l. 4. cap. 9.
d Lib. 2. cap. 25.
e Greg. l. 4. c. 21.

De morte S. Benedicti.

f Greg. 2. Dial.
g Sigeb. A. 509.
h Leo Hoſt. Chron. cap. 1.
i Greg. 2. Dial. cap. 15.
k Lib. 3. Vide ſuprà Part. 1. lib. 7. cap. 5.

ſti 552. ineunte; quod ex ejuſdem *Procopii lib.* 4. colligitur. Itaque congreſſus ille *Totilæ* cum S. *Benedicto* anno *Chriſti* 542. convenit; à quo 10. pòſt anno labente cæſus eſt à *Narſete*. Non potuit igitur ante hunc annum deceſſiſſe *Benedictus*: hoc verò ut exceſſerit, falſa eſt nota diei, & Paſchatis, à *Fauſto* prodita; ſiquidem Paſcha iſto anno cadit in *Aprilis* 20. Unde mortuus erit 13. Calend. *Maji*: (*a*.) quod & *Sigonius* amplexus eſt.

a Sigon. l. 19. de Occid. Imperio.

CAPUT XV.

Chronologica temporum, quibus Juſtinus, Tiberius, Mauricius, Heraclius *Imperatores vixerunt, demonſtratio: tum de anno primo* Hegiræ, *& eo quo* Trullana *Synodus eſt peracta.*

JUſtinum anno *Chriſti* iniiſſe 565. ex *Juſtiniani* obitu colligitur. Mortuus enim eſt *Novembris* 14. die, Indict. 14. jam inchoatâ, cùm imperâſſet annos 38. menſes 8. ab *Aprilis* Calendis, ut ſcribit (*b*) *Evagrius*. *Chronicon Alexandrinum* menſes undecim numerat; non ſine mendo: quaſi ab *Januario* annos illius auſpicetur, cùm tamen ab *Aprili* putet. Atqui imperare cœpit anno 527. *Mavortio* ſolo Conſule, Indict. 53. ut *Marcellinus*, *Chronicon Alexandrinum*, *Theophanes*, *Paulus Diaconus*, *Cedrenus* diſertè aſſerunt. Inde ergo numerati anni 38. menſeſque 8. deſinunt in *Novembrem* anni 565. Indict. 14. Quocirca mirum eſt valdè, quòd *Victor Tununenſis* & *Joannes Biclarienſis* Indict. 15. functum eſſe *Juſtinianum* referunt; quod etiam in *Alexandrini Chronici* contextu legitur; etſi anni titulus Indict. 14. præfert. Non eſt dubium, quin anno 565. *Novembris* 14. Indict. 14. *Juſtinus* 2. imperare cœperit. Idem porrò deceſſit anni 578. Indict. 12. ineunte à

b Evagr. l. 4. cap. 41.

Septem-

Septembri menſe, ut *Chronicon Alexandrinum* & *Theophanes* fidem faciunt.

Quod *Tiberium* attinet, is anno 574. *Cæſar* factus, *Decembris diei* 7. feriâ 6. ut ſcribit (*a*) *Theophylactus Simocatta.* Sed perperam addit Indict. 9. Melius *Chronicon Alexandrinum* Indict. 8. cui & *Theophanes* aſſentitur. At idem *Chronicon Septembris* 7. non *Decembris* id aſſignat. Uterque dies feriam 6. habuit anno 574. literâ Dominicali G. Magnoperè autem fallitur (*b*) *Evagrius* : qui *Juſtinum* ait ſolum imperaſſe annos 12. menſes 10. dies 15. cum *Tiberio* annos 3. menſes 11. in totum annos 16. menſes 9½. Verùm ſolus annos haud ampliùs 8. ſuperque menſes novem ferè, cum *Tiberio* annos 4. ac duos circiter menſes imperavit, ſiquidem *Septembri* menſe *Cæſaris* titulum ei conceſſit.

Evagrii error.

Mauricius denique mortuo *Tiberio* imperare cœpit Indict. 15. *Auguſto* menſe: quod in *Alexandrino Chronico* & apud *Theophanem* legitur: eſtque annus iſte *Chriſti* 582. ut diſertè à *Beda* proditum eſt (*c*) Atque hoc inſuper demonſtratur ex initio *libri* 2. *Epiſtol. S. Gregorii* Papæ, ubi depoſitus legitur *Laurentius* Diaconus ſeptimo anno à Conſulatu *Mauricii*, Indict. 10. à *Septembri* menſe cœpta, anno 2. *Gregorii.* Porrò *Theophanes* auctor eſt, (*d*) *Mauricium* anno 2. imperii, Indict. 2. *Decembris* 20. Conſulatum cepiſſe. Eſt hic annus *Chriſti* 583. Igitur anno 591. erat in curſu annus 7. à Conſulatu *Mauricii Septembri* menſe, quo Indictio 10. cœpit, & annus 2. *Gregorii.* Ad hæc, *Romanum* Concilium 2. ſub *Gregorio* I. notatur Indictione 13. anno 13. *Mauricii*, *Julio* menſe. Neceſſariò annus hic eſt *Chriſti* 595. qui ſi 13. eſt *Mauricii*, primum incurrere neceſſe eſt in annum 582. Id ipſum docent & *Epiſtolæ* Pontificis ejuſdem, quas *Beda* recenſet loco jam citato.

Mauricii initium demonſtratur.

a Theoph. lib. 3. cap. 11.

b Evagr. lib. 5. c. 13

c Beda l. 1. Hiſt. Angel. c. 23.

d Paulus Diac lib. 17. cap. 8. Cedren.

a Lib. 5. cap. 16. Paulus Diac. in Miſcell. lib. 17. cap. 24.

Unum illud objici poteſt; (a) *Theophylactus Simocatta*, *Theophanes*, & *Miſcella* referunt, anno 9. *Mauricii*, vere ineunte, cùm Imperator in expeditionem proficiſceretur, Solem defeciſſe. Convenit iſta defectio anno *Chriſti* 592. *Martii* 19. horâ 10. 12. poſt mediam noctem; & ſolaris diametri dextans obſcuratus eſt. Ex quo efficitur, primum *Mauricii* in annum cadere 583. Sed ſciendum eſt, illo anno tardiùs *Mauricii* computare tempus. Nam ex antecedentibus liquet, *Mauricii* Imperatoris exordium duci ab anno 582. Itaque pro ἔνατον apud *Simocattam* legendum δέκατον; quem errorem *Theophanes* expreſſit, ex eoque cæteri.

Error Simocattæ, & aliorum.

Vide lib. 11. de Doct. Temp. cap. 49.

Heraclii primordium, nec non obitus, haud dubiis notis in *Annalibus Græcis* exprimitur. *Alexandrinum Chronicon* anno illo, quo *Phocas* occiſus eſt, & *Heraclius* iniit, Indictionem ait fuiſſe 14. *Octobri* menſe, ejuſque tertiâ die feriam 7. Hic annus *Chriſti* 610. quo Indictio 14. ab *Septembri* cœpta *Conſtantinopoli*, Cyclo Solis 3. litera D.

Maximus Martyr, qui paulò ante obitum *Heraclii* Computum ſcripſit, annum ejus 31. notat Indict. 14. aitque *Diocletiani* fuiſſe 357. quo Paſchalis terminus incidit in Calendas *Apriles* feriâ 1. Paſcha verò celebratum eſt *Aprilis* 8. *Theophanes* item obiiſſe ſcribit Indict. 14. *Martii* 11. die, cùm imperaſſet annos 30. menſes 10. At *Nicephorus* in *Breviario* annos tribuit 30. menſes 4. dies 6. Proinde annus illius 31. cœpit ex anno *Chriſti* 640. adeòque primus ex anno 610.

Vide l. 2. de Doct. Temp c. 50. & ſeq. & l. 9. c. 22. & l. 11. c. 50.

Heraclio rerum potiente *Muhammedes Arabum* princeps novæ æræ dedit initium, quam *Hegiræ* nominant, quæ vox διωγμὸν & *perſecutionem* ob fidem indicat. Hanc *Saraceni*, & *Arabes*, & eos ſecuti *Turcæ* inchoant ab illo die, quo ob novam inſtitutam religionem fugere coactus eſt; quod accidit anno *Chriſti* 622.

622. *Julii* 16. feriâ 6. ut ex eorumdem populorum Hiſtoriis & Annalibus conſtat.

Poſt annos 85. *Conſtantinopoli* in *Trullo* Synodus habita eſt, velut ad ſupplendam quintam & ſextam, in qua nihil Canonum editum fuerat. Eam porrò contigiſſe Indictione 5. anno mundi 6199. docet Canon tertius ejuſdem: quem annum *Theophanes* ait eſſe 27. poſt ſextam & œcumenicam Synodum, *Juſtiniani* ſecundò imperantis ſecundum. Eſt hic annus *Chriſti* 607. Indictione 5. à mundi conditu ſecundum æram *Alexandrinam*, quâ *Theophanes*; & illa Synodus utitur, 6199. Itaque non dubitat idem ille *Theophanes*, errare nonnullos, qui poſt annos 4. ab Synodo ſexta legitima, ſpurios iſtos Canones exſtitiſſe putant. Hanc enim Synodum ait anno mundi 6172. celebratam fuiſſe, Canones verò anno 6199. iſtitutos. Apparet igitur, *Trullanos* Canones anno *Chriſti* 707. ſancitos eſſe. Annus æræ *Græcorum Alexandrinæ* 6172. eſt vulgaris computi 680. quo ſexta Synodus inchoata. Additis annis 27. fit *Chriſti* 707. At plerique anno 692. editionem illorum Canonum aſſignant, ſub *Sergio Romano* Pontifice: quibus *Anaſtaſius Bibliothecarius* favet in *Vita Sergii*; ſed Canon tertius *Trullanus* de 707. perſuadet; cùm *Joannes* VII. *Romæ* ſederet, quem & de Canonibus iſtis approbandis interpellatum à *Juſtiniano*, in *Joanne* VII. ſcribit *Anaſtaſius*. *Taraſius* verò (*a*) nec non (*b*) *Auctor* illius *Tractatus contra Iconoclaſtas*, qui in ſeptima Synodo lectus eſt, Canones iſtos in Synodo ipſa ſexta fuiſſe conſcriptos aſſerunt; quod minimè procedit.

Trullana Synodus.

Anaſtaſ. in Sergio. Beda de ſex ætatibus.

a In 7. Syn. Act. 4. pag. 481 edit. Rom.

b Act. 6. pag. 576.

CAPUT XVI.

De Clotharii I. *poſteris, quorum initia Chronologicis probationibus adſtruuntur.*

Vide l. 11. de Doct. Temp. c. 48.

CLotharii filiorum tempora non ſolùm auctoritate priſcorum Annalium, ſed etiam cœleſtium obſervationum fide nituntur: ex quibus ad anteriorum quoque Regum epochas aſſeverandas argumenta ſuppetunt. Imprimis autem *Childeberti Auſtraſiorum* Regis anni accuratè ab *Gregorio* deſignantur, quòd in illius ditione *Curonum* erat civitas. Quare ex ejus regno reliquorum tempus affirmabimus.

(*a*) Initium illius natalem in ipſum Dominicum incidit, convenitque anno *Chriſti* 575. Anno quippe ejus 2. ut ex *Gregorio* liquet (*b*) ambigua Paſchatis obſervatio fuit. Nam in *Galliis* celebratum eſt 14. Calendas *Majas*, in *Hiſpania* 12. Calendas *Apriles*. Quod factum oportuit anno *Chriſti* 577. Cyclo Solis 26. Lunæ 8. cùm litera Dominicalis erat C, quando Paſcha ex *Latinorum* methodo peractum eſt 21. *Martii*, ab *Hiſpanis* verò *Aprilis* 18. (*c*) quod 25. menſis ejuſdem ritè celebrari oportuit.

Sic anno 15. *Childeberti*, *Guntchramni* 29. ait (*d*) *Gregorius*, dubium Paſcha fuit. Nam alii ex *Victoris* præſcripto Paſcha Lunâ 15. celebrarunt; alii, *Latinos* ſecuti, Lunâ 22. Deinde 18. Calend. menſis quinti, id eſt *Julii*, feriâ 4. notatur: & menſe octavo mediante Sol defecit. Quæ omnia in annum *Chriſti* 590. conveniunt, Cyclo Solis 11. Lunæ 2. quo Paſcha *Catholicum* incidit 26. *Martii*, & *Junii* 14. fuit 4. feria. Sol verò *Octobris* 4. horâ 10. circiter defecit. Nam *mediante aliquo menſe*, ex uſu *Gregorii* & aliorum Scriptorum, idem eſt ac *labente*, (*e*) ut alibi docuimus.

a Greg. l. 5. cap. 1.

b Lib. 5. capp. 17. & 25.

c Vide l. 12. de Doct. Temp. c. 63.

d Lib. 10. capp. 22. 23. ac 24.

e Lib. 11. de Doct. Temp. c. 45. & ad Hær. 70. Epiph. Num. 10. & 12.

Rurſus (*a*) anno 8. *Childeberti* pridie Calendas *Februarii* Dominicam fuiſſe ſcribit Auctor idem, qui eſt annus *Chriſti* 583. quo litera Dominicalis erat C.

Quamobrem cùm annus 2. *Childeberti* anno *Chriſti* 577. in Paſchate numeretur, & anno 590. eodem tempore, *Childeberti* 15. initium ejus oritur à natali anni 575.

Chilperici verò, & *Guntchramni* 17. cum anno ejuſdem *Childeberti* tertio concurrit, ut ait (*b*) *Gregorius*; (*c*) qui & 4. *Childeberti* cum illorum 18. componit, & (*d*) ſeptimum iſtius cum illorum 21. menſe *Januario*. Unde colligas, ambos illos anno cœpiſſe *Chriſti* 562. ineunte, vel exeunte 561. quo *Chlotarius* obiit. Proinde *Sigebertus* anno quarto decimo periit, quem 29. computat *Gregorius* in fine *lib.* 4. ab exitu *Theodeberti*, qui anno 547. accidit. *Chilpericus* anno 23. *Guntchramnus* 32. vel 33. *Childebertus* 21. ut ſuperiora demonſtrant.

De *Guntchramno* haud levis eſt dubitatio. Etenim (*e*) *Fredegarius* & (*f*) *Aimoinus* ſcribunt, anno 32. *Guntchramni* ita Solem defeciſſe à mane uſque ad mediam diem, vix ut tertia pars illius appareret. (*g*) Cujuſmodi Solis defectio in annum cadit aut 592. *Martii* 19. aut 594. *Julii* 26. Nulla verò anno 593. in *Galliis* eſt conſpecta. Quocirca ſi haud falsò eclipſim iſtam literis prodidere Scriptores *Francici*, neceſſe eſt vel anno 593. vel 595. deceſſiſſe *Guntchramnum*, 5. Calendas *Apriles*, ut iidem aſſerunt: neutrâ autem ratione mortuus erit anno 33. regni: ſed priori, anno 32. ineunte; poſteriori, anno 34. Rurſus (*h*) *Fredegarius* & (*i*) *Aimoinus Childebertum* ajunt anno quarto, poſtquam *Gunthchramni* regnum acceperat, è vita migraſſe, paterni regni 23. ætatis 25. Ex *Epiſtolis* verò *Gregorii M.* conſtat, Indictione 14. anno 596. obiiſſe *Childebertum*. Siquidem

a Greg. l. 6. cap. 25.
b Lib. 5. cap. 21.
c Cap. 27.
d Lib. 6. cap. 14.
e Append. ad Greg. cap. 13. & 14.
f Lib. 3. cap. 80.
g Vide l. 8. de Doct. Temp. pag. 155.
h Cap. 16.
i Lib. 3. cap. 84.

Epiſtola 6. Indictionis illius ad *Childebertum* data eſt, & 18. ejuſdem Indictionis ad ſucceſſores ejus *Theodoricum* & *Theodebertum.* Prorſus igitur anno 596. *Childebertus* exſtinctus eſt, quo viceſimus primus erat in curſu, anno 575. *Decembris* 25. quo patre mortuo regnum adiit, vix uno ætatis luſtro peracto, ait *Gregorius lib.* 5. *cap.* 1. Quare natus eſt anno 570. vel 571. ineunte, ut anno 596. quintum & viceſimum abſolverit. Quòd ſi annus 596. quartus erat à morte *Guntchramni*, neceſſe eſt hujus exitum anno 593. congruere.

CAPUT XVII.

Chronologica ratio annorum Dagoberti, Chlodovei, Chlotharii, Childerici, Theodorici, Chlodovei, *&* Childeberti Franciæ *Regum, nec non* Caroli M. *&* Ludovici Pii *Imperatorum.*

DAgobertus initium regni duplex habuit: alterum patre adhuc ſuperſtite *Chlothario*, (*a*) anno ejus 29. qui eſt æræ *Chriſtianæ* 622. quando *Auſtraſiam* regere cœpit. Alterum poſt patris obitum anno 628. cùm (*b*) ſextum ageret *Auſtraſii* regni. Obiit (*c*) anno 644. decimo ſexto videlicet, ex quo ſceptra ſolus tenuit, (*d*) 14. Calendas *Februarii.*

Chlodoveus eodem illo anno 644. iniit. Quod imprimis (*e*) Sanctus *Audoënus* in *Vita Sancti Eligii* teſtatur, qui anno 3. *Chlodovei*, pridie Idus *Majas*, Dominicâ die ante Litanias, eâdem, quâ & S. *Eligius* factum ſe eſſe ſcribit Epiſcopum. Eſt hic annus 646. quo litera fuit A, Cyclo Solis 11. Lunæ 1. Paſcha 9. *Aprilis*, Adſcenſionis ſolemne *Maij* 18. quod Dominica anteceſſit *Maij* 14. Igitur primus *Chlodovei* eſt *Chriſti* 644. Hunc ipſum *Chlodoveum* anno *Dagoberti* 12. natum eſſe *Fre-*

a Aimoin. l. 4. c. 8. Fredeg. c. 58.
b Fredeg. cap. 79.
c Aimon. lib. 4.
d Aimoin ibid.
e Lib. 2. cap. 12. Apud Surium Dec 1. & Vita S. Audoëni c 14. Aug. 24.

(*a*) *Fredegarius* & (*b*) *Aimoinus* affirmant; à quo anno ſeriatim ultimum *Dagoberti* computant 16. Ita anno 12. monarchiæ *Dagoberti* in lucem editus fuerit, hoc eſt *Chriſti* 639. & quinquennis, ut multùm, fuerit, cum patre mortuo regnavit; vixeritque annos omninò 21. ſolidos, quippe obiit anno 60. Quomodo ergo tres ex *Bathilde* reliquit liberos, è quibus *Chlotharius* regnavit annos 4. *Childericus* verò 3. cùm jam ante 9. in *Auſtraſia* regnâſſet; quod nonnulli aſſerunt? Sic enim anno ætatis 15. vel 16. *Chlodoveus Chlotharium* genuerit, *Childericum* ſequenti. Exiſtimo, duodecimum illum *Chlodovei* ab exordio regni *Auſtraſiæ* ſumendum eſſe, atque anno 633. natum eſſe *Chlodoveum*; ut annos natus 11. patri ſucceſſerit, vixeritque 27. Itaque Annalium Auctores illi per imprudentiam duo iſta *Dagoberti* primordia confuderunt.

Jam *Chlodoveus* annum (*c*) explicuit 16. attigitque 17. Deceſſit enim anno 660. Poſt hunc *Chlotharius* & *Childericus* regnarunt: quorum ex *Theodorici* exordio firmanda ſunt tempora. Hunc enim anno 667. cœpiſſe multa perſuadent. *Rothomagenſis* Synodus anno Incarnationis Dominicæ 682. Indictione 10. celebrata (*d*) dicitur anno *Theodorici* 16. Sic annum 7. *Theodorici* cum 2. Indictione componi anno 674. ſuprà docuimus. Quocirca *Childericus* occiſus eſt anno 667. quo *Theodoricus* è Monaſterio ad regnum capeſſendum retractus eſt. Huic annos (*e*) alii 14. (*f*) alii 18. (*g*) alii 19. aſſignant. (*h*) *Chlodoveus* huic filius ſuffectus eſt, qui annos præfuit 4. quem *Childebertus* ejus frater excepit. (*i*) De hoc in fine *Chronici* veteris *Euſebiani*, quod penes *Bongarſium* fuit, ſcriptum erat; *anno* 5. *Childeberti Regis Francorum*, *Pipino jubente*, (id eſt regente) *fuiſſe Paſcha X. Cal. Aprilis*, *Aſcenſionem Cal. Majis.* Hic annus eſt 699. *Chriſti*,

a Cap. 76.
b Lib. 4. cap. 27.
c Ivo Carnot. Aimoin. l. 4. c. 41.
d Aigrard in Vita S. Ansberti Vide Tom. 1. Conc. Gall. pag. 509. cap. 17.
e Fredeg. cap. 101.
f Ivo.
g Geſta Franc. l. 2. cap. 49.
h Fredeg. cap. 101.
i Scalig. in Anim. ad Euſ. p. 276.

Chriſti, Cyclo Solis 8. litera E, Lunæ 8. quo Paſcha contigit *Martii* 23. Unde *Childeberti* initium cadit in annum 694. eodemque *Chlodoveus* vivere deſiit. Cujus proinde anno 690. convenit exordium, quem ad annum *Theodorici* regnum perducitur, annis ſolidis expletis 23. Alioquin interregnum incidiſſet; quod nullum fuiſſe proditur.

Caroli Magni Imperatoris anni certiſſimis notis in Analibus rerum ab eo geſtarum, aliiſque Chronicis, obſignantur: præſertim Solis Lunæque defectionibus. (*a*) Quarum una Solis anno ejus 20. contigit, *Septembris* 16. cujus & *Theophanes* meminit. (*b*) Item Luna anno ejus 39. imperii 6. *Chriſti* 806. defecit 4. Nonas *Septembres*. Pridie verò Calendas *Februarii* eodem labente 39. *Caroli*, *Chriſti* 807. ſtella *Jovis* cum Luna viſa conjungi eſt, & tertio Eid. *Februarii* Sol defecit in Aquarii 25. Luna quoque 4. Calendas *Martias*: ac rurſus 11. Calendas *Septembris*. Sic anno *Caroli* 42. iidem Annales eclipſin Lunæ 7. Calendas *Januarii* aſſignant *Chriſti* 809. nec non alias utriuſque ſideris anno 42. & 43. *Caroli*, *Chriſti* 810. Anno item labente 44. Idibus *Maij*, Solem defeciſſe narrant, *Chriſti* 811.

a Annal. Pith. *b* Annal. Caroli, & Adelmi. Vita Caroli.

(*c*) Sic *Ludovici Pii* Imperatoris annos complures Lunæ Soliſque defectiones illuſtrant, quæ annis *Chriſti* 817. 818. 820. 828. 832. in Annalibus redduntur. Exitum maxima Solis obſcuratio anteceſſit pridie Adſcenſionis Dominicæ, qui fuit pridie Nonas *Majas*, horâ diei nonâ, anno *Chriſti* 840. Ipſe verò paulò poſt 12. Calendas *Julias* exceſſit è vivis.

c Vita Lud. & Ann.

Cæterorum Regum & inſequentium temporum epochæ nihil ferè accuratiori operâ dignum continent; aut ſi quid eſt paulò difficilius, id cum hiſtorica narratione rerum priori in hujus Operis Parte ret ulimus.

AD

AD LECTOREM.

CUm Canonis cujuſdam Mathematici ſæpe mentionem fecerimus (*a*) *hoc in Opere, quem* Ptolemæus *in computandis Regum & Imperatorum annis adhibuit, utile viſum eſt eum hoc loco deſcribere; cujuſmodi veteribus Manuſcriptis legitur, & nos eumdem in* Theonis *Commentariis* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας *deprehendimus. Hunc porro ex Græco codice vetuſto Bibliothecæ regiæ nonnihil hac editione caſtigavimus; variantes itidem aliquot Lectiones ad marginem adſcripſimus. In tertia ſerie Græcorum Regum editiones aliorum, & quæ hanc anteceſſit Rationarii noſtri ſecunda, iſtud lemma præfigunt* ἑλλήνων Βασιλεῖς, *tum* Alexandrum *cum duobus reliquis ei ſubjiciunt. At codex ille regius* Alexandrum Perſicis *Regibus adſcribit; quod hic amplexi ſumus, cum eo, quem ibidem reperimus, titulo.*

a Part. I. l. 2. c. 6. & Part. 2. l. 3. c. 4. 5. 8. & l. 4. c. 6.

Πτολεμαίȣ Κανὼν Βασιλέων.

Ἀσσυρίων καὶ Μήδων.	Ἔτη.	Συναγωγή
Ναβονασσάρȣ	ιδ	ιδ
Ναδίȣ	β	ις
a Χωζίρȣ, καὶ Πόρȣ	ε	κα
Ἰȣγαίȣ	ε	κς
Μαρδοκεμπάδȣ	ιβ	λη
b Ἀρκιανȣ̃	ε	μγ
Ἀβασιλεύτȣ πρώτȣ	β	με
Βηλίβȣ	γ	μη
c Ἀπροναδίȣ	ς	νδ
d Ῥιγηβήλȣ	α	νε
Μεσεσσιμορδάκȣ	δ	νθ
Ἀβασιλεύτȣ β	η	ξζ
e Ἀσσαραδίνȣ	γ	π
f Σασσδȣχήȣ	κ	ρ
g Χυνιλαδάνȣ	κβ	ρκβ
h Ναβοπολλασσάρȣ	κα	ρμγ
i Ναβοκολλασσάρȣ	μγ	ρπς
k Ἰλȣαροδάμȣ	β	ρπη
Νιρικασσολασσάρȣ	δ	ρϟβ
Ναβοναδίȣ	ιζ	σθ

Περσῶν Βασιλεῖς.

Κύρȣ	θ	σιη
Καμβύσȣ	η	σκς
Δαρείȣ α	λς	σξβ
Ξέρξȣ	κα	σπγ
Ἀρταξέρξȣ α	μα	τκδ
Δαρείȣ β	ιθ	τμγ
Ἀρταξέρξȣ β	μς	τπθ
Ὤχȣ	κα	υι
Ἀρώγȣ	β	υιβ
Δαρείȣ γ	δ	υις
Ἀλεξάνδρȣ Μακεδόνος	η	υκδ

a Κιύζηρυς καὶ Πύρȣ
b Ἀρκαιανȣ̃.
c Ἀπαραναδίȣ.
d Μεσησσιμορσάκȣ.
e Ἀσαραδίνȣ.
f Σαοσδȣχίνȣ.
g Κυνιλασάνȣ.
h Λαβοπολασσάρȣ.
i Λαβοκολασσάρȣ.
k Ἰαλοαροσάμȣ.

Ptolemæi Canon Regum.		
Aſſyriorum & Medorum.	*Anni ſingulorum.*	*Anni collecti.*
Nabonaſſari	14	14
Nadii	2	16
Choziri, & Pori	5	21
Jugæi	5	26
Mardocempadi	12	38
Arciani	5	43
Interregni primi	2	45
Belibi	3	48
Apronadii	6	54
Rigebeli	1	55
Meſeſſimordaci	4	59
Interregni ſecundi	8	67
Aſſaradini	13	80
Saoſduchei	20	100
Chyniladani	22	122
Nabopolaſſari	21	143
Nabocolaſſari	43	186
Iluarodami	2	188
Niricaſſolaſſari	4	192
Nabonadii.	17	209

Perſarum Reges.		
Cyri	9	218
Cambyſis	8	226
Darii primi	36	262
Xerxis	21	283
Artaxerxis primi	41	324
Darii ſecundi	19	343
Artaxerxis ſecundi	46	389
Ochi	21	410
Arogi	2	412
Darii tertii	4	416
Alexandri Macedonis	8	424

Ετη

Ἔτη βασιλέων τῶν κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρȣ τȣ̃ βασιλέως τελευτήν.		
α Φιλίππȣ τȣ̃ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίςην	ζ	ζ
Ἀλεξάνδρȣ Αἴγȣ	ιϐ	ιθ
Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ.		
Πτολεμαίȣ Λάγȣ	κ	λθ
Πτ. Φιλαδέλφȣ	λη	οζ
Πτ. Εὐεργέτȣ α	κε	ρϐ
Πτ. Φιλοπάτορος	ιζ	ριθ
Πτ. Ἐπιφάνȣς	κδ	ρμγ
Πτ. Φιλομήτορος	λε	ροη
Πτ. Εὐεργέτȣ ϐ	κθ	σζ
Πτ. Σωτῆρος	λϛ	σμγ
Διονύσȣ	κθ	σοϐ
Κλεοπάτρας	κϐ	σλϐ

Margin note beside the first row: α Φιλίππȣ τȣ̃ Ἀριδαίȣ.

Ῥωμαίων Βασιλεῖς.		
Αὐγȣ́ςȣ	μγ	τλζ
Τιβερίȣ	κϐ	τνθ
Γαΐȣ	δ	τξγ
Κλαυδίȣ	ιδ	τοζ
Νέρωνος	ιδ	τλα
Οὐεσπασιανȣ̃	ι	υα
Τίτȣ	γ	υδ
Δομετιανȣ̃	ιε	υιθ
Νέρȣα	α	υκ
Τραϊανȣ̃	ιθ	υλθ
Ἀδριανȣ̃	κα	υξ
Ἀντονίνȣ	κγ	υπγ

Anni

Anni Regum, qui poſt Alexandri Regis obitum regnarunt.		
Philippi qui poſt Alexandrum conditorem regnavit.	7	7
Alexandri Ægi.	12	19
Græcorum Reges in Ægypto.		
Ptolemæi Lagi	20	39
Pt. Philadelphi	38	77
Pt. Euergetæ primi	25	102
Pt. Philopatoris	17	119
Pt. Epiphanis	24	143
Pt. Philometoris	35	178
Pt. Euergetæ ſecundi	29	207
Pt. Soteris	36	243
Dionyſii	26	272
Cleopatræ	22	292

Romanorum Reges.		
Auguſti	43	337
Tiberii	22	359
Caji	4	363
Claudii	14	377
Neronis	14	391
Veſpaſiani	10	401
Titi	3	404
Domitiani	15	419
Nervæ	1	420
Trajani	19	439
Adriani	21	460
Antonini	23	483

DISSER-

DISSERTATIO PRIOR

AD CAP. II. LIB. IV. PART. II.

De vero Nativitatis CHRISTI *anno, nec non de Herodis Magni morte.*

„ QUoniam ad ætatem mundi ſeptimam, „ quam ſuprà vocabamus, deventum eſt; „ Chriſtique Natalem, nec non Baptiſmum „ ejus ac mortem certis annis illigavimus: „ hæc rationibus adductis quantum fieri „ poteſt firmanda ſunt, quandoquidem ea „ alii aliter plerumque ſolent deſcribere.

„ Ac primùm quoniam nativitatem Chriſti „ regit mors Herodis, ſequidem in diebus „ ejus natus eſt ut teſtatur Scriptura Matth. „ 2. 1. de ipſius morte priùs inquirendum.

„ Mortuus eſt Herodes, ait Joſephus, cum „ regnâſſet (βασιλεύσας) poſtquam ſuſtulit „ Antigonum, annos 34. poſtquam verò à „ Romanis regnum obtinuit 37. Antiq. 17. „ cap. 10. & 1. Belli cap. ult. at Herodes „ ſalutatus eſt Rex à Romanis circa autum- „ num anni Juliani 6. Per. Jul. 4674. de „ anno hoc inter omnes doctos convenit; „ tertioque poſt anno, hoc eſt Juliano 9. „ Antigono interfecto, rerum eſt potitus, „ quod ipſemet Joſephus teſtatur.

„ Numerandi ſunt itaque ab hoc anno „ Juliano 9. quatuor & triginta; vel ab illo „ 6. ſeptem & triginta, quorum ultimus iniit „ anno Juliano 42. Per. Jul. 4710. ſi prior „ terminus in ſumma includatur; aut in „ annum ſequentem ſi excludatur, ſed „ Lunaris defectio, quam Joſephus notat „ eveniſſe jam Herodis morbo ingraveſcente, anno

anno ipſo Juliano 42. eum obiiſſe compro- “
bat. Matthiam, inquit ille, ſeditionis “
autorem, ejuſque ſocios vivos exuſſit, & “
luna hâc ipsâ nocte deliquium paſſa eſt, “
Herodi verò morbus gravior factus eſt, “
pœnam improbitatis exigente numine, &c. “
Antiq. 17. cap. 8. ſive 9. defecit enim reverà “
luna hoc anno, Martii 13. tribus circiter “
horis ante ortum ſolis, ut ex calculo “
Aſtronomico clarum eſt. Plenilunium “
verum tabulæ Pariſinæ conferunt in Martii “
3. hora 2. 45'. à mediâ nocte. Hieroſolymis “
verus locus ſolis in gradu piſcium 20. 23'. “
deficere cœpit luna horâ primâ 24'. deſiit “
horâ 4. 9'. duratio fuit horarum 2. 47'. ac “
digitos ferè 6. defecit. Opportuniſſimè igitur “
ad Joſephi narrationem Lunaris iſta defectio “
convenit, ut rectè obſervat Petavius. “

Idem ex hiſtoriâ ipſius Herodis ſucceſſo- “
rum adſtruitur: Archelaüs etiam poſt ob- “
itum parentis Ethnarcha ab Auguſto factus “
eſt; qui cum annos novem expleſſet, ac “
decimum inchoâſſet, à primoribus Ju- “
dæorum apud Cæſarem accuſatus eſt, & “
Viennam Galliæ trans Alpes relegatus. “
Joſeph. Antiq. 17. cap. ult. cum 2. Belli 6. “
idque ſub finem anni quo Romæ Conſules “
fuerunt M. Æmilius Lepidus, & L. “
Aruntius, ut habet Diod. lib. 55. qui “
Conſules in annum cadunt Julianum 51. “
ut patet ſuprà cap. 26. Si igitur ab annis “
51. novem tollas (nam decimus incepit “
quo Archelaüs deportatus eſt) relinquetur “
annus 42. Julianus, quo Herode mortuo, “
Archelaï primus iniit. “

Firmatur id ex eo quod idem Joſephus “
teſtatur, Quirinum tum ab Auguſto in “
Judæam miſſum, ut Archelaï domum “
divenderet, id peregiſſe anno 37. poſt “
victum in Actiaca Victoria Antonium (18. “
Antiq. 3.) hæc enim victoria contigit “
Cæſare 3. “

„ Cæſare 3. & Meſſala Corvino Coſſ. Sep-
„ tembris die 2. hoc eſt vertente anno Per.
„ Jul. 4683. editionis Julianæ 15. Si igitur
„ 37. ad 15. adjicias, exurget annus Julianus
„ 52. qui cum decimo Archelaï concurrit.
„ Decem igitur ſi tollas ex 52. adhuc relin-
„ quetur annus ille 42. Herodis morti & ini-
„ tio Archelaï aſſignandus.

„ Idem cognoſcere eſt ex annis Philippi
„ Tetrarchæ, qui & ipſe, ut jam videbimus,
„ paterni regni partem habuit. Obiit enim il-
„ le Philippus anno Tiberii 20. cùm anuis
„ præfuiſſet 27. Joſeph. lib. 18. cap. 6. cœpit
„ vero Tiberius regnare anno Jul. 59. 14. Ka-
„ lend. Septemb. ergo ejus annus 20. incidit
„ in annum Jul. 79. atqui annos 37. rexiſſe
„ Philippum dicebamus: hos ergo de 79.
„ tolle, ſupererit annus 42. quo & mortuus
„ eſt Herodes, & Philippus ejus teſtamento
„ Tetrarcha conſtitutus.

„ Alia ejuſmodi argumenta apud Decke-
„ rium, Keplerum, Petavium in libris de
„ Doct. Temp. & alios videri poſſunt quæ
„ nos de anno mortis Herodis vix ſinunt
„ dubitare, qui quidem tot characteriſmis
„ tum Hiſtoricis, tùm Aſtronomicis ſit de-
„ finitus.

„ Dies autem mortis ejus aſſignatur 7.
„ menſis Cisleu, id eſt circa Novembris no-
„ ſtri diem 25. qui ideo à Judæis feſtivus
„ habetur, quod in eo Herodes qui ſapien-
„ tes odio proſecutus eſt, mortem obierit;
„ ut ex Judæorum jejunii volumine anno-
„ taverunt viri doctiſſimi Lincleius atque
„ Uſſerius.

„ Et ſanè vix fidem faciunt qui eum circa
„ Paſchatis feſtum hujus anni 42. obiiſſe vo-
„ lunt. Certè inter hanc Lunam quæ defe-
„ cit, & alteram quæ Paſchalis feſti pro-
„ pria fuit, unicus interfuit menſis, qui au-
„ tem tantulo ſpatio, tanta præſtari potue-
runt,

runt., quanta apud Joſephum legimus? "
Etenim non ſtatim poſt hanc eclipſim "
mortuus eſt Herodes, ſed ſpe morbi ſpe- "
randi medicos advocavit, & profectus ul- "
tra Jordanem calidis aquis ſe fovebat apud "
Callirhoën. Joſeph. Antiq. 17. "

Ibi cum viſum eſſet medicis corpus ejus "
concalefacere, demiſſus in refertum oleo "
dolium, viſus eſt animam agere, ſed fa- "
miliarium clamore excitatus & ad ſe re- "
verſus, Jerichunthem repetiit. Ibid. quod "
circa æſtatis finem factum eſſe, poſſumus "
arbitrari. "

Hùc nobiliſſimos Judæorum undique edi- "
cto minaci accitos concluſit in hyppodro- "
mo, datis mandatis Salomæ ſorori & ejus "
viro Alexæ, ut ſe extincto, per milites "
interficerentur, ut populo luctus cauſa "
quæreretur, alioqui lætaturo de regis in- "
teritu. Ibid. id incipienti autumno da- "
mus. "

Interim Roma acceptis literis, poteſtas il- "
li facta eſt in Antipatrum filium animad- "
vertendi. quo audito paululum recreatus eſt; "
ſed mox repetitis doloribus cultro ſe ferire "
tentavit. Ibi cum trepidatum eſſet, ſtrepitum "
perſenſit Antipater & quaſi patre jam ani- "
mam agente, de laxandis vinculis cum cu- "
ſtode egit. Quod cum renunciatum eſſet "
Regi, irâ ille percitus caput vulneravit, "
erectuſque in cubitum, Antipatrum juſſit "
occidi. Ibid. "

Deinde mutatâ voluntate, mutavit etiam "
teſtamentum. Antipam enim quem priori- "
bus tabulis regni ſucceſſorem deſtinaverat, "
Galilææ tantum ac Perææ Tetrarcham "
conſtituit, regnum Archelao largitus: Phi- "
lippo filio, Gauloniticam, Trachoniticam, "
Batanæam & Panæada regiones, Tetrar- "
chiæ nomine aſſignavit. Ibid. "

„ His ita ordinatis quinta die poſtquam oc-
„ cidiſſet Antipatrum, moritur Herodes, &
„ Salome priuſquam regis mors innoteſceret,
„ in hippodromo concluſos dimiſit, dicens
„ ita ipſum juſſiſſe, ibid. quibus omnibus
„ nemo ſuccenſebit, ſi duorum item menſium
„ ſpatium tribuamus, atque ita ipſum ver-
„ tente Novembri mortuum ſentiamus, ut
„ ex dicto jejunii volumine ſuprà refereba-
„ mus.

„ Indicata regis morte, congregataque om-
„ ni militia, regis teſtamentum militibus le-
„ gitur, & Archelaüs rex ſalutatur. Antiq.
„ l. 17. c. 10.

„ Poſt hæc funus præparabatur Regi, Ar-
„ chelao procurante ut exequiæ patri fie-
„ rent quàm ſplendidiſſimæ. ibid. Id autem
„ quis non videt non paucorum eſſe die-
„ rum?

„ Ferebatur corpus per 200. ſtadia, Jeri-
„ chunte in Herodium Caſtellum, octo ſta-
„ diis diebus ſingulis confectis. 1. Belli cap.
„ ult. cum 17. Antiq. 10. ferebatur autem in
„ lectica aurea, diſtincta variis gemmis pre-
„ tioſis, inſtrata purpura. Ibid. quibus rebus
„ parandis & ordinandis inſumptam majo-
„ rem hyemis partem, credere par eſt.

„ Finita funebri pompa, Archelaüs Hiero-
„ ſolymam veniens, per ſeptem dies, de
„ more, luctum patris celebravit. Quibus fi-
„ nitis epulum multitudini præbuit. Deinde
„ in templum aſcendens, quacunque tranſi-
„ bat, gratulationibus ac fauſtis acclamatio-
„ nibus excipiebatur. Ibid. Vides ergo paca-
„ tiſſimam urbem, necdum aliquid turba-
„ rum ortum, quarum tamen ſemina late-
„ bant.

„ Tum conſcenſo ſuggeſtu, plebem benigniſ-
„ ſimè eſt allocutus, præclariſſima quæque
pro-

promittens, & ſacrificio peracto, convivium cum amicis celebravit. Ibid.

Judæi, ſicut vulgus aſſolet, quò benigniùs eos Archelaüs alloquebatur, eò majoribus eum ferebant laudibus, poſcebantque ſibi ab illo varia beneficia: quidam etiam eos dimitti, quos Herodes non paucos vinxerat; quorum ille nihil negabat. Ibid.

Interea quidam novarum rerum ſtudio convenientes deflebant Matthiam & ſocios ejus ab Herode occiſos, quos ſtatim ab eorum morte luctu honorare non potuerant metu ejus coërciti οἳ [illegible] χρῆμα τῆς εἰς τὸ πενθεῖσθαι τιμῆς φόβῳ τοῦ ἐκείνου ἀπεστέρηντο. Ibid. cap. 11. Vides ergo ut iſtorum mors cum eclipſi, de qua ſuprà agebamus, conjuncta, ab hoc Judæorum luctu ſecernatur; atque adeò ab eorum commotione dividenda ſit.

Tum convicia in defunctum regem jactabant, quoſdamque illius amicos ac pœnam depoſcebant. Ibid.

Hos cum diu fruſtra placare Archelaüs conatus eſſet, res eò denique proceſſit, ut inſtante feſto Paſchatis, immiſſo ab Archelâo toto exercitu, ad tria millia virorum circa templum interfecti ſint. Ibid.

Patet ergo Paſcha de quo hìc mentio ſit, non illud eſſe quod defectionem Lunæ ſuprà memoratam proximè ſequebatur, ſed alterius anni, hoc eſt Juliani 43. Per. Jul. 4711. tum nec mortem Herodis Paſcha anni Juliani 42. præcedere potuiſſe, nec cum Paſchate anni 43. conjunctam, ſed mediam inter utrumque, ut fides omnino illis tribuenda ſit, qui eam menſi Ciſleu ſive Novembri adſcribunt.

Chriſtum verò menſe Decembri & die 25. hujus menſis natum, conſentiens fuit ſemper cum orientalis, tum occidentalis Eccleſiæ autoritas. Cum

„ Cum igitur Chriſti natalis neceſſariò
„ mortem Herodis anteverterit, patet eam
„ non poſteriori anno adſcribendam quàm
„ cadenti Juliano 41. Auguſti 40. à con-
„ ducto ſuis ſumptibus exercitu, qui ſit in
„ Per. Jul. 4709. & ab orbe condito ex no-
„ ſtra ratione 4000. ab autumno præcedenti
„ inchoatus, ita ut verus Chriſti natalis vul-
„ garis æram quadriennio toto antevertat.
„ qua in re conſentientes habemus ſummos
„ Chronologos Deckerium, Petavium, Bu-
„ cherium, Uſſerium, immo & veterum
„ annales apud Epiphanium hær. 51. ac
„ pervetuſtum Chronologum qui ante annos
„ 1400. floruit, ut refert Tyrinus, qui ean-
„ dem ſententiam pluribus fulſit in ſuo Chro-
„ nico; eam optimè quadrare cum omnibus
„ ſacris & prophanis Hiſtoriis ac Chronolo-
„ giis affirmans, quod nulli, inquit, alteri
„ ſententiæ convenit. Quin addit fore ut in
„ illam irent penè omnes, niſi difficulta-
„ tem moveret annus 15. Tiberii, cui putat
„ baptiſmum Chriſti aſſignandum, quod ta-
„ men minime dixit Evangeliſta qui id unum
„ aſſerit, hoc anno Joannem prodiiſſe ad
„ miniſterium; verum illud poſtea diligentius
„ examinabimus.

„ Ex his autem promptum eſt colligere
„ Chriſtum in Ægypto exulaſſe per anni ferè
„ circulum, quandoquidem ſtatim à purifi-
„ catione, hoc eſt menſe Februario anni
„ Juliani 42. aufugiſſe videtur, nec ante finem
„ ejuſdem anni, vel initium ſequentis re-
„ diiſſe, erat enim ibi uſque ad obitum Hero-
„ dis, inquit Evangeliſta, Matth. 2. 15. quo
„ tandem defuncto Angelus Domini apparuit
„ in ſomnis Joſeph, juſſitque accipere puerum
„ & matrem ejus, & reverti in terram Iſraël,
„ ut eſt ibidem verſ. 19. & 20. quod factum
„ ſaltem videtur antequam Archelaüs Ro-
mam

mam properaret, ſiquidem dicitur Joſephus in Galilæam ſeceſſiſſe, quia audiſſet Archelaüm in Judæa pro Herode patre ſuo regnare, nempe hoc initium regni ejus crudelitate & ſeditionibus repletum.

De Baptiſmo Chriſti, & miniſterio Joannis necnon de initio imperii Tiberii.

NAtalitii Chriſti die & anno poſito, ſupereſt ut de ejus baptiſmo quæramus; in quo nobis duo potiſſimùm ſunt inveſtiganda. Primum de initio miniſterii Joannis Baptiſtæ: deinde de tempore quo ad eum Chriſtus acceſſit.

Initium miniſterii Joannis anno 15. imperii Tiberii Cæſaris adſcribitur ab Evangeliſta; prius itaque de ejus imperii initio pauca præmittenda, ut in quod tempus ille 15. annus incidat intelligatur.

Tiberium Auguſto mortuo imperium adeptum eſſe, hactenus ab omnibus receptum fuerat, mortuum autem eſſe Auguſtum die 19. menſis Auguſti anni Juliani 59. qui ſit in Per. Jul. 4727. nemo ambigit, at hoc ſæculo novi quidam Chronologiæ Scriptores, interque hos Haruuartus, Antonius Capellus & Uſſerius, contra communem hiſtoriam Tiberii principatum aliquot annis antevertunt. Uſſerius puta biennio toto, hocque ipſis præſertim argumentis ille aſtruit.

Quod ante mortem Auguſti Tiberio Proconſulare imperium datum ſit, lege per Conſules data, ut provincias cum Auguſto communiter adminiſtraret, ſimulque cenſum ageret, ut ſcribunt Sueton. cap. 21. & Vellejus lib. 2. cap. 121. quod Auguſtus ætate jam gravis Germanicum Senatui, Senatum ipſi Tiberio, utpote jam principi, ſcripto commendarit, ut narrat Dio

 lib. 59.

„ 59. Quod Tiberius urbis curam tum L. Piſo-
„ ni commiſerit, cum apud ipſum jam prin-
„ cipem, ut refert Plinius lib. 14. cap. ult. biduo
„ ille perpotaſſet: qua præfectura viginti per
„ annos probatum Piſonem Domitio Æno-
„ bardo & A. Vitellio Coſſ. hoc eſt anno æræ
„ Chriſtianæ 32. mortuum eſſe confirmat Taci-
„ tus Annal. 6. 11. ita ut principatus Tiberii ab
„ anno ſaltem ejuſdem æræ 12. arceſſendus ſit
„ biennio ante mortem Auguſti.
„ At quanquam fateamur jampridem plera-
„ que ſummi imperii ornamenta in Tiberium
„ collata; ejuſmodi tamen fuere, quæ citra
„ ampliſſimum faſtigium aliis quoque con-
„ ceſſa ſunt: nec αὐτοκρατορικὸν jus, aut abſo-
„ lutam potentiam illum ante mortem Augu-
„ ſti obtinuiſſe quiſquam probabit, ut ipſe
„ quoque fatetur Uſſerius, unde illud con-
„ ſequens eſt annos ejus imperii ab ea demum
„ Auguſti morte eſſe dinumerandos.
„ Sanè ſi vivente Auguſto imperium jam &
„ ſummum principatum conſecutus eſſet Ti-
„ berius, quo illa tanta Liviæ ſollicitudo in
„ Auguſti morte celanda donec Tiberius ad-
„ veniſſet, aut cur eo jam præſente ſimul ex-
„ ceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem
„ fama eadem tulit, ut narrat Tacitus (Annal.
„ lib. 1. cap. 5.) ſi duo hæc tempore ſint
„ dividenda? Quin ab eodem cur novi princi-
„ patus novum facinus mors poſthumii Agrip-
„ pæ dicitur, ſi non inde initium imperii
„ Tiberii arceſſendum eſt? Cur tum primum
„ Conſules in verba Tiberii juravére? ut ipſe-
„ met ait ibid. cap. 7. & de renovando per an-
„ nos ſacramento in nomen Tiberii actum eſt?
„ ut addit cap. 8. Cur denique perplexa &
„ obſcura ratione imperium à ſe rejecit Tibe-
„ berius? ut eſt capite 11. Si jam adeptus erat,
„ ſolamque divi Auguſti mentem tantæ molis
„ capacem ait, ſi non Auguſtus ſolus, ſed ipſe
cum

cum Auguſto æquè adminiſtraret imperium? " de quo audiendus etiam Suetonius, poſt " mortem Auguſti, inquit, tandem quaſi co- " actus & querens miſeram, & oneroſam ſer- " vitutem recepit imperium, nec non Velleius " lib. 2. una tamen veluti luctatio civitatis fuit " pugnantis cum Cæſare, Senatus Populique " Romani, ut ſtationi paternæ ſuccederet, ex " quibus omnibus ſatis apparet, quàm falſum ſit " Tiberium jam antea ſuſcepiſſe imperium. "

Hoc ipſum confirmat Spartianus ubi de " M. Aurelio Antonino Philoſopho, & L. " Vero loquens: hos primos eſſe ait qui pariter " & Rempublicam adminiſtrarent, & Auguſti " appellati ſint, id quoque nummorum & " lapidum inſcriptiones loquuntur, qui ad " decimam ſextam Tribunitiam Tiberii pote- " ſtatem, qua mortuus eſt Auguſtus, Tiberium " Auguſti filium, ac deinceps etiam Auguſtum " appellant. "

Quin ipſamet quæ inter eos eſt diſſenſio, " qui Auguſto ſuperſtite Tiberium imperaſſe " contendunt, ſatis arguit rem prorſus eſſe va- " nam ac ſine fundamento excogitatam, cum " alii duos annos imperii, alii tres, alii quatuor " ante mortem Auguſti ei tribuant, faſtoſque " contra venerandæ antiquitatis fidem turbent " ac mutilent ut ad ſuas rationes calculi " dirigantur. Quæ comminiſcendi libertas, ſi " ſemel admiſſa ſit, nemo non videt quantum " hiſtoriis luculentioribus, probatioribuſque " autoribus periculum immineat, cum vix " tandem ſua veritati ratio interea conſtare " poterit, ut taceam ridiculum prorſus eſſe, " opinari Evangeliſtam, eam imperii Tiberii " epocham iniiſſe quæ demum 17. poſt ſæculo, " idque novo horum autorum favente lumine " hominibus innoteſceret. "

Patet itaque Tiberii principatum ab " Auguſti morte omnium conſenſu rectè " nu- "

„ numeratum ſemper fuiſſe, fruſtraque omni-
„ no fieri, ut ab alia epocha decimus quin-
„ tus ejus annus à ſancto Luca memoratus,
„ repetendus putetur.
„ Si ergo, ut diximus, mortuus eſt Augu-
„ ſtus die 19. menſis Auguſti anni Jul. 59.
„ æræ vulgaris 14. ſequitur annum 15. Ti-
„ berii præcisè ſumptum incipere item ab
„ menſe Auguſto anni Jul. 73. æræ vulga-
„ ris 28. Neque ab hoc calculo recedunt qui
„ volunt Evangeliſtam annos Tiberii more
„ Judaico numerare, principio ſcilicet à præ-
„ cedenti menſe Niſan facto; nam 15. ille
„ annus etiam ſic à Niſan anni Jul. 73. ad
„ eundem Niſan anni 74. extendetur.
„ Cœptum verò fuiſſe Joannis miniſterium
„ maxime probabile eſt die illi convenientiſſi-
„ mo menſis 7. die 10. (circa Octobris no-
„ ſtri diem 19.) qui & pœnitentialis fuit,
„ cum ſolemni jejunio conjunctus, in quo
„ qui animam ſuam non affligeret exſcin-
„ dendus erat è populo: & expiatorius,
„ quo ſummus Sacerdos ſolus in Sancta San-
„ ctorum ingrediebatur, oblato ſanguine popu-
„ li peccata expiaturus: idemque ille dies eſt
„ quo tuba per totam terram perſonante, Ju-
„ bilæus indicendus mandatur, Levitic. 25. 9.
„ Chriſtum verò baptizatum eſſe 6. Janua-
„ rii, antiqua, & conſtans eſt ſanctorum
„ Patrum ſententia, idque agnoſcit & canit
„ Eccleſia ea ipſa die; quæ ob id maxime ab
„ antiquis Θεοφανία dicta eſt, quod in ba-
„ ptiſmo Chriſti ſpecie quadam ſenſibili ſan-
„ ctiſſima Trinitas innoteſcere voluerit.
„ Verum, utrum id Januario proxime ini-
„ tium miniſterii Joannis ſequenti factum
„ ſit, an altero demum, minimè declarat
„ Scriptura. In hanc alteram partem nos ma-
„ gis inclinamus; nam non modicum ſpatium,
„ ſed plenum prædicationis circulum ante
„ Chri-

Chriſti adventum à Joanne fuiſſe confectum Pauli verba indicare videntur Actor. 13. 25. quo impleret Joannes curſum ſuum dicebat, quem me arbitramini eſſe non is ſum ego; ſed ecce venit poſt me, &c. quod ex verbis quoque Gabrielis Archangeli ad Zachariam de Joanne conjicere poſſis: eum nempe converſurum corda Patrum in filios, & rebelles ad prudentiam juſtorum, ut pararet Domino plebem perfectam (ſive inſtructam) Luc. 1. 17. Sanè Joanni majuſculo opus erat ſpatio, ut ſic Chriſto Iſraëlem præpararet, nam qui in deſertis ſemper fuerat abditus uſque ad diem oſtenſionis ſuæ, quique nullum fecerat ſignum tantæ tam ſubitò authoritatis evadere vix poterat, ut ſicuti Lucas teſtatur, cogitarent omnes in cordibus ſuis ne forte ipſe eſſet Chriſtus cap. 3. 15. quin & ipſamet narratio Evangeliſtæ, inter vocationem Joannis & baptiſmum Chriſti, multa interceſſiſſe ſatis apertè declarare videtur, immo nec Chriſtum prius ad eum acceſſiſſe quàm omnis populus eſſet baptizatus Luc. 3. 21. ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος inquit, deſcendit Spiritus ſanctus in ipſum, & vox Patris de cælo facta eſt, qua manifeſtavit eum.

Adde quod tempus mortis Chriſti de baptiſmi ejus anno ſatis apertè nos monere videatur, cum, ut probabitur deinceps, neque prædicationem ejus ab hoc ipſo baptiſmo longius ſejungere, neque pluſquam quatuor Paſchata illi attribuere conſentaneum ſit, nec denique ejus mortem alio quàm æræ vulgaris anno 31. aſſignari poſſe arbitremur, ut poſteadeclarabitur

Baptizatum ergo credimus Jeſum anno Jul. 75. imperii Tiberii 16. æræ vulgaris Chriſtianæ 30. cum ille jam trigeſimum tertium ætatis impleſſet annum, & 34. inchoaſſet.

,, Neque eſt quod nobis quis locum illum
,, objiciat Luc. 3. 23. qui de Chriſti baptiſmo
,, cum loqueretur ait, & ipſe Jeſus erat quaſi an-
,, norum triginta, incipiens καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς
,, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, ἀρχόμενος, nam primò
,, illud ἀρχόμενος incipiens, non ad ætatis
,, annum referendum eſſe, ſed ad miniſterium
,, Chriſti qui tunc incipiebat palam prodire &
,, Meſſiam agere, jam olim notarunt Juſtinus,
,, dialogo cum Tryphone, Origenes, Euthy-
,, mius, Beda, & alii ac fere plerique omnes
,, jam docti conſentiunt, & ſanè vix feras qui
,, dicat, εἰμὶ ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα, pro
,, ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα, ſive ἄρχομαι τοῦ
,, ἔτους τριακοστοῦ, quin & ipſe Lucas alibi ſatis
,, ſuam mentem aperit, qui cum de vita
,, publica & miniſterio Jeſu loqueretur, eodem
,, verbo uſus dixit, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσμα-
,, τος Ἰωάννου, incipiens à baptiſmate Joannis,
,, unde etiam illis reſpondere poſſis qui volunt
,, Chriſtum poſtquam baptizatus eſt, adhuc
,, per aliquot annos quaſi privatum vixiſſe:
,, in quorum numero Uſſerius & Salianus à
,, quibus hac in parte libenter diſcedimus.
,, Deinde ad trigeſimum annum ſibi aſſig-
,, natum, quod ſpectat, rotundo numero
,, utentibus aliquos annos omittere uſitatum
,, eſſe nemo ambigit. Id autem præcipuè ab
,, Authoribus ſacris uſurpatum nos docet
,, Auguſtinus, quæſt. 47. in Exod. Scriptura,
,, inquit, ſolet tempora ita nuncupare, ut
,, quod de ſumma paulatim aut excreſcit, aut
,, infra eſt non computetur. Sic hodie quoque
,, ſeptuaginta dicuntur Diſcipuli Chriſti,
,, & ſeptuaginta Interpretes ſacrorum Codi-
,, cum, quos revera 72. fuiſſe ſcimus. Sic
,, etiam apud Romanos Collegium Centum-
,, virûm dicebatur, cum tamen conſtet in eo
,, fuiſſe centum & quinque Judices: tres
,, nempe

nempe ex ſingulis tribubus quæ erant 35. Sic denique in antiquis omnibus quos viderim breviariis, dicitur B. Auguſtinus baptizatus anno ætatis ſuæ triceſimo, vel ut in quibuſdam legitur, circiter triceſimo, cum revera jam 33. adimpleſſet, ipſomet teſtante (lib. 19. Confeſſ. cap. 11. num. 3.) quem eundem 30. numerum pari modo ab Evangeliſta hic uſurpatum, jure licet opinari; cum non ſimpliciter dixerit Chriſtum fuiſſe cum baptiſmum adiret, annorum triginta, ſed quaſi triginta. Immo quod magis mirêre, vir acris ingenii Tertullianus, rerum Theologicarum peritiſſimus, tribus quoque annis, ſed aliter ſumptis, ab illa rotundi numeri ſumma, recedere ſibi licitum eſſe putavit; cum dixit Chriſtum anno Tiberii 12. baptizatum. quod cur putaverit aperiemus infrà.

Certè illud ὡσεὶ, quaſi, aliquam ſemper ex ſeſe permittere libertatem nemo eſt qui negare poſſit, aliter enim fruſtra omnino apponeretur, ſic cum apud Matthæum cap. 17. & apud Marcum cap. 9. legas Chriſtum poſt ſex dies, ab inſtituto ſcilicet ſermone, eſſe transfiguratum: Lucas tamen hac ſua iterum uſus particula refert id factum eſſe poſt hæc verba ὡσεὶ quaſi dies octo. Adeo manifeſtum eſt eam numeros præcisè ſumptos non indicare.

Cum itaque hæc ea ubique hujus particulæ vis ſit, procul dubio cum rotundis præfigitur numeris, id præcipue efficere & majorem adhuc latitudinem complecti fatendum eſt. Unde valde veriſimile fit non tam certum ætatis annum, hic præcisè definire voluiſſe Lucam, quàm illam decadem à qua tum propius aberat Chriſtus indicare. Quod eo videtur feciſſe conſilio, ut triplici hoc annorum ordine, myſterium ſan-

„ ſanctiſſimæ Trinitatis, quod hoc in ſa-
„ cramento præcipue eminet, indicaret. Unde
„ etiam forte factum eſt ut Chriſtus poſt tres
„ non tantum decadas, ſed monadas etiam,
„ hoc eſt poſt annos ætatis 33. baptizari
„ voluerit.
„ Nam quod quidam dixere illud, quaſi,
„ eſſe pro Caph veritatis Hebræorum, ut
„ vocant, ſicut cum dicitur gloriam quaſi
„ unigeniti à Patre Joan. 1. adeoque præcisè
„ hic annum triceſimum denotare, vix eſt qui
„ ſibi perſuadeat. Illud enim Caph Græci
„ per ὡς exprimunt δόξαν ὡς μονογενῦς: cum
„ contra hic non ſit ὡς ſed ὡσεὶ, quod nu-
„ mero & menſuræ additum, non modi-
„ cam, ut vidimus, permittit libertatem.
„ Itaque nihil omnino certi ex hoc Lucæ
„ loco concludi poſſe quod ad ætatem Chriſti
„ pertineat manifeſtum eſt, ut unum nobis
„ reliquum ſit, non ex anno baptiſmi nativi-
„ tatem, ſed ex ipſa potius nativitate,
„ prædicatione ac morte denique, an-
„ num baptiſmi inveſtigare. Quod tamen
„ antiquis fere impoſuit, qui nulla ſcrupuloſi-
„ tate triceſimum Chriſti annum cum 15.
„ imperii Tiberii conjungentes Herodis morte
„ multum poſteriorem nativitatem ejus inde
„ effici non animadvertebant: quem tamen
„ in diebus Herodis natum omnino fateri
„ neceſſe eſt, ſi credimus Evangeliſtæ.
„ Verum in eo nihil eſt admodum quod eis
„ debeat imputari, nam cum de ſcriptis primi
„ ſæculi nihil certi habeamus quod pertineat
„ (nempe qui Chriſtum vel ejus Apoſtolos
„ viderant, non magnopere talium ſcriptione
„ opus eſſe arbitrati: magis gerendis rebus
„ quàm ſcribendis ſeſe dabant.) Qui poſtea
„ ad ſcribendum animum applicuerunt,
„ deſtructo jam regno Judæorum Romanæ
„ ditionis ipſi facti, minus de annis Herodis
curioſi

curioſi fuere: atque ideo ad Romanorum annos ſingula referre ſatis eſſe opinati ſunt: cum nemo de diſſenſu hiſtoriarum eos admoneret, ex quibus tamen, vel ea quæ ad annos vitæ Chriſti pertinent, nos quærere debere monet Auguſtinus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 28.

De annis miniſterii ac mortis Chriſti.

CHriſtum tres integros prædicationis ac miniſterii ſui annos adimpleſſe, atque adeo quatuor Paſchata celebraſſe jam ab antiquis temporibus recepta ſententia eſt. nam Euſebius in Chronicis Græcis expreſſè ait Evangelium Joannis trium annorum tempus prædicationis Chriſti extitiſſe teſtari, quod etiam confirmat Chronicon Alexandrinum, ubi nota non ſolum triennium ipſos intellexiſſe, ſi Chriſtum voluerunt, ut antiqua fides obtinet, baptizatum ſexto Januarii die, unde aliquid quoque de anno quarto delibatum teſtatur idem Euſebius Hiſtor. lib. 1. cap. 10. Cum per ſucceſſiones Pontificum probare vult univerſum prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti. Hinc eſt quod Beda lib. de Temp. Ratione cap. 45. ex vulgari fidelium & Eccleſiæ ſenſu aſſerit Chriſtum tres, & ſemi annos poſt baptiſma prædicaſſe, ſicut Joannes in Evangelio ſuo, commemorato redeuntis Paſchæ tempore perdocet.

Et ſanè nimium coarctare Chriſti geſta videntur qui anno, vel etiam duobus annis ea circumſcribunt, & longiori rurſus quàm par eſt ſpatio diſtendere qui annis quatuor & quinque Paſchatibus contineri putant.

Primum enim Paſcha miniſterii Chriſti patet illud eſſe quod Joannis 2. 12. deſcribitur,

„ tur, in quo vendentes ejecit de templo.
„ Secundum quod ejuſdem cap. 5. habetur,
„ in quo languidum 38. annorum ſanavit,
„ nam per diem feſtum, hic Paſcha intelligi
„ antiquiſſimus autor eſt Irenæus lib. 2. ad-
„ verſus hæreſ. cap. 29. Similiter Euſebius
„ Demonſtr. Evangel. lib. 8. Hieron. Theo-
„ doret. in 9. Dan. & Rupertus ad memo-
„ ratum Joannis cap. 2. Quam opinionem
„ ſequuntur Toſtatus, Paulus Middelbur-
„ genſis, Salmeron, Toletus, Pererius, Ma-
„ riana, Gagnæus, Baronius, Salianus,
„ uterque Janſenius, ac tot alii, quod vel
„ ex ipſo Evangelii textu patebit, ſi quis
„ inter ſe locos Matth. 22. 1. Marc. 14. 2.
„ & 15. 6. Luc. 23. 17. ac Joan. 6. 4. con-
„ ferat.
„ Tertium itaque Paſcha erit illud quod
„ Joan. 6. notatur quando quinque panibus
„ quinque millia hominum ſatiavit.
„ Et quartum in quo ipſe oblatus eſt Chri-
„ ſtus Matth. 26. Marc. 14. Luc 22. Joan.
„ 13.
„ Mors autem ejus vix alteri anno adſcri-
„ bi poteſt quàm Juliano 78. æræ vulgaris
„ 33. qui ſit in Per. Jul. 4746. Etenim Chri-
„ ſtus ad veſperam Lunæ 14. primi menſis
„ Paſcha immolavit cum Diſcipulis ſuis,
„ quod ſacrum teſtatur eloquium, idque fe-
„ ria 5. & ejus mors quæ in craſtinum ſecu-
„ ta eſt, in ſextam feriam incidit, ut antiqua
„ & conſtans totius Eccleſiæ fides obtinet.
„ Nam quod Dominus Luna 15. feria 5. cru-
„ cem aſcenderit, ut olim Beda teſtatus eſt,
„ & una Sabbathorum, id eſt die Dominica,
„ reſurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare
„ Catholico. Lib. de Temp. Ratione cap. 45.
„ At ex omnibus iis annis qui in contro-
„ verſiam venire poſſunt, puta ab Juliano
„ 76. ad uſque 80. nullus reperitur alius,
cujus

cujus prima, vel etiam ſecunda Luna (ne "
quis immaturas fruges aut aliud quippiam "
cauſetur) plena eſſe poſſit hac 5. vel 6. fe- "
ria. Id calculo aſtronomico uti ſcientibus cla- "
rè demonſtratum eſt, & ſequens etiam in- "
dicat Tabula, in quo duo Novilunia ha- "
bes annis ſingulis de quibus dubitari poteſt, "
præpoſita ex quibus unum neceſſario me- "
dium, ſive aſtronomicum initium ſit menſis "
Niſan (medium, inquam, nam quod "
inæquabili progreſſione ſigniferum orbem "
Luna perageret, modoque lentius, modo "
celerius agatur, ex diſparibus illis interval- "
lis mediocrem quendam motum elegerunt "
Aſtronomi, quem medium appellarunt, uni- "
formemque conſtituerunt) habes autem "
ferias annotatas Romano more à media "
nocte incipientes, quibus item adjunctæ "
ſunt feriæ juxta rationem Judaïcam ordi- "
natæ, hoc eſt à veſpera inchoatæ; unde "
fit ut Neomenia quæ in unam feriam Ro- "
manam incidit, in ſequentem interdum "
Judaïcam cadat, quod ideo præſtitimus, "
ut dubitationi, aut errori nullus omnino "
relictus eſſet locus. "

Anni

Anni Per. Jul.	Æræ Vulg	Julianæ correction.	Cycli Solis.		Dies.	Hor.	Min.		Fer. Rom.	Fer. Jud.
4744	31	76	12	Mart.	12	6	48''	51''	2	2
				April.	10	19	32	55	3	4
4745	32	77	13	Mart.	30	4	21	34	1	1
				April.	18	17	5	38	2	2
4746	33	78	14	Mart.	19	13	10	14	5	5
				April.	18	1	54	18	7	7
4747	34	79	15	Mart.	8	21	58	53	2	3
				April.	7	10	42	53	4	4
4748	35	80	16	Mart.	28	19	31	35	1	2
				April.	26	8	15	39	3	3

Hoc ergo anno Juliano 78. æræ vulga- “
ris 33. Neomenia vera contigit Hieroſoly- “
mis juxta Tabulas Pariſinas 19. Martii “
poſt meridiem feria hebdomadarum noſtra- “
rum 5. atque adeo plena non fuit Luna ni- “
ſi ſecunda Aprilis feria item 5. ſub veſpe- “
ram : ſiquidem Luna medium circulum , “
hoc eſt à conjunctione ad oppoſitionem per- “
ficit diebus 14. horis 18.22,,. 2,. quod etiam “
rudiori rationi congruit, ſi quis malit Ju- “
dæos non per verum calculum , ſed per “
φάσιν ſeu viſionem lunationes obſervaſſe. “
Nam cum ſaltem poſt 27. horam & dimi- “
diam à Novilunio vero, neceſſaria quaſi “
φάσις Lunæ ſit ut ipſimet Judæi docent in “
ſuis commentariis : ſi primus dies Lunæ “
hujus numeratus eſt illis 20. Mar- “
tii noſtri, 14. ejuſdem Lunæ dies ad “
veſperam 2. Aprilis pertinuit. Debuit au- “
tem agnus immolari inter duas veſperas, “
hoc eſt ſub noctem illam, diem 14. ter- “
minantem, & 15,,. aperientem, qua nocte “
poſt agnum primum in Ægypto mactatum “
primogeniti cæſi ſunt, & filii Iſraël egreſ- “
ſi, ut Exodi cap. 12. & Numer. 3. legenti “
fiet manifeſtum. “

Peregit itaque Paſchale Sacramentum ſer- “
vator noſter legitimo tempore, hoc eſt ad “
veſperam Lunæ 14. quippe legis obſervan- “
tiſſimus, quam non ſolvere venerat, ſed “
adimplere, an autem eodem quo cæteri Ju- “
dæi die, magna quæſtio apud eruditos, “
quam ingredi nihil ad Chronologiam atti- “
net. Mortuus eſt quidem certè Luna 15. “
feria noſtrarum 6. die 3. Aprilis noſtri, “
eo quo diximus anno æræ Chriſtianæ 33. “
imperii Tiberii 19. Qua in re ut autorita- “
tem rationi conjungamus, conſpirantes ha- “
bemus Toſtatum, Burgenſem, Lucidum, “
Pererium, Harvillæum, Scaligerum, Tem- “

„ porarium, Calviſium, Uſſerium, Salianum, & alios prope innumeros. Immo & „ ex antiquis Euſebium, atque Hieronymum „ ut infrà patebit.

„ Stabilito itaque nativitatis Chriſti anno „ nec non mortis ejuſdem iis argumentis, quæ „ ni fallor, non ita facile labefactari poſſunt: „ concludendum videtur eum vixiſſe non „ quidem annos 33. ut volunt plerique mediæ „ ætatis autores, & vulgaris æræ propugnatores (ut de aliis opinionibus taceam, de „ quibus mox) ſed annos 36. menſes 3. dies „ 9. & horas 15. ab media ſcilicet nocte „ viceſimum quintum Decembris diem anni „ Juliani 41. aperiente ad tertii Aprilis anni „ Juliani 78. horam Judaico more 9. noſtro 3. „ pomeridianam. Quod non aliquo carere „ ſacramento jure forſitan aliquis ſuſpicari „ poſſit, ut & in annis (tam vitæ Chriſti quàm „ æræ vulgaris, nec non Julianis) & in menſibus, & in diebus, & in Luna & in feriis, & „ in horis tam noſtro quàm Judaïco more acceptis, numeris vel ternariis, vel ex ternario „ factis ſanctiſſimæ Trinitati honor eſſet: „ quam Chriſtus omnibus ferè actibus, & operibus ſignari ſemper voluit. Immo quod adhuc mirere, ex ternario factus reperitur annorum hebdomadarum Danielis numerus, „ qui morti Chriſti congruit, ſiquidem mortuus eſt Chriſtus tribus annis ultimæ hebdomadis præciſè abſolutis & 486. ex toto numero completis. In anno medio illius ultimæ hebdomadis, hinc inde tribus aliis „ circumſcripto, ut jam conſpicuum faciemus; „ cui etiam myſterio favet quod idem voluit „ die poſt mortem tertia reſurgere.

Annus

Annus mortis Chriſti adhuc confirmatur LXX. *Danielis hebdomadibus; necnon ſtupenda illa ſolis defectione quæ tum, cum affigeretur cruci, contigit.*

TOtius noſtri calculi veritas etiam inde patet, quod ſupernaturalibus quoque firmatur rationibus, nam & eximio illo ac prophetico Danielis de Meſſia teſtimonio apprime convenit, & cum illa ſolis defectione quæ moriente Chriſto contigit optimè comparatur, ut vel ex ipſis tenebris lumen huic oboriatur. De Daniele primùm dicam.

Hic propheta ſanctiſſimus cum ſub finem anni primi Darii Medi (ab everſa ſcilicet Babylonica Monarchia) intellexiſſet ex libris Jeremiæ numerum 70. annorum captivitatis jamjam explendum, ardentiſſimis precibus confeſſioneque peccatorum & ſuorum, & popularium præmiſſam liberatione, propè jam imminentem à Deo efflagitavit. Erat is annus mundi 3767. ante Chriſtum 537. ut ex Tabulis noſtris Tomi 2. patet. Ecce tibi, Danieli aſſiſtit Gabriel Angelus. Qui ei non de hoc ſolum reſponſum dedit, ſed etiam de ſpirituali Eccleſiæ libertate Meſſiæ morte demum procuranda, ac nobiliſſimum illud ſeptuaginta hebdomadarum vaticinium edidit. Tu ergo, inquit, animadverte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper Urbem ſanctam tuam ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & un-

„ gatur Sanctus Sanctorum : ſcito ergo,* & „ animadverte ab exitu ſermonis ut iterum „ ædificetur Jeruſalem uſque ad Chriſtum „ ducem hebdomades ſeptem & hebdomades „ ſexaginta duæ erunt. Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas, „ occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt, & civitatem, „ & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce ejus venturo, & finis ejus vaſtitas, & „ poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada „ una, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio. Dan. 9.

„ His Gabrielis verbis fidem ne Judæi quidem abrogant. Manifeſtam verò de Meſſiæ „ adventu & Hieroſolymorum excidio prophetiam continent, ut Angelus qui Incarnationis Chriſti nuncius ad Virginem erat „ mittendus, Idem ejuſdem myſterii multis „ ante ſæculis præco exiſteret. Completa verò eſſe omnia quæ hic habentur de Chriſto „ ante Hieroſolymorum deſolationem manifeſtum eſt. Siquidem hæc deſolatio ejus „ urbis, Chriſti excisionem ſequitur in eadem hac Prophetia.

„ Per hebdomadas autem annorum ſeptimanas ſignificare, mos eſt Hebræis uſitatus, „ etiam nunc apud Talmudicos non infrequens. Ideo ubi de dierum hebdomade agitur, ſolet adjici dierum nomen. Hæc „ ergo ſeptuaginta hebdomades annos efficiunt 490. Verum eaſdem abbreviandas „ eſſe teſtatur Angelus, additque ab exitu ſermonis hebdomadas 7. & hebdomadas 62. „ futuras, hoc eſt 69. Quas in partes diſtribuit

„ more

more Hebræis uſitato, qui perfectum numerum ſcindere ſolent; ut cum Ezechielis 45. 12. dicitur, porro viginti cycli, & viginti quinque cycli, & quindecim cyclimnam faciunt. "

Quod vero ait ab exitu ſermonis, idem eſt atque à promulgatione edicti: id enim exire eſt: ut cum in eodem Propheta cap. 2. v. 13. dicitur & egreſſa ſententia ſapientes interficiebantur, & cap. 6. 7. Conſilium inierunt omnes Principes ut decretum Imperatorium exeat, & edictum. Et Lucæ 2. v. 1. exiit edictum à Cæſare Auguſto, atque adeo poſt finitas 69. hebdomadas ab emiſſo edicto, tolli Chriſtus debebat, & quidem in medio hebdomadis LXX. ita ut ab egreſſu edicti ad Chriſtum ducem, anni eſſe debeant ſolidi 483. ad ejus mortem 486. ut demum paſſus fuerit currente anno 487. qui medius eſt annus hujus ultimæ, ſive ſeptuageſimæ hebdomadis. "

Quærendum igitur quodnam ſit illud edictum, quatuor enim omnino reperiuntur, primum Cyri, alterum Darii Hyſtaſpis. Tertium & quartum Artaxerxis. At Cyri & Darii edicta de reſtaurando Templo ſunt, non de reædificanda urbe. Et Artaxerxis primum quod Eſdræ datum eſt anno regni ejus 7. de Templo & ſacrificiis eſt, ut legitur 1. Eſdræ cap. 7. ergo de ultimo ejuſdem Artaxerxis edicto id intelligi debet quod de urbe, & muris ædificandis loquitur. Exivit autem illud Artaxerxis edictum anno imperii ejus 20. menſe Niſan, ut eſt Nehemiæ 2. 1. "

Tres autem inter reges Perſidis Artaxerxes eſſe poſt Darium Hyſtaſpis reperiuntur, nempe Longimanus, Mnemon, & Ochus. At Mnemon regnum obtinuit anno Periodi Jul. 4310. ante Chriſtum 404. ideoque "

„ annus ejus 20. incidit in annum Per. Jul. „ 4329. quem non admittit vita Nehemiæ, „ qui unus eorum erat qui jam ſub Cyro „ cum Zorobabele aſcenderunt (1. Eſdr. 2. 2.) „ anno Per. Jul. 4178. Immo ſi dicto anno 4310. „ (in quem 20. Mnemonis, ut diximus, „ cadit) addantur anni 486. quot ab edicto „ de quo agitur ad mortem Chriſti fluxiſſe „ diximus, exibit numerus 4814. qui eſt 31. „ poſt Jeroſolymitanum excidium, ante „ quod nemo negabit paſſum eſſe Chriſtum, „ niſi huic Prophetæ omnem fidem abroga- „ re velit; de hoc ergo Artaxerxe non lo- „ quitur Nehemias, multo minùs de Ocho „ ejus filio. Ergo de Artaxerxe Longimano, „ Darii Hyſtaſpis nepote, ſermonem inſtitui „ manifeſtum eſt, qui, ut ſuprà oſtendimus, „ regnum iniit anno Per. Jul. 4241. ita ut „ 20. ejus annus incidat in annum Per. Jul. 4260. „ & mundi ex noſtro calculo 3550. Si ergo „ dictis numeris adjicias 69. hebdomades „ annorum, hoc eſt annos 483. habebis an- „ num mundi 4033. Per. Jul. 4743. quo ſu- „ prà demonſtravimus baptizatum eſſe Chri- „ ſtum, qui ſtatim ducis officio fungi cœpit.

„ Quoniam itaque menſe Niſan exiit edi- „ ctum illud Artaxerxis Nehemiæ datum (2. „ Eſdr. 2.) ab eodem Niſan anni hujus, hoc eſt à „ primo Paſchate quod Chriſtus poſt baptiſma „ celebravit Joan. 2. primum annum ſe- „ ptuageſimæ & ultimæ hebdomadis incipere „ par eſt, in qua fœdus confirmatum eſt multis, „ cum adhuc à baptiſmo ferè privatus, & per- „ paucis agnitus fuiſſet Jeſus. Paſcha autem „ noſtrum Chriſtus, legalibus omnibus ſacri- „ ficiis hoc unum præfigurantibus fine impoſi- „ to, immolatus eſt ineunte anno 4. ſive medio „ poſtremæ ejuſdem ſeptimanæ, ut Angelus „ prædixerat, atque ita annus ille quartus cum „ Juliano 78. Periodi Jul. 4746. æræ vulgaris „ 33. concurrit, quibus ſuprà mortem

Chriſti convenire demonſtravimus. “
Quantum ergo Danielis Prophetia cum “
noſtro calculo conveniat, puto me aperuiſſe “
ſatis. Quæ contra objici ſolent ſolvam “
poſtea. Nunc ad defectionem ſolis quæ “
Chriſto patiente contigit, venio. Nam “
cum tenebras illa die factas eſſe ſuper uni- “
verſam terram ab horâ ſextâ uſque ad ho- “
ram nonam teſtentur Evangeliſtæ, hunc “
etiam annum gentium Scriptores, ut Chro- “
nici Alexandrini verbis utar, ſignarunt & “
conſtanter affirmarunt terræ motum exti- “
tiſſe, quos inter ſpeciatim eſt Phlegon qui “
Olympiadas concinnavit; hic in 13. volu- “
mine ita ſcribit 202. Olympiad. anno 4. ecli- “
pſis ſolis magna fuit quantą nunquam antea “
contigiſſe legitur, nox enim hora ſexta diei “
tanta fuit, ut etiam aſtra in cœlo apparerent, “
ingentique tremore terra mota eſt circa Bythi- “
niam. Hæc Phlegon qui norat, inuſitatam “
hanc & planè extraordinariam ſolis defe- “
ctionem fuiſſe, &c. Erat autem Phlegon Ha- “
driani Libertus, cujus in hac re teſtimonium “
tanti ſe facere dicebat Onuphrius, quanti “
cujuſcumque alterius poſt Evangeliſtas, “
cujuſque etiam verba habes apud Euſeb. “
nec non Hieron. in ſuo Chronico Euſeb. re- “
fert quidem Hieronymus ad annum Tiberii “
18. At cum de anno Olympiadis conſentiat, “
mendum in numeros irrepſiſſe videri poteſt, “
& cum Chronico Alexandrino prorſus ille “
conſentire in quo hæc ad annum Tiberii 19. “
& dictæ Olympiadis 202. annum 4. referun- “
tur. Quin & ad marginem horum Phlegon- “
tis verborum apud Euſebii Chronicum La- “
tinum, ſe in quibuſdam MSS. annum Tibe- “
rii 19. reperiſſe monet Pontacus Vaſatenſis “
Epiſcopus in ſuo Euſebio, & Anaſtaſius Bi- “
bliothecarius in ſua Chronologia, ipſiſſima “
Euſebii verba referens de anno mortis “
Chriſti non 18. ſed 19. imperii Tiberii an- “

„ num legit, ut notat idem Pontacus, atque
„ ita quoque legendum in Euſebio notant
„ Suares, Mariana, Scaliger, Calviſius, &
„ alii. Et ſanè Euſebius ipſe in Chronico
„ Græco, ab anno 2. Olympiad. 198 ini-
„ tium Tiberii arceſſit à quo uſque finem
„ Olymp. 202. anni 19. reperiuntur, unde
„ etiam in eodem Chronico Græco cum agit
„ de morte Chriſti ita legas. Ἐπὶ τὸ πάθος περὶ
„ ἔτους ιθ´ (id eſt 19.) τῆς Τιβερίου βασιλείας
„ καθ' ὃν καιρὸν ἐν ἄλλοις μὲν ἑλληνικοῖς ὑπομνήμα-
„ σιν εὕρομεν ἱστορούμενα κατὰ λέξιν ταῦτα ὁ ἥλιος
„ ἐξέλιπεν, &c. ut omnia prorſus in hunc
„ annum collimare videantur.
„ Neque vero ſolus Phlegon de hac inſo-
„ lenti ſolis eclipſi locutus eſt, ut ſatis hic
„ innuunt tam Euſebius quàm Chronicon
„ Alexandrinum, qui Gentium Scriptores
„ pluraliter nominant. Nam Thallus quo-
„ que à Julio Africano laudatus de ea memi-
„ nerat, & alii ut videtur plures. Phlegon-
„ tem quidem Celſo oppoſuit Origenes li-
„ bro 2. at Gentium Annales generatim
„ etiam teſtes advocavit Lucianus Martyr in
„ Actibus ſuis, Rufino narrante: Requirite,
„ inquit, in Annalibus veſtris, & invenie-
„ tis temporibus Pilati, Chriſto patiente,
„ fugato ſole interruptum tenebris diem. Et
„ ante eum Tertullianus in Apolog. cap. 21.
„ eodem momento, inquit, dies medium
„ orbem ſignante ſole, ſubducta eſt. Deli-
„ quium putaverunt, qui id quoque ſuper
„ Chriſto prædicatum utique non ſcierunt:
„ ratione non inventa, negaverunt, & ta-
„ men eum mundi caſum relatum in arca-
„ nis veſtris habetis.

Solvuntur

Solvuntur objecta quædam ab iis qui contendunt edictum de quo Daniel loquitur, ad Artaxerxem Mnemonem referendum.

QUidam edictum illud quod ſuprà memoravimus ad Artaxerxem Mnemonem referendum, ſic efficere ſe putant. Nehemias, inquiunt, qui hoc obtinuit, non venit Jeroſolymam niſi poſt abſolutum templum; templum verò demum abſolutum eſt ſub Dario, patet quidem id ex Scripturis. Eum autem Darium eſſe quem Nothum appellarunt prophani, ex eo fit manifeſtum quod ante ipſum Perſarum Rex Artaxerxes numeretur ab Eſdra cap. 4. cum tamen nullus hoc nomine ante Darium Hyſtaſpis reperiatur. Sunt enim hi Reges Perſarum, & hoc ordine numerati.

Cyrus,
Cambyſes,
Magus,
Darius Hyſtaſpis,
Xerxes,
Artaxerxes Longimanus,
Xerxes II.
Sogdianus,
Darius Nothus,
Artaxerxes Mnemon, ſive
Memor.

Verùm hoc argumento parum admodum proficiunt, nam cum Aſſueri & Artaxerxis nomen multis commune fuiſſe nemo ambigat, qui pauliſper in Scripturis verſatus ſit, vel ipſa lectione hujus cap. 4. Eſdræ manifeſtum ſit ibi Artaxerxis nomine non ipſum Longimanum deſignari.

Dicit enim Eſdras 1. hoſtes populi Dei, omnibus diebus Cyri, dum ipſe ſcilicet aliis intentus erat, ac Maſſagetarum bello

„ implicitus, opus urgere non poſſet, illius
„ conſiliarios largitionibus corrupiſſe, & Ju-
„ dæis impedimento fuiſſe uſque ad regnum
„ Darii Regis Perſarum. Quis itaque non
„ videt ibi Darium deſignari nomine pri-
„ mum, nam ſi plures jam Darii fuiſſent,
„ certo aliquo nomin Scriptura poſteriorem
„ à prioribus ſecerneret. Deinde id per partes
„ explicans Eſdras, quod ſummatim primo
„ dixerat ait in principio regni Aſſueri hoſtes
„ illos qui ſub Cyro clanculum tantum
„ egerant ut impedient opus ab ipſo juſſum,
„ jam apertis accuſationibus Judæos petiiſſe,
„ ac demum, eo ſcilicet mortuo, ad Artaxer-
„ xem ſcripſiſſe. Patet ergo tres Perſarum
„ Reges immediatè ſibi ſuccedentes ibi nume-
„ rari, & eum Aſſuerum quomodo hic voca-
„ tur eſſe Cambyſen Cyri ſucceſſorem, &
„ filium, Artaxerxem vero illum, eſſe Oropa-
„ ſten Magum; ſive ut Cteſias loquitur
„ Tanyoxarcen qui paululum immutatò
„ nomine facile Artoxarxem, vel Artaxerxem
„ obtinuit nominari, ille enim cum nihil niſi
„ de regno ſuo ſtabiliendo cogitaret, benignè
„ reſcripſit præfectis illis provinciarum, eis
„ concedens quidquid poſtulaſſent. Quippe,
„ ut novi Solent Tyranni, omnium captabat
„ benevolentiam, quod etiam ſatis declarat
„ Herodot. lib. 3. cap. 67. Sed hoc brevi ſub-
„ lato, Aggæi & Zachariæ Prophetarum horta-
„ tionibus confirmati Judæi, iterum ædificare
„ incipiunt. Ac cum denuo apud novos regios
„ præfectos accuſarentur, quos Darius ſibi
„ vicarios miſerat, ſic cauſam tuentur ſuam,
„ ut omni re ad Darium Hyſtaſpis delatâ,
„ novo tandem edicto prioris edicti confirma-
„ tionem obtinerent.

„ Quatuor itaque reges hìc habentur Cyrus,
„ Cambyſes qui & Aſſuerus, Tanyoxarces,
„ ſive Artaxerxes & Darius Hyſtaſpis. Quod
„ ſi de

ſi de Dario Notho & Artaxerxe Longimano hìc ſermonem habuit Eſdras, cur rerum Judaïcarum ſtatum ſub Xerxe, & aliis tribus qui inter hunc & Cyrum intercedunt, breviter non ſaltem perſtrinxit? Nam ſi illi æquè rem impedierunt, cur non æquè nominantur, quod ſi faverint operi, multo magis erant nominandi.

At ne quis negativis argumentis parum tribuat, quæro ſi ſub Dario Notho templum ædificatum eſt, qui anno primo Olymp. 89. hoc eſt anno mundi 3581. regnum iniit, ergo centum & quindecim annis poſt Cyri edictum in ruinis jacuit. Tot enim ab anno 1. Cyri qui eſt mundi 3468. ad 2. Darii Nothi fluxerunt. At quî fieri poſſet ut Eſdras qui inter Seniores ſub Cyro aſcendentes nominatur, quique hujus templi dedicationem & vidit, & deſcripſit uſque ad hanc ætatem vitam producere potuerit. Quod magis etiam de Nehemia urgeri poteſt, ipſe enim inter eos quoque annumeratus eſt, qui ſub Cyro cum Zorobabele aſcenderunt, & ipſemet deinde novæ ſub Artaxerxe Coloniæ dux fuit; acceptis anno regni ejus 20. diplomatibus. Nam ſi Darius ſub quo abſolutum eſt templum, is eſt qui Nothus dicitur, ille Artaxerxes cujus anno 20. Jeruſalem venit Nehemias, filius ejus erit Memor dictus, qui regnum eſt auſpicatus anno 4. Olympiad. 93. hoc eſt mundi 3600. ita ut viceſimus regni ejus annus incidat in annum mundi 3620. quis credat verò Nehemiam ad hanc diem vitam duxiſſe? Immo ſi quis Nehemiæ cap. 10. cum cap. 12. conferat, reperiet homines pluſquam viginti qui fœderi ab Iſraëlitis, procurante Nehemia, inito ſubſcripſerunt, ex eorum numero qui unà cum Zorobabele ex captivitate aſcenderant. Eſt ne verò credibile tot viros ſimul eodem ſæculo, & loco tot annos hoc eſt pluſquam

„ quàm ducentos vixiſſe? Siquidem ab anno „ 1. Cyri quem mundi eſſe diximus 3468. ad „ hunc annum 3620. fluxerunt anni 172. qui- „ bus addendi præterea ſunt anni, quos jam „ vixerant illi homines, cum ſub Zorobabele „ aſcenderent & principes familiarum merue- „ rant appellari.

„ Maneat igitur inconcuſſum Darium illum, „ cujus autoritate templum perfectum eſt eſſe „ filium Hyſtaſpis: & Artaxerxem cujus an- „ no 20. edictum emiſſum eſt de reædificandâ „ urbe, Darii ipſius eſſe nepotem, Longima- „ num dictum. Atque ab ejus regni anno 20. „ dinumerandas ſeptuaginta Danielis hebdo- „ mades ad Chriſtum uſque ducem: cujus „ adeò nativitatem, baptiſmum, prædicatio- „ nem & mortem iis characteriſmis, cùm „ hiſtoricis, tum aſtronomicis, cum humanis, „ tum divinis deſignaſſe videmur, qui facile „ fortaſſis divelli non poſſint.

„ *Expenduntur nonnullorum præterea ſcrupuli ad- „ verſus noſtram de annis vitæ & mortis „ Chriſti ſententiam.*

„ AC PRIMUM.

„ *Excutitur quorumdam opinio, qui Chriſto annos „ vitæ 33. completos ex ſacra Traditione „ aſſignandos putant.*

„ HÆc quæ hactenus de annis vitæ & mor- „ tis Chriſti diſputavi, ratus abunde ſuffi- „ cere, alienum putaram plures in eam ſcriptio- „ nem congerere, in qua vel maximè ſemper „ ſtudui brevitati; cum ecce allatum eſt „ quoſdam ſuper ea re nonnihil adhuc com- „ moveri. Horum itaque ſcrupulis ex religione „ profectis occurrere religio jubet. Si fuſius „ paulo & latius, non tam id propoſitum quàm „ materiæ

materiæ conditio faciet, quæ breviùs ex- “
pediri fortè non poterit. Res quidem erunt, “
opinor ipſæ non inutiles, nec quandoque “
forſan antiquitatis Eccleſiaſticæ amatoribus “
injucundæ. “
At enim, inquiunt, vetus eſt opinio, jam “
ab antiquis tradita Patribus, paſſimque “
vulgata, Chriſtum Dominum triginta & “
tres annos duntaxat impleviſſe cum adiret “
paſſionem; unde pronunciare non eſt veritus “
Beda lib. de Rat. Temp. cap. 45. habet ni “
fallor Eccleſiæ fides Dominum in carne “
paulo pluſquam 33. annis uſque ad ſuæ “
tempora paſſionis vixiſſe. “
Videndum itaque quàm antiqua ſit illa “
quam vocant, Traditio: eoque præci- “
puorum Patrum & antiquorum Autorum “
ordine referam ſententias, quos quidem hac “
de re noverim aliquid conſignaſſe, ex quibus “
elucebit, opinor, quàm immerito hæc, veluti “
fides Eccleſiæ opinio jactetur. “
Et de primi quidem ſæculi Scriptoribus, “
nihil eſt quod multum nos moretur. Nam “
illis cum ſatis eſſet Chriſtum aut vidiſſe, “
aut eos qui ipſum viderant, audiiſſe, ab “
iiſque de ejus ætate reſciſſe, quam nobis “
Traditionem, ut mox videbimus, ſervavit “
Irenæus, reliqua parum ſibi neceſſaria “
ducebant: & præſentibus atque urgentibus “
rebus intenti, cum vix prædicationi verbi “
ſufficerent, parum de ſcribendis hujuſmodi “
quæſtionibus erant ſolliciti. “
Itaque, illa Evodii Petri Diſcipuli, & “
in Antiochena Sede ſucceſſoris Epiſtola, quæ “
à Nicephoro refertur, in qua Chriſtum 33. “
annos vixiſſe ait, à nemine docto ferè “
quod ſciam recipitur. Nec multum plus “
autoritatis meretur quod de Ignatii Marty- “
ris ejuſdemque Evodii ſucceſſoris Epiſtolâ “
ad Trallianos allegatur: Chriſtum nempe “
expletis “

„ expletis tribus annorum decadibus eſſe baptizatum : ac deinde, cum triennium prædicaſſet, cruci affixum, nam interpolatas in multis Ignatii Epiſtolas, nemo neſcit. Hunc autem non eſſe genuinum autoris locum, vel inde patet quod nec ab ſubſequentibus Patribus eſt agnitus, qui prorſus in alia omnia abierunt & in antiquis codicibus deſideretur, ut in Græco codice Florentino quem edidit Iſaacus Voſſius & in vetuſtiſſimis exemplaribus Latinis duobus in Anglia repertis, quæ publici juris fecit Uſſerius; quare ad alia pergendum.

„ B. Irenæus vir Apoſtolorum temporum, ut eum Hieronymus appellat, Polycarpi ſiquidem Diſcipulus, ut Polycarpus Joannis Apoſtoli : quem etiam Epiphanius, Priſcum Theologum & Apoſtolorum ſucceſſorem vocat, Tertullianus verò omnium doctrinarum curioſiſſimum exploratorem, ille inquam, lib. 2. contra hæreſes cap. 39. de Chriſti ætate agens, ita loquitur : (Triginta annorum ætas primæ indolis eſt juvenis & extenditur uſque ad quadrageſimum annum. Omnis quilibet confitebitur à quadrageſimo aut quinquageſimo anno, declinat jam in ætatem ſeniorem, quam habens docebat Chriſtus, ſicut Evangelium, & omnes Seniores teſtantur qui in Aſia apud Joannem Diſcipulum Domini convenerunt, idipſum tradidiſſe eis Joannem...... Quidam autem non ſolum Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hæc ab iis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione.) Et iterum cap. 40. ſic ait, quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Hoc dicitur ei qui jam quadraginta annos exceſſit, 50. autem nondum attigit, non tamen multum àquinquageſimo abſtitit, &c.)

„ Iſta piiſſimus æquè ac ſapientiſſimus Antiſtes,

ſtes, Gallicanæ Eccleſiæ lumen ac Princeps Irenæus. Quo ejus nævo, ut quidam appellant, quoniam valde ſe jactant, antiquitatis ne quid gravius dicam, parum amantes, qui captatâ inde occaſione, quidquid ab veteri traditur Eccleſiâ elevant ac rejiciunt, duo ſunt quæ mihi præcipuè huc veniunt admonenda.

Alterum beatum Irenæum non dicere priores illos Diſcipulos ſimpliciter affirmaſſe quod Chriſtus ad 40. vel 50. annum pervenerit, ſed quod in ætatem ſeniorem jam declinaret cum doceret, quam habens, inquit, docebat, ſicut omnes Seniores teſtantur, &c. Hanc autem ſeniorem ætatem vel à quadrageſimo, vel à quinquageſimo anno incipere, pro ſuo arbitrio opinatus eſt Irenæus, ex quo proinde manifeſtum fit non hunc potius quàm illum annum, atque adeò nullum præcisè definiviſſe Diſcipulos; ſed tantum indicaſſe Chriſtum maturioris ætatis fuiſſe, déque eo autores allegaſſe Apoſtolos. In quo quid tantopere adverſus venerandam illam antiquitatem, & eorum qui Apoſtolos viderant & audierant, aut etiam Apoſtolorum ipſorum autoritatem, jactari poſſit, planè ego non video, præſertim cum nullus adhuc ferè ſit ætatis amicorum aut præpoſitorum ſuorum quibus cum vivit, tam curioſus indagator, ut non eam ex perſona potius ſpecieque conjiciat.

Alterum quod hîc animadverti velim, eſt, Irenæum, ut quæ de Chriſti annis ipſe ſtatuit, ſentiret, hac præcipuè Judæorum inductione impulſum. Joan. 9. quinquaginta annos nondum habes, in quo nec ille iniquius traducendus mihi videtur vir ſanctitate & doctrina eximius, ſi antiquorum illorum jam fide motus qui de ætate paulo provectiore ac ſeniore vix arbitrabantur fas eſſe

Digitized by Google

„ eſſe dubitandum, hoc tamen loco abre-
„ ptus eſt ut paulò longius abiret, quod &
„ Judæos iſtos diſcipulis illis concinere &
„ inde nobis lumen aliquod oboriri poſſe ar-
„ bitrabatur, ad veram Chriſti ætatem pro-
„ pius diſpiciendam quam nulla autoritate
„ certo ſciret definitam. Sanè ipſe quoque
„ Chryſoſtomus, qui quadraginta annos apud
„ Joannem, non quinquaginta legit ut in-
„ frà ſuo ordine referetur, eadem ratione
„ voluit procedere argumentum; ut ne Chri-
„ ſtus ab ea ætate longius abeſſe videretur,
„ quàm apud Evangeliſtam crederet expreſ-
„ ſam. Et vero quamvis non inficier homi-
„ nem ætatis etiam junioris, ſic quoque ali-
„ quando argui poſſe: aut Judæos etiam qui
„ hæc Chriſto regererent, ejus oris digni-
„ tate aut maturitate ut eum paulo ſeniorem
„ quàm verè eſſet arbitrarentur. Unum qui-
„ dem certè ex tota Irenæi diſputatione de-
„ bet colligi, vel ipſi, vel prioribus diſcipu-
„ lis fuiſſe perſuaſum, Chriſtum Dominum
„ ætate jam maturiore progreſſum, cum in
„ cruce pateretur.
„ Verùm his duobus monitis, tertium in-
„ ſuper addere viſum: minus nempe vel Joan.
„ Gerar. Voſſium vel Fevardentium Irenæo
„ æquos fuiſſe dum quod ille habet de Se-
„ nioribus qui Joannem & alios Apoſtolos
„ viderant, & audierant ipſi ad unum Pa-
„ piam, pertenuis hominem ingenui referri
„ volunt. Sanè enim Papias, ut ex ipſiuſ-
„ met verbis refert & probat Euſebius,
„ Hiſtor. lib. 3. cap. 39. neminem Apoſtolo-
„ rum viderat aut audierat, ſed tantum ab
„ eorum diſcipulis normam fidei accepiſſe ſe
„ gloriabatur: auditor ipſe alterius Joannis
„ Epheſini Presbyteri, Joannis Evangeliſtæ
„ Diſcipuli. Quare ſi quæ hic de pluribus,
„ imò de omnibus qui apud eundem Joan-
„ nem

nem in Aſia convenerant, & alios Apoſtolos audierant, dicit Irenæus, ad unum quempiam præcipuè referri debent ea nos ad Polycarpum magiſtrum ſuum potius referenda dicemus qui & neceſſitudinem, & vitæ uſum cum Joanne habuerat, & ab Apoſtolis edoctus erat, & cum multis qui Dominum viderant fuerat converſatus, ut de eo ipſe narrat Irenæus lib. 3. cap. 3. & in Epiſtola ad Florin. quique eorum ſermones & quædam ab illis de Domino audiviſſet narrabat jugiter quæ ſtudioſe & attente audiebat Irenæus, ac interiori mentis cogitationi mandabat, & perpetuo Dei juvante gratia, ingenue & exquiſite recordatione renovabat, ut ipſemet iterum teſtatur, in eadem Epiſtolâ.

Atque hinc fit ut non leviter in ea opinione firmemur de ſuppoſititio illo Ignatii ſuprà memorato teſtimonio prorſùs repudiando. Erat enim Ignatius Polycarpo inter amicos præcipuus, nec minus quam ipſe Joannis Apoſtoli Diſcipulus, ut ipſius acta teſtantur, cum Apoſtolis etiam nutritus ac familiariter verſatus, & omnium tam dicendorum, quàm tacendorum particeps, ut de eo Chryſoſtomus loquitur (in Ignatii encom.) quî ergo credemus aut Irenæum, eorum quæ ſcripſit ſaltem ſemina non ab magiſtro, cui tam ſtudioſè inhærebat collegiſſe, aut Ignatium aliud ab iiſdem Apoſtolis quàm inſignem amicum & condiſcipulum ſuum haurire potuiſſe.

Verum quid alii quoque Patres, qui Chriſti diſcipulos minus noverant, de ejus ætate dixerint, quoniam id munus ſuſcepimus etiam referendum.

Clemens Presbyter Alexandrinus ſancti Panthæni ex Stoïco Philoſopho Chriſtiani Diſcipulus & Origenis Præceptor, vir om-

„ nibus litteris apprime excultus, & inter primos Eccleſiæ Doctores eximius, qui cadente ſecundo floruit ſæculo, libro 1. Stromatôn de Chriſto ita loquitur : Erat autem Jeſus cum ad baptiſmum venit quaſi annorum 30. quod autem uno duntaxat anno prædicaturus eſſet, & hoc ita ſcriptum eſt, annum acceptum Domino prædicare miſit me, hoc & Propheta dicit & Evangelium, quinto decimo itaque anno Tiberii & 15. Auguſti, hoc modo triginta complentur anni donec paſſus eſt.)

„ Tertullianus inter Scriptores Chriſtianos admodum clarus, qui ſub Severo Imperatore ejuſque filio Antonino Caracalla maximè floruit, & ad annum æræ noſtræ circiter 215. vitam perduxit, eodem ferè modo de Chriſto loquitur lib. contra Judæos cap. 8. ait enim Auguſtum poſt Chriſti nativitatem ſupervixiſſe annos 15. eique Tiberium ſucceſſiſſe, & addit, hujus decimo quinto anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi triginta cum pateretur.) Poſteaque ſubdit, id duobus geminis Coſſ. eſſe factum,) quod à pluribus deinceps Patribus eſt amplexatum. Refert autem illud ex eodem Tertulliano, Hieronymus ad cap. 9. Danielis & eandem illi opinionem tribuit Euſebius Cæſarienſis ; ut planè ferendus non ſit autor gloſſæ ordinariæ qui Tertulliani verba refert truncatis illis, cum pateretur, & pro paſſus eſt, reponit, baptizatus eſt.

„ Scio poſteriores Hieronymi editiones, dum hunc Tertulliani locum referunt, habere annos quaſi triginta tres, ſed errore manifeſto, cum ſemel atque iterum ibidem dicatur Auguſtum poſt Chriſti nativitatem annos vixiſſe tantùm 15. addaturque hujus ſucceſſoris Tiberii anno item 15. Chriſtum paſſum, quod evincit quoque Geminorum notatus Conſulatus qui in hunc annum Tiberii „ cadit

cadit: ut omittam antiquiores Hieronymi editiones (ut Frobeniana anni 1537. & Pariſienſis anni 1546.) habere liquido annos triginta, quod fruſtra eſſet monere ni Rigaltius ipſe in ſuis ad Tertullianum notis, ſcripſiſſet, Hieronymum legiſſe annos triginta tres, nimirum homini erudito impoſuerant, vel illotæ Typographi manus, vel incauta ſciolorum providentia qui nihil penſi habent dum libros antiquorum ad ſuum ſenſum accommodent, non ſatis attendentes quam facilè ſit eorum levitatem refellere.

Certè eodem modo factum eſt ut in loco Bedæ hujus initio capitis allegato, ubi ait Chriſtum paulo pluſquam triginta tres annos vixiſſe, quidam in poſteriori editione paulo plus minus reponerent, videbant illi forſan quid adverſus hanc Bedæ ſententiam poſſet objici, quam ex fide Eccleſiæ aſſerit, & huic quadamtenus hoc verbo minus mederi poſſe arbitrabantur, nec animadvertebant quàm facile eſſet illud aſſumentum quaſi ſpurium rejicere, quod nec in antiquioribus libris aut in editione Baſileenſi anni MDLXIII. habetur, nec à Scholiaſte Brideferto agnoſcitur, nec à Paulo Foraſempronienſi, aut aliis Paulo antiquioribus ita citatur, & Bedæ ipſius rationibus prorſus adverſatur; ut totum locum, & ſcholion legenti fiet manifeſtum, verùm id jam monuiſſe ſatis.

Origenes qui qua ætate floruit Tertullianus, florere & ipſe cœpit, Severi nempe temporibus, & ultra Decii tempora pertigit, mortuus circa annum 255. Tractatu 35. in Matthæum, de proditione Judæ ità loquitur, at illi, inquit, ſtatuerunt ei triginta ſtateres, tantam ei damnationem conſtituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo, poſt quæ ſubdit; triginta

„ enim annorum baptizatus cœpit Evange-
„ lium prædicare,) & libro 4. περὶ ἀρχῶν,
„ ſeu de principiis cap. 1. ait, Chriſtum, uno
„ anno & aliquot menſibus docuiſſe,) cui
„ etiam congruit quod initio ejuſdem Tra-
„ ctatus in Matth. dicit, oportebat enim
„ menſem eſſe definitum Paſchæ, ego autem
„ puto etiam annum, de quo & Propheta
„ dicebat, prædicare annum Domini accep-
„ tum & diem ſalutis.)
„ Julius Africanus qui primus Chriſtiano-
„ rum ad Chronologica ſcribenda animum
„ appulit, Origeni æqualis, eique notus,
„ Chriſtum paſſum ait anno Tiberii 15. at-
„ que adeò anno ætatis ejus circiter triceſi-
„ mo. Locum habes apud Hieronymum in 9.
„ Dan. ejus verò ſupputationem ita digerit
„ Georgius Syncellus, ut dicat eum voluiſ-
„ ſe Chriſtum natum anno mundi 5501. &
„ anno 5531. cruci affixum. Tolle ergo pri-
„ mum numerum de ſecundo, & eum quem
„ dixi triceſimum reſiduum reperies.
„ Hyppolitus Portuenſis Epiſcopus & Mar-
„ tyr, Clementis Alexandrini diſcipulus, &
„ Origenis coævus, ſub Alexandro Severo
„ floruit & anno 222. Cyclum ſuum 16. anno-
„ rum compoſuit. In eo autem teſtatum reliquit
„ primum hujus Alexandri in primum ejus
„ Cycli annum, & paſſionem Chriſti in an-
„ num ultimum ejuſdem incurrere.) At ſi
„ à primò Alexandri anno Cyclus in ante-
„ riora revolvatur, annus ſignatus chara-
„ cteribus paſſionis, incurret in Coſſ. Ge-
„ minos : atque adeò in annum 15. imperii
„ Tiberii, quo Chriſtum fuiſſe volunt an-
„ norum quaſi triginta.
„ Antiquus Autor anonymus apud Henr.
„ Caniſium, Antiq. Lection. Tom. 2. qui
„ breve Chronicum ſub eodem Severo Ale-
„ xandro ſcripſit capite 17. Sic ait: A generatio-
„ ne

ne Chriſti uſque ad paſſionem ejus anni 30. "
& rurſus cap. 18. à generatione Chriſti poſt "
triceſimum annum cum paſſus eſt Dominus, "
Paſcha celebratur.) "

Lactantius qui Diocletiani temporibus "
Rhetoricen docuit Nicomediæ, ac ſenectute "
extrema inſtituit Criſpum Conſtantini "
Magni filium, in eadem eſt ſententia. Sic "
enim ait lib. 4. Inſtitut. cap. 1. Tiberii Cæ- "
ſaris anno decimo quinto, id eſt ſub Gemi- "
nis Coſſ. ante diem 10. Calend. April. Ju- "
dæi Chriſtum cruci affixerunt;) & rurſus "
cap. 14. ante annum 15. Tiberii Cæſaris, "
quo Chriſtus crucifixus eſt.) "

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus qui ſuum "
Chronicum ad Conſtantini Magni vicenalia, "
hoc eſt ad annum Chriſti 326. perducit, & "
ſub Conſtantio anno 340. obiit, ita ætatem "
Chriſti componit, ut eum ad paſſionem "
veniſſe velit, anno Tiberii (ut multi le- "
gunt) 18. vel ut reponendum cenſet Scaliger "
aliique anno 19. Si primum numerum "
admittas, ſequetur Dominum juxta Euſebii "
ſententiam vixiſſe annos duntaxat 31. cum "
tribus menſibus, aut annos 32. ſi Scaligeri "
opinionem ſequare, ſiquidem ex Euſebii "
mente natus eſt Dominus, Auguſti anno 42. "
cui annos omninò 56. tribuit, quam mul- "
torum deinceps Eccleſiaſticorum Scriptorum "
fuiſſe ſententiam, ex ſequentibus patebit. "
itaque annos 14. ſub Auguſto vixerit Chri- "
ſtus & 17. vel 18. ſub Tiberio cum tribus "
menſibus juxta Euſebium. "

Catalogus Epiſcoporum Romanorum "
Conſtantii Auguſti ætate confectus, quem ex "
ſchedis perveruſtis D. de Peireſc doctiſſimi "
Senatoris Aquenſis citat Ant. Capellus: "
quemque deinceps edi curavit Bucherius cum "
ſuo Comm. in Victorii Canonem, hic habet. "
Imperante Tiberio Cæſare paſſus eſt Domi- "
nus noſter Jeſus Chriſtus duobus Geminis "

 Coſſ. "

„ Coſſ.] atque adeò quod idem eſſe volunt,
„ ut jam diximus, anno ejus circiter 30.
„ Apollinaris Laodicenus qui ſub Theodo-
„ ſio obiit, ita de Chriſto, apud Hieronymum
„ in 9. cap. Danielis pronuntiavit. Triceſimo
„ enim juxta Evangeliſtam Lucam, anno
„ ætatis ſuæ, cœpit Dominus prædicare: &
„ juxta Joannem Evangeliſtam per tria Pa-
„ ſchata, duos poſtea implevit annos.)
„ Phylaſtrius Brixienſis Epiſcopus, quem
„ ſe apud Ambroſium Mediolani, vidiſſe te-
„ ſtatur Auguſtinus, initio lib. de Hæreſ. ad
„ Quodvult Deus, & ad annum 387. vixiſſe
„ ferunt, libro ſuo de Hæreſibus art. 58. qui
„ eſt de Hæreſibus circa annos Chriſti,
„ aſſerit Chriſtum ad Baptiſmum veniſſe an-
„ no ætatis 30. atque addit poſtea uno anno
„ docuit uſque ad Paſſionem & Reſurrectio-
„ nem, ſicuti beatiſſimi tradiderunt.)
„ Sanctus Epiphanius qui ad annum 403.
„ ſub Arcadio floruit, hæreſi 51. quæ eſt Alo-
„ gorum num. 28. ubi Dominum ſtatuit na-
„ tum die 6. Januarii, ſic tandem concludit,
„ ut totum ejus vitæ tempus ab ortu ad Paſ-
„ ſionem, uſque ad annos 32. & dies 74. colligat.
„ Chryſoſtomus qui anno 404. vivere deſiit
„ Homil. 34. in caput 9. Joan. ubi legimus:
„ quinquaginta annos nondum habes, legit
„ quadraginta: quam lectionem maximè ſe
„ probare profitetur Euthymius qui ineunte 12.
„ floruit ſæculo, & addit; ὡς ἐγγὺς τεσσαράκοντα ἐτῶν, λοιπὸν εἶναι, τὸν Χριςὸν, ut intelli-
„ gi detur propè jam Chriſtum quadraginta
„ annorum fuiſſe.
„ Panodorus unus ex Ægypti Monachis, Hi-
„ ſtoricus non ignarus accuratioris Chrono-
„ logiæ, qui Arcadii Imperatoris & Theophili
„ Alexandrini Archiep. tempore floruit, ut de
„ eo ſcripſit Georgius Syncellus, ſic rationes
„ ſuas inſtituit, ut Chriſtum ab Incarnatione
„ ſua

ſua annos 41. adimplere, appareat : eum nempe natum vult anno mundi, ex ſuo calculo, 5493. mortuum verò anno 5533. deſinente, vel 5534. ineunte, quod rectè obſervat Petavius, variarum Lection. lib. 8. à vigeſimo quinto Martii facto ſcilicet anni exordio, more apud antiquos ſæpius uſurpato, & apud nonnullas nationes adhuc uſitato.

Severus Sulpitius qui ad annum circiter 420. floruit, lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, ſcribit Dominum crucifixum Fuſio Gemino, & Rubellio Gemino Coſſ. hoc eſt anno 74. Juliano & 15. imperii Tiberii, at ex eodem Sulpitio natus eſt Chriſtus Sabino & Rufino Coſſ. hoc eſt anno Juliano 42. tolle ergo 42. de 74. reliqui erunt 32. Ita ut hunc annorum numerum iniret Chriſtus ex mente Sulpitii, cum ad Paſſionem venit; adeoque ex ejus ſententia vixit tantùm annis 31. & menſibus 3.

Ex Hymno perantiquo quem alii Ambroſio, alii Sedulio tribuunt adhuc canit Eccleſia.

Luſtris ſex qui jam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc,
Paſſioni deditus;
Agnus in crucis levatur
Immolandus ſtipite.

Luſtris autem ſex annos 30. compleri nemo neſcit, quibus peractis Chriſtum immolatum ſignificare vult auctor hujus Hymni.

Neque ab hac ſententiâ longius abire videtur D. Hieronymus, qui anno 420. mortuus eſt, cum in Epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtochium ſic ait; Dei Filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt Filius .... uſque ad 30. annos ignobilis, parentum paupertate contentus eſt, verberatur & tacet, crucifigitur & pro

„ pro crucifigentibus deprecatur;) hinc eſt
„ quod in Epiſt. 127. quæ eſt de 42. manſio-
„ nibus, cum ad manſionem 30. pervenit ita
„ loquitur: Triceſima manſio quæ eſt in Jat-
„ batha, bonitas interpretatur, ut cum per-
„ venerimus ad perfectum virum, in Sacer-
„ dotalem gradum, & in ætatem plenitudinis
„ Chriſti, in quâ & Ezechiel erat juxta fluvium
„ Chobar, poſſimus cum David in triceſimo
„ Pſalmo canere; In te Domine ſperavi, non
„ confundar in æternum, bonus enim Paſtor
„ ponit animam ſuam pro ovibus ſuis.)
„ Ac ipſe quidem Auguſtinus qui ad annum
„ 430. floruit lib. 18. de Civit. Dei cap. ult.
„ ſic ſcribit: mortuus eſt Chriſtus duobus Ge-
„ minis Coſſ. quod idem affirmat lib. 4. de
„ Trinitat. cap. 5. verum Epiſtola 80. ad He-
„ ſychium ſic ſe explicat: A Nativitate Do-
„ mini hodie computantur anni fermè 420.
„ à Reſurrectione autem vel Aſcenſione ejuſ-
„ dem, anni 390. Tolle ergo 390. de 420. reli-
„ quos videbis 30.) quos annos non præcisè,
„ ſed circiter vixiſſe Chriſtum concludendum
„ nobis relinquit Auguſtinus, unde & in lib.
„ 22. de Civit. Dei cap. 15. magis adhuc ſe
„ aperit: quod commemoravit Apoſtolus de
„ menſura ætatis plenitudinis Chriſti.... Si
„ de Reſurrectione corporum dictum eſt, ſic
„ accipiamus dictum, ut nec ultra, nec infra
„ juvenilem formam reſurgant corpora mor-
„ tuorum, ſed in ætate ac robore, uſque ad
„ quam Chriſtum hic perveniſſe cognovimus.
„ Circa 30. quippe aut paulo plures annos defi-
„ nierunt eſſe etiam ſæculi hujus doctiſſimi ho-
„ mines, juventutem, quæ cum fuerit ſpatio
„ proprio termin ita, inde jam hominem in de-
„ trimenta vergere gravioris ac ſenilis ætatis,
„ ideo non eſſe dictum in menſuram corporis,
„ vel in menſuram ſtaturæ, ſed in menſuram
„ ætatis plenitudinis Chriſti.) Ubi nota Au-
„ guſtinum

guſtinum non ætatem præcisè definitam "
Chriſto aſſignare, ſed tantum ex placito ſui "
ævi doctiſſimorum referre, juventutem, hoc "
eſt ætatem robuſtam eſſe circa 30. aut paulo "
plures annos. (Sic enim legit Bungus) eámque aliquo ſpatio extendi (puta ad annum "
45.) ut ex Varrone definit Cujacius, uſque "
dum homo in detrimenta declinet gravioris "
ætatis, quam graviorem ætatem ſolam à "
menſura ætatis plenitudinis Chriſti excludit, "
ut nihil contra Auguſtinum faciat, qui Chriſtum plures quàm 30. annos vixiſſe dicat, "
dummodo eum non ad uſque ſenilem hanc "
perducat ætatem. "

Atque adeò quid Doctor prudens & providus lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 28. dicat, "
præcipuè attendendum eſt; ut cum nihil "
certi ea de re ſtatuere velit, quippe quam majori diligentia ac labore indigere videbat, illud tamen per eum Conſulatum quo natus eſt "
Dominus, & quo paſſus diſquirendum ſtatuit: ac quorumdam improbans mentem "
qui putarent quadraginta & ſex annorum "
ætate paſſum Dominum, quia per tot annos "
ædificatum eſſe Templum dictum eſſet à Judæis quod imaginem Dominici Corporis habebat: hanc tandem nobis in hac indaganda "
quæſtione regulam ſequendam tradit, ut de "
Hiſtoria Gentium collata cum Evangelio liquidius, certiuſque putet id colligendum;) "
videmus itaque rem nondum ſatis exquiſitam tempore Auguſtini. Immo nec pro hujus "
ætatis ratione, accuratius forſan exquiri facilem, minus adhuc excuſſa vel Gentium, "
vel Judæorum Hiſtoria in iis præſertim quæ "
ad regnum mortemque Herodis pertinebant. "

Paulus Oroſius natione Hiſpanus, magni "
Auguſtini diſcipulus, & dignus ab eo judicatus, qui ad hiſtoriam adverſus quæ-"

 rulos "

„ rulos & infamatores nominis Chriſtiani
„ ſcribendam animum appelleret: quam ab
„ exordio mundi ad annum Chriſti 416. de-
„ ductam, ipſi dicavit Auguſtino, Chriſtum
„ vult natum anno urbis conditæ 752. (lib. 6.
„ cap. 22. & lib. 7. c. 3.) Auguſtum verò
„ mortuum anno U. C. 677. anni duntaxat
„ 15. poſt Chriſti ortum.] Subdit verò hoc
„ eodem anno, poſt mortem Auguſti Tiberium
„ adeptum eſſe imperium; ejuſque anno 15.]
„ ut antiquiores habent libri, utque citant
„ Paulus Middelburgenſis & Mariana, vel
„ 17. ut legunt poſteriores, Chriſtum Domi-
„ num voluntariè obtuliſſe ſe paſſioni, ibid.
„ cap. 6. junge ergo annos dictos Auguſti ac
„ Tiberii & 30. efficies, ſi primum Tiberio
„ aſſignatum numerum ſequare (quæ his
„ temporibus maximè vigebat ſententia, vel
„ ad ſummum 32. ſi ſecundum numerum aſ-
„ ſumas. Ut hac vel illa ſaltem ætate, mor-
„ tuum eſſe Chriſtum promptum ſit concludere
„ ex Oroſio.

„ Petrus ob eloquentiam Chryſologus dictus,
„ qui medio quinto floruit ſæculo, ſermone 51.
„ qui eſt de Chriſti fuga ſic ait: Chriſtus crucem
„ ſupra 30. annum vitæ corporalis aſcendit.

„ Cyrillus Alexandrinus Patriarcha qui circa
„ annum 444. paulo ante Chryſologum vi-
„ vere deſiit, in eadem fuiſſe ſententia videtur,
„ dum illud Iſayæ cap. 32. explanans diei
„ anni mentionem facite, Chriſtum uno
„ duntaxat anno prædicatione functum vult,
„ ſic enim ipſe; mentionem facite, inquit,
„ dierum anni quo apparuit Chriſtus &
„ diſertè prædicavit civitatibus, & pagis per
„ univerſam Judæam, [& poſt, exurgite igi-
„ tur, id eſt, evigilate, & bona ſpe animo con-
„ cepta, commemorate dies anni, quo, ut
„ dicebam, facta eſt à Chriſto omnium no-
„ ſtrûm Servatore prædicatio.]

„ Proſperi

Proſperi Aquitanici viri religioſiſſimi, ut Gelaſii Papæ verbo utar, variaſſe videtur ſententia, ni corrupti codices, nam in Chronico ſuo majore, ſive integro, quod ab Adamo ad Romam per Genſericum VVandalorum Regem captam deducitur, cujus meminit Honorius Auguſtodunenſis qui 12. floruit ſæculo, & ante eum Scriptores temporibus Proſperi viciniores, Gennadius & Caſſiodorus, nec non Victorius, & ipſe Aquitanicus Proſperi æqualis & amicus: in hoc, inquam Chronico, quod cum multi jam habuiſſent & promiſiſſent, edidit tandem Philippus Labbeus, in ſua nova Bibliotheca, ſic pag. 25. legitur: Quidam putant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum 15. anno regni Tiberii Cæſaris, id eſt duobus Geminis Coſſ. cruxifixum, quo anno ſecundum indubitabilem Lucæ Evangeliſtæ autoritatem, baptizatum eum eſſe manifeſtum eſt, & Evangelium regni cœlorum prædicare cœpiſſe. Secundum verò Joannis Evangelium feſtivitati Paſchæ Judæorum ter Dominum interfuiſſe agnoſcimus, ut appareat tertium fuiſſe illud Paſcha, quod verus agnus ſuo ſanguine conſecravit, proinde Conſules quidem à manifeſtatione Domini, id eſt Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coſſ. inchoamus: ſed tertios ab iis Conſules, Dominicæ Paſſioni adſcribimus, ſequentes, quod autoritas tradit & ratio.]

At in ejuſdem Chronici Codice quem habuit Bucherius, cui ſimilem fuiſſe ait Pontaco-Vaſatenſi Epiſcopo, & P. Chifletio Socio ſuo, longè aliter legebatur. Sic enim hunc locum refert ipſe Bucherius Commentarii ſui in Victorii Canonem Paſchalem cap. 6. quam lectionem agnoſcit quoque Labbeus in additione ſua variarum Lectionum. Quidam referunt anno 18. Tiberii Jeſum Chriſtum

„ Chriſtum paſſum, & argumentum hujus
„ rei ex Evangelio aſſumunt Joannis, in quo
„ poſt 15. Tiberii Cæſaris annum, triennio
„ Dominum prædicaſſe intelligatur, ſed quia
„ uſitatior traditio habet Dominum 15. anno
„ Tiberii Cæſaris &c. duobus Geminis Coſſ.
„ crucifixum : nos ſine præjudicio alterius
„ opinionis ſucceſſionem ſequentium ordiemur
„ Coſſ. à ſupradictis juxta hanc traditionem.)
„ Harum lectionum quæ verior aut poſterior
„ fuerit, quæque geminam Scriptoris mentem
„ magis referat, judicet prudens Lector. Utra-
„ que certè hanc illis ſæculis traditionem
„ viguiſſe teſtatur, ut ſub Geminis Conſuli-
„ bus Chriſtus crederetur paſſus, hoc eſt
„ anno ætatis hujus circiter triceſimo.
„ Idem Proſper vel quivis alius autor
„ libri de Prædictionibus, ſic quoque ſenten-
„ tiam ſuam expreſſit Parte 1. cap. 1. propter
„ quod, & ipſum caput noſtrum 30. annorum
„ dignatus eſt crucifigi.)
„ Victorinus Aquitanicus calculator ſcrupu-
„ loſus, ut eum Gennadius appellat, in Cano-
„ ne ſuo Paſchali, quem ſcripſit anno 457. ſic
„ habet : Crucifixio Chriſti Conſulibus duo-
„ bus Geminis Ruffio & Rubellio.)
„ Tabula annorum Chriſti expanſorum,
„ quam ad frontem ejuſdem Victorii Canonis,
„ in Codice pervetuſto reperiit Bucherius, &
„ in ſuo Commentario edidit, annos Chriſto
„ tribuit tantum 32. hoc eſt 31. cum menſibus
„ tribus. Idemque ex eodem Codice qui tum
„ P. Sirmundi erat refert Petavius libro 2. de
„ Doctr. Temp. cap. 67.
„ Idacius Lemicenſis Aquifluvienſis in Gal-
„ lecia Epiſcopus, qui labente quinto vixit
„ ſæculo, in Chronico ſuo quod exſcribere ſe
„ profitetur collector chronologus, Caroli
„ Magni æqualis, apud Henr. Caniſ. Tom. 2.
„ Antiqu. Lect. ſic habet capite 34. Ipſe
Jeſus

Jeſus Filius Dei, ſecundùm Prophetas, qui de eo fuerant prælocuti, ad Paſſionem venit anno Tiberii decimo quinto.) Qui annus apud hos autores cum anno Chriſti 30. ſemper comparatur.

Faſti Conſulares, ſive quos ex Codice Fuxenſi olim dedit Pontacus, ad calcem ſui Euſebii, ſive quos ex MS. Collegii Claromontani Pariſienſis nuper edidit Labbeus, in ſua Nova Bibliotheca, Geminis Coſſ. ſic habent; His Coſſ. paſſus eſt Chriſtus, die 10. Calend. April. & reſurrexit 8. Calend. eaſdem.) idque anno ejus 30. ineunte ex mente Scriptoris horum faſtorum, ſiquidem nativitatem Chriſti ponit Coſſ. Octaviano 13. & Sylvano, hoc eſt anno Juliano 44. cum Gemini Coſſ. in annum Julianum 74. incurrant.

Caſſiodorus qui medio ſexto floruit ſæculo in ſuo Chronico Chriſtum ponit natum Lentulo & Meſſala Coſſ. hoc eſt anno Juliano 43. labente: ejus verò mortem aſſignat Coſſ. Tiberio Cæſare V **. hoc eſt imperii ejuſdem Tiberii 18. ſive anno Juliano 76. ineunte. Tolle ergo 43. de 76. reperies 33. ita ut triceſimum tertium annum tantum iniret Chriſtus ex mente Caſſiodori, cum crucis aſcendit patibulum.

Jornandes ſive Jordanus, ut eum Sigebertus appellat, ex Gothorum notario factus Ravennæ Epiſcopus qui circa annum 550. maximè floruit; libro de regnorum ſucceſſionibus cap. 66. & ſeq. Auguſtum ait regnaſſe annos 56. ejuſque imperii anno 42. Chriſtum natum; quatuordecimque poſtea Auguſtum annos regnaſſe, ac tandem anno Tiberii ſucceſſoris ejus 18. Chriſtum ſub Pontio Pilato carne paſſum.) Junge ergo 14. ad 18. & efficies 32. quot inibat Chriſtus ex mente Jornandis cum paſſus eſt.

Atque

„ Atque idem ferè calculus Iſidori Hiſpalen-
„ ſis Epiſcopi (qui ad annum 636. vixit) in
„ Chronici ſui ætate 6. nec non Adonnis Vien-
„ nenſis Epiſcopi, qui ad annum 879. Chroni-
„ con ſuum perduxit. Reginonis Abbatis Pru-
„ mienſis, cujus Chronicon ad annum 967.
„ perducitur: Lamberti Schafnaburgenſis qui
„ Hiſtoriam ab orbe condito ad annum 1077.
„ ſcripſit.
„ Chronicon Alexandrinum, quod ſeptimo
„ ſæculo exaratum eſſe ex eo apparet quod
„ ad 26. Heraclii annum pervenit, hoc eſt
„ iſtius ſæculi circiter 36. ſic ab antiquorum
„ omnium mente receſſit, ut primum, quod
„ ſciam, annorum Chriſti 33. & menſium 3.
„ diſertè meminerit, ſic enim ait: Verſatus eſt
„ nobiſcum in terris, & morborum languo-
„ rumque omnis generis mala curavit, annos
„ 33. & menſes 3. quarto verò anno compre-
„ henſus, & in crucem ſublatus 23. Martii die
„ Lunæ 14. cum eſſet paraſceve.]
„ Sanctus Maximus Martyr qui computum
„ Eccleſiaſticum, eodem ferè tempore, Heraclii
„ nempe anno 31. inſtituebat, in eâdem
„ cum Chronico Alexandrino ſententiâ fuit,
„ cum Parte 1. cap. 34. ſcripſit Chriſtum in
„ carne vixiſſe annos 33. & dies 89.] quot
„ ſcilicet dies fluxerunt ab 25. Decembris ad
„ 23. Martii, utroque termino in ſumma
„ comprehenſo.
„ Hiſtoria Miſcella, ſive à Paulo Aquileienſi
„ Diacono, octavo labente ſæculo, Caroli
„ Magni tempore, ſive à Joanne Romanæ
„ Sedis Archidiacono, ſub ejus filio Ludo-
„ vico Pio, ac nepote Carolo Calvo ſcripta, lib.
„ 7. cap. 19. & ſequ. ſic calculos ſuos inſtituit,
„ ut velit Auguſtum regnaſſe annos 56. ejuſque
„ anno 42. Chriſtum natum; ac eundem Ti-
„ berii anno 17. cruci affixum, ita ut ex ejus
„ rationibus annum tantum 31. iniret Chri-
„ ſtus

ſtus, cum voluntariè ſe obtulit paſſioni. “
D. Bernardus qui ad annum 1153. floruit, “
ſermon. 2. in hæc Apoſtoli verba, Non eſt “
regnum Dei eſca & potus; de Chriſto ita lo- “
quitur: Triginta annis operatus eſt ſalutem “
in medio terræ, affixus cruci, addictus “
morti, ludibriis deputatus;) & ſermon. 1. “
de circumciſi. Salvator noſter, & circumcidi “
octavo die, & poſt annum 30. dignatus eſt “
crucifigi.) At ſerm. in fer. 4. Hebdomadæ “
ſanctæ, nec non ſerm. 2. in Pentec. ſic ait: “
Triginta & tribus annis ſuper terram viſus, “
& cum hominibus converſatus;) ni fortè “
illud vocabulum (tribus) putes additum, “
cùm nihil tale in locis ex eodem antea addu- “
ctis habeatur. “

Godefridus Viterbienſis Presbyter, & à “
ſacris ſcriniis Imp. Conradi III. & Frideri- “
ci I. ejuſque filii Henrici IV. Capellanus, qui “
duodecimo cadente ſæculo floruit; Chronici “
ſui Parte 15., ſic annos digerit, ut dicat Au- “
guſtum anno ab Incarnatione 15. mortuum, “
& Chriſtum anno Tiberii tertio & duodeci- “
mo, hoc eſt 15. crucifixum, ita ut annos “
Chriſto tantùm 30. tribuere videatur. “

Petrus natione Lombardus, Pariſienſis “
Epiſcopus, vulgò Magiſter Sententiarum di- “
ctus, qui anno 1164. vitam finiit, lib. 4. d. “
44. c. 1. ſic ait: Triginta duûm annorum & “
trium menſium erat ætas Chriſti in qua mor- “
tuus eſt ac reſurrexit.) Qua in ſententia fuit “
quoque Petrus Comeſtor Eccleſiæ Pariſienſis “
Cancellarius, ac poſtea Canonicus Regula- “
ris apud ſanctum Victor. ubi obiit circa an- “
num 1198. “

Nec etiam omittendum inter Judæos tra- “
ditionem fuiſſe, quæ ut refert eorum Ca- “
bala, doceret Chriſtum natum annos 36. “
cruci affixum. “

Verùm ſuperſedeo plura referre, cui enim “
hæc “

„ hæc non ſufficient, ut videat quam parum
„ cum Beda conſpiret antiquitas, quid ſuffi-
„ cere poſſit ignoro, unde etiam Petavius
„ (lib. 12. de Doctr. Temp.) Bedam non ve-
„ retur carpere, quod decretum illud Eccleſiæ
„ perperam affixerit, quæ, ut ejuſdem verbis
„ utar, ad illas tricas & minutias judicium non
„ interponit ſuum, certè nec ullum alicujus
„ Concilii Decretum habuit Beda, nec ſan-
„ ctorum Patrum conſenſionem, ut quaſi au-
„ toritate Eccleſiæ hanc urgeret ſententiam.

„ Cum ergo hoc liberum nobis relinquat Ec-
„ cleſia, & antiquorum alios alio prorſus abiiſ-
„ ſe videamus, ut quidam 40. vel 50. alii 46.
„ plurimi 30. vel 31. alii 32. alii 33. alii 34. alii
„ propè 40. alii 41 alii 36. annos Chriſtum vixiſ-
„ ſe opinati ſint: quid ſupereſt niſi ut in re
„ perobſcurâ quidem, at adhuc integrâ idem
„ nobis, atque illis rimari fas eſſe conce-
„ datur?

„ Et verò ſi ab antiquitate ſtandum ſit, vel
„ cum primis illis quos memorabat Irenæus,
„ diſcipulis ſentiendum eſt, vel iis potiſſimum
„ Doctoribus adhærendum qui & Chriſtum
„ annos 30. vixiſſe, & eum uno duntaxat
„ anno prædicaſſe opinati ſunt, quorum mul-
„ to major numerus, ac omnium ferè
„ qui omnigenâ doctrinâ, temporumque etiam
„ notitiâ præ aliis celebrantur, at ſi hujus ſen-
„ tentiæ merito nulla à poſterioribus ſæculis
„ habita eſt ratio, quod plus uno anno prædi-
„ caſſe Chriſtum tam certum ſit quàm Evan-
„ geliſtas vera ſcripſiſſe, ex quibus tria ſaltem
„ Paſchata colliguntur, ut dixit Petavius,
„ unum nobis reliquum eſſe videtur, ut ad
„ antiquiorum illorum qui Apoſtolos vide-
„ rant & audierant placitum, potius acceda-
„ mus, qui non leviter aut aliud agentes, ſed
„ conſtanter teſtati ſunt quod Chriſtus ad æ-
„ tatem vergeret maturiorem cum doceret, ac
„ ne

ne liberior adhuc nobis fortè detur aberrandi occaſio, quandoquidem illi nihil certò definierunt, eorum autoritati rationem adjungamus, ut aliunde etiam quæſitis argumentis, tota res liquidiùs diligentiùſque colligatur. Id autem qui melius aut certiùs effici poſſit, quàm hiſtoricâ autoritate, cui tantopere inhærendum cenſebat Auguſtinus, & Lunari ratione ac propheticâ veritate quibus anteà uſus ſum, nec dum ego video.

Refellitur eorum perſuaſio qui nihil ex Aſtronomicâ ratione in annis Chriſti inveſtigandis erui poſſe contendunt.

An & quando Judæi menſibus Lunaribus uſi ſint.

VErùm, inquiunt, valdè decepti ſunt illi qui ex Aſtronomiâ, Paſcha Judæorum, ex eoque annum Paſſionis Chriſti putant poſſe determinare: Cum, ut demus Judæos menſibus Lunaribus uſos, Lunæ motus, præ reliquorum Planetarum motibus ſit intricatus, nec ipſi Aſtronomi inter ſe conſentiant, aut illæ quas ſuæ artis conficiunt Tabulæ, prorſus congruentes ſint.

Hujus rationis vis quanta ſit, vel ex eo licet animadvertere, quòd ii ipſi qui Aſtronomiam, criminantur Aſtronomicis tamen rationibus utantur ſæpius, in annis vel mortis ac Nativitatis Chriſti, vel aliis etiam inveſtigandis. Sanè quæ hic adhibentur Tabulæ Mathematicæ, duplicis tantum ſunt generis, aut enim illæ feriis indagandis idoneæ ſunt, aut Lunæ ratiocinia demonſtrant. At illas quibus annorum feriæ inveſtigantur, eſſe omnes inter ſe pares ac certas, nemo eſt qui ambigat, adeò ut æquè facili negotio ſciri poſſit utrum æræ Chriſtianæ 33. aut 34. dies 25. Martii,

„ puta in feriâm ſextam inciderit, quam
„ idem de annis 1663. & 1664. reperi-
„ re.

„ Ad Lunares numeros quod ſpectat,
„ de Novi-Luniis, Pleni-Luniiſque pere-
„ xigua eſt Tabularum Mathematicarum
„ inter ſe varietas, eaque ferè in tertiis &
„ ſequentibus minutiis : quæ tanti non eſt,
„ etiam ubi major apparet, ut ſpatio an-
„ norum mille, unius horæ differentiam
„ pariat, quod ut oculis ſubjiciatur,
„ præcipuorum Aſtronomorum ſententias col-
„ ligam, qui medias congreſſiones lumina-
„ rium, quibus menſes civiles Lunares de-
„ finiuntur ita conſtituerunt.

	Dies.	Horæ.	Min.	Sec.	Tert.	Quart.	Quint.	Sextæ.
Hippargus	29	12	44	3	20	0	0	0
Ptolemæus	29	12	44	3	20	0	0	0
Alphonſus	29	12	44	3	2	58	51	22
Copernicus	29	12	44	3	10	38	9	20
Tabulæ Pruteniæ	29	12	44	3	10	38	9	20
Tycho Brahe	29	12	44	3	8	39	46	48
Tabulæ Pariſienſes	29	12	44	3	11	0	0	0
Hevelius	29	12	44	3	11	0	0	0

„ Pergunt illi, hæc equidem receptiſſima eſt
„ medii motus communis menſura : at in
„ ſubtiliori Aſtronomiâ longè aliter ſe res
„ habet, cum ex Apogæis & Perigæis, ſive
„ majori, minorique amborum luminaria à
„ terra diſtantia, magna inter lunares menſes
„ differentia ſæpius oriatur.
„ Solem equidem in Apogæo ſuo cum ad
„ Tropicum Cancri accedit, tardiùs quodam-
„ modo, reſpectu noſtri, moveri, quod majo-
„ rem arcum habeat deſcribendum, ut cum
„ vulgo loquar, nemo eſt qui ambigere
„ poſſit, unde conſequens eſt ut Luna eum
„ citiùs aſſequatur, præſertim ſi ipſa in ſuo
„ Perigæo, & in minori à nobis diſtantiâ
„ ſit : atque adeò menſes Synodici neceſſariò
„ ſint breviores, quod contra omnino fieri
„ neceſſe eſt cum Sol ad Capricornum ac-
„ cedit, inque Perigæo ſuo propius terras
„ abeſt, hinc eſt, ut ex Selenographia He-
„ velii colligere poſſis, quod
„

	Menſem dent.	Dier.	Horar.	Min.
„ Sol Perigæus & Luna Apogæa		29	19	37
„ Sol Apogæus & Luna Perigæa		29	6	42
„ Ambo luminaria Apogæa		29	15	7
„ Ambo Perigæa		29	10	24

„
„ At primò obſervandum eſt, quod præ-
„ ſentem ad quæſtionem ſpectat nos de Solis
„ Apogæo ac perigæo valde ſecuros eſſe, ſi-
„ quidem de menſe Paſchali, ſive de eo cu-
„ jus Pleni-Lunium primum ab ingreſſu Solis
„ in Arietem, præcipuè agimus, ut Luna tum
„ cum Sole idem ferè ſemper ſignum percur-
„ rente ſit comparanda. Atque adeò, quæcum-
„ que tandem differentia in illo Paſchali men-
„ ſe Lunari dari poſſit, ea ferè ex ipſius
„ Lunæ

Lunæ motu proprio, Apogæiſque & Perigæis ejuſdem ſolummodo debet deprehendi. "
Secundò obſervandum eſt differentiam illam quæ reperitur inter longiorem menſem quem Luna in Apogæo ſuo deſcribit, & breviorem quem in Perigæo, reſpectu ejuſdem ſitus Solis, vix horas 9. ſuperare, ut ex Hevelii calculo intelligi datur. Ita ut dimidiatus menſis, quem Luna à conjunctione ad oppoſitionem percurrit, mediam partem ſimilis alicujus menſis, in dicta hypotheſi non totis quinque horis ſuperare valeat, quæ diſcrepantia tanti non eſt, ut Pleni-Lunium vel uno die ſerius, ab ipsâ nempe conjunctione luminum in aliquo menſe Paſchali, quàm in alio numerari accidat: Immo nec uno etiam die tardius in medio menſe communi, quàm in vero Aſtronomico, atque adeò in diſquirenda Paſchatis ratione, hæc differentia vix ullius momenti reputanda eſt. "
Verùm ne cuiquam adhuc aliquis in hoc genere ſuperſit ſcrupulus, laterculum Novi-Luniorum ac Pleni-Luniorum, non ſolum mediorum, ſed etiam verorum primi menſis horum quinque annorum quos in controverſiam cadere poſſe jam diximus, ſubjiciam, ex Paulo Middelburgenſi Foroſemproniensi Epiſcopo depromptum, & ab eodem ad meridianum Hieroſolymitanum accommodatum, in quo nos horas & ſcrupula poſt mediam noctem ſumemus. "

Anni Æræ Chriſtianæ.	Novi-Lunia.	Die.	Hora.	Fer.
Anno 31. Cyclo Solis 12. Lunæ 13. Littera Domin. G.	Medium Martii.	12	7 51' 12"	2
	Verum Martii.	12	3 23	2
Anno 32. Cyclo Solis 13. Lunæ 14. Littera F. E.	Medium Martii.	30	5 23 51	1
	Verum Martii.	30	0	1
Anno 33. Cyclo Solis 14. Lunæ 15. Littera D.	Medium Martii.	19	14 12 28	5
	Verum Martii.	19	14 31 0	5
Anno 34. Cyclo Solis 15. Lunæ 16. Littera C.	Medium Martii.	8	23 1 5	2
	Verum Martii.	9	7 21 0	2
Anno 35. Cyclo Solis 16. Lunæ 17. Littera B.	Medium Martii.	28	20 23 0	1
	Verum Martii.	28	7 57 0	2

Anni

Anni Æræ Chriſtianæ.	Pleni-Lunia.	Die.	Hora.	Fer.
Anno 31. Cyclo Solis 12. Lunæ 13. Littera Domin. G.	Medium Martii.	27	2 13' 14"	3
	Verum Martii.	27	1 5 0	3
Anno 32. Cyclo Solis 13. Lunæ 14. Littera F. E.	Medium Aprilis.	13	23 45 53	1
	Verum Aprilis.	14	0 0 51	1
Anno 33. Cyclo Solis 14. Lunæ 15. Littera D.	Medium Aprilis.	3	8 34 30	6
	Verum Aprilis.	3	18 59	6
Anno 34. Cyclo Solis 15. Lunæ 16. Littera C.	Medium Martii.	23	17 23 7	3
	Verum Martii.	23	16 59 0	3
Anno 35. Cyclo Solis 16. Lunæ 17. Littera B.	Medium Aprilis.	11	14 55 0	2
	Verum Aprilis.	12	0 11 0	3

,, Quàm parum ergo verus motus, in uno ,, eodemque menſe à medio diſcrepet, quivis ,, ex hoc intelligere poteſt.
,, Quod autem in dubium revocant, utrum ,, Judæi menſibus Lunaribus uſi ſint: id qui- ,, dem locum habere poſſet, ſi de priſcis illis ,, Judæis qui ante captivitatem fuere, diſpu- ,, taremus. At cum de poſterioribus illis ſermo ,, ſit, qui Chriſti ſæculo vixerunt, de eo quî ,, dubitari poſſit non video. Habemus enim ,, graviſſima Joſephi, Philoniſque hac de re ,, teſtimonia. Nam Joſeph. lib. 3. Antiquit. ,, cap 10. de Paſchæ inſtitutione agens ita lo- ,, quitur. Menſe Xanthico, qui apud nos eſt ,, Niſan, & anni caput eſt, Luna 14. Sole in ,, Arietem ingreſſo, Paſcha quot annis inſtau- ,, rare lege jubemur.] Et Philo de vita Mo- ,, ſis lib. 3. ſub finem: hoc ipſo menſe circa ,, 14. diem, cum plenus jam orbis Lunæ fu- ,, turus eſſet, celebratur migrationis publica ,, feſtivitas, Paſcha Caldaicè dicta.]
,, Quam conſuetudinem etſi Joſephus ad Le- ,, gem, hoc eſt ad Moſem ipſum revocare vi- ,, deatur, de hoc tamen meliori jure apud ,, doctos dubitatur, cum in Lege nihil omni- ,, nò de Luna dictum ſit: ait enim Exodi 12. ,, 2. Menſis iſte principium menſium, pri- ,, mus erit in menſibus anni.] Et mox verſu ,, 6. Servabitis eum (agnum) ad 14. diem men- ,, ſis hujus.) ubi nihil prorſus exprimitur de ,, Lunâ. Unde Keplerus in Eclogis Chrono- ,, log. vero ſimillimum putat Judæos ante ,, captivitatem; annum menſeſque ſecundum ,, Lunam minimè ſupputaſſe, ſed tantum poſt ,, Perſarum Monarchiam ſub Macedonibus, ,, cum Alexander captâ Babylone, eclipſes à ,, 400. annis annotatas invenit; unde Calip- ,, pus & poſtea Hypparcus Lunaris anni ra- ,, tionem, eo uſque etiam apud Græcos con- ,, fuſam, correxerunt.

Antiqui-

Antiquitus receptum Chriſtum vigeſimâ quintâ Martii paſſum. Toſtatum quod aliter ſentiret, judicio poſtulatum ac damnatum, unde tandem illa perantiqua perſuaſio nata eſſe videatur.

ATque ut ingenuè fatear ad diem illum 25. Martii Paſſioni adſcribendum, quod ſpectat, non ſolius Bedæ, ſed multorum antiquorum opinio conſenſit. Sic enim Tertullianus libro contra Judæos: Paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Coſſ. Rubellio Gemino, & Rufio Gemino, menſe Martio temporibus Paſchæ, die 8. Calend. Aprilis. [Sic alii paſſim & ipſemet Auguſtinus multis locis, ut lib. 10. de Civitate cap. ult. Mortuus eſt ergo Chriſtus Geminis Coſſ. 8. Calend. Aprilis,] & libro 4. de Trinitate cap. 5. Octavo Calend. Aprilis conceptus creditur quo & paſſus..... natus autem traditur 8. Calend. Januarii;] ubi animadvertendum eſt, id quod de Traditione & Eccleſiæ autoritate ibidem præmiſerat ſanctus Doctor, ad conceptionem & nativitatem pertinere, non ad Paſſionem. Id enim ſolum hoc in loco ſibi ſumit probandum perfectionem corporis Domini 9. menſibus & 6. diebus ad partum perductam, ſicut à majoribus traditum, inquit, ſuſcipiens, Eccleſiæ cuſtodit autoritas, quod ut ſtet ſufficit Chriſtum 25. Martii conceptum, & 25. Decembris natum; ſiquidem menſes quos hic intelligit, triceni dies complent, qualem veteres obſervarunt, ut ibidem ait cap. 4. & nos ſuprà docuimus. Ergo quid addit quo & paſſus, quaſi ex occaſione dixit, ut receptam opinionem innueret, non ut autoritatem Eccleſiæ in hoc quoque apponeret, & certè quamvis hæc opinio paſſim fuerit recepta, non defuere tamen

„ antiqui qui ab hac recederent ut poſtea de-
„ clarabitur, & vel ex Cypriani Opuſculo cui
„ titulus, de Paſcha computus, quod inven-
„ tum Rhemis, Sirmondus olim ad Buche-
„ rium miſerat, apparet : ex quo id legas,
„ apud Vendelinum : Dominus Jeſus mandu-
„ cavit paſcha 7. Idus Aprilis 5. feria, & paſ-
„ ſus eſt alterâ die, 6. feriâ, &c.

„ Verumtamen doctiſſimi Toſtati Abulenſis
„ Epiſcopi tempore, in hominum ingeniis adeò
„ infixa permanſerat hæc opinio de Chriſti
„ morte 25. Martii aſſignandâ & de annis ejus
„ triginta & tribus completis, ut etiam ipſe
„ cum Senis in Etruriâ, ubi Romani Pontifi-
„ cis Eugenii IV. curia tum erat, inter capita
„ quæ adhuc juvenis diſputanda de more
„ propoſuerat, edidiſſet ; Chriſtum 25. die
„ Martii non eſſe mortuum, ſed 3. Aprilis, id-
„ que anno ætatis ſuæ 33. non completo, ſed
„ ineunte, vulgaris nempe rationem æræ inibat
„ Toſtatus, multorum animos, quaſi veterum
„ autoritatem contemneret, commoverit, à
„ quibus de religione vehementer cœpit agita-
„ ri. Inſtabat potiſſimum Joannes Turrecre-
„ mata, ex Dominicano Ordine Cardinalis,
„ qui prius non deſtitit quàm datis judicibus,
„ Toſtatus poſtulatus ſit atque damnatus.

„ Accuſatus ipſe ſtatim ſchedulam, ut vocat,
„ obtulerat ſummo Pontifici, quæ adhuc extat
„ in fine primæ Partis defenſorii ſui, quâ qui-
„ dem ſe correptioni Pontificis, & ſanctæ Ec-
„ cleſiæ humiliter ſubmittit ; neque ſe veritati,
„ neque melius ſententium autoritati præ-
„ judicare velle aſſeverans, ſed optare ut omnia
„ ſalvâ pace fidei, & veritatis dicta ſint. Verùm
„ quod auditus non eſſet, & minus æquum
„ ſenſiſſet Pontificem, indignè tulit, & anno
„ poſtea 1443. jubente Cardinale à ſancto
„ Angelo, qui ſanctæ Sedis Apoſtolicæ in
„ Ungariâ legatus, fortiter pugnans contra
„ Turcas

Turcas occubuit, longiſſimam hac de re “ ſcripſit Apologiam Defenſorii nomine, cujus “ in ſecunda Parte ſententiam hanc ſuam ab “ adverſariorum calumniâ copioſiſſimè tuetur, “ pontificiam autoritatem liberius etiam ali- “ quando ſugillans. Narrat verò cap. 10. diebus “ ſuis & prius in curiis duorum ſummorum “ Pontificum quæſtionem hanc fuiſſe agitatam, “ introductoſque Aſtronomos necnon Judæos “ qui affirmavere, fieri non potuiſſe ut tali die “ 25. Martii, Chriſtus moreretur, tum quod “ viæ aſtrologiæ repugnaret, hac die in illis “ annis, Lunam dari 15. tum quod Judaïcarum “ ſolemnitatum terminis non minùs adver- “ ſaretur. “

Quod autem ante ſua tempora quæſtionem “ hanc coram ſummo Pontifice jam dicit agita- “ tam; nondum, ut ingenuè fatear, ad quem “ Pontificem id referri velit, mihi compertum “ eſt. Sanè in media etiam antiquitate repertos “ plures qui Bedæ opinioni contradicerent ne- “ mo neſcit. Sic Rogerius Baccon Franciſca- “ nus, ſancti Bonaventuræ æqualis, in Epiſtolâ “ ad Clementem IV. Papam ſcripſit, Dominus “ paſſus eſt anno triceſimo tertio ab ejus In- “ carnatione, hoc eſt anno 32. juxta veram “ ejus ætatem. Sic Paulus Burgenſis Epiſco- “ pus, ac olim profeſſione Judæus, qui ſub an- “ num 1400. floruit, in eâ opinione fuit, ut “ Chriſtum mortuum crederet anno ætatis 32. “ completo, & 33. inchoato: nempe ejus mor- “ tem anno æræ noſtræ vulgaris 33. ut jam “ ſuprà notavi, aſſignans: idque ex Lunari “ calculo quem dixit ſe perfeciſſe cum Hebræ- “ orum peritis. Sic Joannes de Muris, ut refert “ Epiſcopus Foroſempronienſis, ſcriptum “ reliquit: Fuerunt dies vitæ Chriſti anni 31. “ & dies centum.] Quibus & alios addere “ poſſis ex iis quos ſuprà retuli, ſed nunc ad “ Toſtatum. Ille in prooemio ſui operis de “ adverſariis “

„ adverſariis ſic conqueritur: Cum ergo mul-
„ torum dierum ſuper iis (propoſitionibus)
„ laborioſas operas perdidiſſent, quod ſatis
„ ſibi ipſis ad ignominiam cedere arbitraban-
„ tur, ut nihil omninò feciſſe putarentur, eas
„ præſumptuoſas & ſuperbas vocaverunt.
„ Falſas tamen dicere eas nequaquam auſi ſunt;
„ cum per multos dies ante, plurimi æmulo-
„ rum eas erroneas & hæreticas apertiſſimè
„ teſtarentur. Nimirum adverſus veritatem,
„ nec vim, nec locum habet ulla aut temporis
„ præſcriptio, aut hominum præjudicia.)
„ Cunctandi tamen adhuc poſteà, hujus
„ ſæculi doctis hominibus, tam atrox de
„ doctiſſimo Juvene judicium cauſa fuit, qui
„ difficulter & timidè ab hoc opinionis com-
„ mento avulſi ſunt, donec efferentibus ſeſe
„ hominum ingeniis, ait Petavius, ac majori
„ doctrinarum omnium luce perfuſis, vetus illa
„ ſic tandem exolevit perſuaſio, paucos ut hac
„ ætate patronos ac defenſores habeat.
„ Unde autem fieri potuerit ut hæc per-
„ ſuaſio quod Chriſtus 25. Martii mortuus
„ ſit, tandiù hominum mentibus hæſerit,
„ difficile prorſus eſt inveſtigare, cum qui
„ hanc rationem inire voluerunt, ut & Lu-
„ nam 15. & feriam 6. illi diei adaptarent, in
„ portentum illud opinionis quod ſuprà no-
„ tavimus abierint, ut Dionyſium totis an-
„ nis 22. natalem Chriſti tardiùs poſuiſſe
„ dicerent. Quare res aliter indaganda.
„ At mihi quidem in mentem venit (in ob-
„ ſcuris enim, conjecturæ locus) id non tam
„ ab vero mortis tempore, quàm à primo
„ Paſchate quod Chriſtiani celebrarunt, anno
„ ſequenti hoc eſt, Juliano 79. æræ noſtræ 34.
„ eſſe revocandum. Nam cum diſcipuli his
„ primis annis nullam habere potuerint aliam
„ temporum rationem, quàm quæ apud Ju-
„ dæos erat uſurpata, ut ex jam dictis ſatis
„ intelligi

intelligi datur: promptum eſt ſuſpicari eos, "
hac anno primam mortis Chriſti memoriam "
peregiſſe quo die Judæi ſuum Paſcha cele- "
bravêre; nempe 14. Luna quæ eo anno in "
23. Martii noſtri & feriam 3. incidebat, ut "
ſuprà demonſtravimus; ſic ut etiam die "
poſt tertio, hoc eſt 25. Martii, Reſurrectionis "
Chriſti anniverſaria recordatione lætati ſint, "
quæ eo altiùs eorum infixa eſt mentibus, "
quod eodem die quo illa, hoc anno incur- "
rebat, ipſum recolerent in Virginis utero in- "
carnatum. Idque ut mihi perſuadeam "
facit etiam mos antiquus, qui adhuc in "
quibuſdam viget Eccleſiis; ut Annotinum "
Paſchæ, quod vocant ſingulis annis cele- "
brent: hoc eſt ejus memoriam agant, quo "
die anno præcedente ipſa feſtivitas acci- "
derat. "

Hoc ergo primum ſanctæ Reſurrectionis "
Paſcha, quod quanto minori apparatu, tan- "
to majori certè devotione ab Eccleſiâ naſ- "
cente Hieroſolymis eſt celebratum. Hinc "
illa, ut videtur, percrebuit hujus diei celebri- "
tas apud poſteros, qui quidem ſucceſſu tem- "
poris, poſt rerum Judaïcarum ſubverſionem "
novam temporum, annorum, regnorum, in- "
ſtitutam rationem, rebus omnibus turbatis, "
deletis atque mutatis, cum quo præcisè an- "
no Chriſtus paſſus eſſet jam ignorarent, tenuis "
tamen adhuc alluceret hujus diei 25. Martii "
memoria, hunc ad ipſummet Paſſionis tem- "
pus referendum opinati ſunt, cum potius ad "
primum Chriſtianorum Paſcha referendum "
fuiſſe videatur, & alii Chriſti mortis diem, "
alii reſurrectionis eum eſſe minus ſcrupuloſè "
dixere. Nempe ut una fuit oblatio quæ die "
paraſceves eſt incepta, & die reſurrectionis "
completa, ita illud omne ſpatium quaſi "
unus dies eſt reputatum, ſicut unum eſt "
peractum ſacrificium. Hinc Tertullianus "
eorum "

„ eorum qui hac die Chriſti mortem ſigna-
„ runt, certè princeps, ſi non etiam primus
„ non dixit, loco ſupra laudato; actam,
„ ſed perfectam 8. Calend. Aprilis Paſſionem,
„ hoc eſt oblationem hac die abſolutam,)
„ unde etiam lib. de Baptiſmo cap. 19. ita
„ loquitur. Diem Baptiſmo ſolemniorem
„ Paſcha præſtat, cum & Paſſio Domini
„ in quam intingimur adimpleta eſt.) Hinc
„ ipſemet Auguſtinus, qui, ut ſuprâ diximus
„ Paſſionem aliquando 8. Cal. April. illigat,
„ ſermone tamen 18. de tempore dixit qua die
„ conceptus in utero Virginis, in ipſâ reſur-
„ rexit à mortuis, cum gloria Paſſionis, nem-
„ pe 25. Martii huic diei jam reſurrectionem
„ accommodans, cum qua aliàs componit
„ Paſſionem. Quin idem Doctor dies 50. quæ
„ Paſcha & Pentecoſten interſunt, ab ipſamet
„ Paſſione æquè ac Reſurrectione interdum
„ dinumerat, ut cum lib. de Spiritu & Litt.
„ cap. 16. ait: Ab occiſione & reſurrectione
„ illius quinquaginta diebus completis, con-
„ gregatos in unum fideles, Spiritus ſanctus
„ implevit: diem occiſionis & reſurrectionis
„ manifeſtè pro uno reputans. Quod idem
„ innuit Autor Hiſtoriæ Scholaſticæ his verſi-
„ bus, qui multis aliter iſta accipientibus ne-
„ gotium faceſſunt.
„ Salve ſancta dies quæ vulnera noſtra coërces,
„ Angelus eſt miſſus, eſt paſſus in cruce
„ Chriſtus, eſt Adam factus, & eodem tem-
„ pore lapſus, corpora Sanctorum cum Chri-
„ ſto multa reſurgunt.)
„ Nec parum huic noſtræ conjecturæ fidem
„ aſtruit, quod Græci computiſtæ, ut Maximus
„ Martyr, Chronicon Alexandrinum, Geor-
„ gius Syncellus, Cedrenus, & alii complures,
„ Chriſtum non jam 25. ſed 23. Martii paſſum
„ conſtanter aſſeruerunt. Verum ex illis multi
„ cum hæc tria in eundem concurriſſe diem ar-
„ bitrati

bitrati ſunt 23. Martii feriam 6. & lunam 15. “
in aliud commentum longè diverſum ab eo “
quo quorumdam Latinorum ſupra referebamus “
abierunt, ut mortem Chriſti cum anno “
communis æræ 42. illigarent, ac Nativitatem “
ei anno qui cum ejuſdem æræ 8. vel. 9. “
comparatur, ineptè prorſus attribuerent; adeo “
certum eſt unam ineundæ veritatis eſſe viam, “
à qua ſi ſemel receſſeris, hinc inde longius “
aberres neceſſe eſt. “

Atque hæc ego cum jam ſcripſiſſem, incidi “
forté in gnomen orthodoxam temporum ſacrorum “
Gottifredi Vendelini, autoritate Tornacenſis “
Epiſcopi anno 1659. Tornaci editam, “
in qua conjecturam hanc noſtram non leviter “
fulciri gaviſus ſum, hujus verba non pigebit “
adſcribere, ut hanc quam ſequor opinionem, “
non mei ſolius eſſe magis appareat: Neque “
tamen, inquit, extra lineam aberrarunt Eccleſiæ “
ſancti Patres qui vel paſſionem, vel reſurrectionem “
in octavum Calend. Aprilis, hoc “
eſt in diem 25. Martii retulerunt. Apoſtoli “
enim cum Paſſionis memoriam anniverſario “
cultu vellent repræſentari à fidelibus, primum “
Paſcha nacti ſunt, quod Hieroſolymis celebratum “
fuit die 25. Martii feria 5. quem diem “
Chronicon Alexandrinum vocat primum “
Paſcha Apoſtolicum, quod quia primum “
fuit, jamque infinita multitudo Gentilium “
etiam Romanorum Chriſto nomen dederat, “
quibus Calendarium ſolare fixum, “
non illud Lunare Judaicum ac vagum, “
toto fermè orbe Chriſtiano uſurpabatur: “
retentus eſt Paſchalis Apoſtolici primi ſtatus “
dies, ad Octavum Calendas Martias: “
unde ultrò etiam agnoſcimus, quoniam “
illud Paſcha fuit Apoſtolicum primum, “
neceſſario ſuperioris anni Paſcha Judaicum “
incidiſſe in tertiam diem Aprilis, “
diemque quartum Aprilis fuiſſe 15. Niſan, & “
Chri- “

„ Chriſtum reſurrexiſſe die 5. Aprilis, quod
„ omninò noſtræ congruit rationi.
„
„ *Unde factum ut antiquorum plurimi Chriſtum*
„ *anno vitæ circiter 30. paſſum opinati ſint.*
„ *Qua viâ vera Chriſti ætas indaganda. Qua-*
„ *tenus æra vulgari inhærendum.*
„
„ QUin ex eodem quoque fonte partim
„ manaſſe arbitror, ut illa de anno Chri-
„ ſti mortis apud antiquos invaluerit opinio,
„ quæ eam anno 15. Tiberii & Geminis Coſſ.
„ aſſignaret, hoc eſt, anno æræ quâ jam uti-
„ mur 29. ut ex Tabulâ ſuprà exhibitâ per-
„ ſpici poteſt. Circumferebantur enim, ut
„ refert Epiphanius, Hær. 50. §. 1. quædam
„ etiam acta Pilati in quibus erat ſcriptum,
„ Chriſtum 8. Calend. April. paſſum.) Qua-
„ re illi Patres antiquiores, cum Solis, Lu-
„ næque ratiocinia minùs comperta haberent,
„ atque adeò feriarum potius quàm Luna-
„ rum rationes inirent, ſatis eſſe arbitrati
„ ſunt ſi ſuo litterarum Dominicalium Cy-
„ clo retrorſum acto in annum inquirerent,
„ quo feria 6. die Martii 25. accideret, quem
„ non alium repererunt quàm Julianum 74.
„ hoc eſt dictum æræ noſtræ 29. imperii
„ Tiberii 15. quo duo Gemini Conſulatum
„ geſſere, fuitque littera Dominicalis B. quæ
„ feriam 6. in litterâ G. atque in 25. Martii
„ indicaret in noſtro Calendario.
„ Sed accedebat præterea, quòd cum Pro-
„ pheta Chriſtum eſſe miſſum dixerit, ut
„ prædicaret annum acceptabilem Domino,
„ illi concludendum inde arbitrarentur, non
„ plures ejus miniſterio abſcribendas, atque
„ adeò cum Lucas innuat Chriſtum quaſi 30.
„ annorum fuiſſe cum ad ſacrum Lavacrum
„ acceſſit, ſic illi hæc componebant, ut
„ eodem circiter anno & baptizatum dicerent
„ & cru-

& crucifixum, quod quàm à veritate alienum ſit, jam ſuprà demonſtravimus.

At ſaltem (nam id dicet aliquis) Lucæ epocham accuratè Patres tenuerunt de baptiſmo Chriſti ætatis anno 30. aſſignando, quæ minus à nobis ſervata videri poteſt, dum illud ὡσεὶ, quaſi ad tres annos extendimus.

At ſi hoc abhorret à Lucæ epochâ, non minus certè abhorrebat Tertullianus, & ſi aliter libro 1. contra Marcionem cap. 13. quod opus verè Catholicus ſcripſit, cum enim Chriſtum iis quos dixi Conſulibus & anno Tiberii 15. mortuum crederet, ut ſuprà vidimus, eumque tamen per tres annos in Evangelio prædicaſſe cerneret, hoc in libro clarificatum ipſum ſive baptizatum dixit anno Tiberii 12. ſanè apud antiquos lavacrum hoc illuminatio dicebatur, ut nos docet Juſtinus Martyr Apolog. 2. quod eorum qui id ſuſciperent mentes illuminarentur. Putavit ergo Tertullianus triennii libertatem permittere illud ὡσεὶ: quo ſemel admiſſo, tam licebit nobis hunc numerum triceſimo addere quàm Tertulliano eundem detrahere. Quod multis etiam exemplis ac rationibus ſuprà firmavimus.

Inſtant illi extare hac de re Concilii Neocæſarienſis in Palæſtinâ anno 314. habiti decretum in hæc verba, Can. 11. Presbyter ante annos 30. non ordinetur, etiam ſi fuerit homo valde dignus, ſed reſervetur. Dominus enim Jeſus Chriſtus in anno trigeſimo & baptizatus eſt, & cœpit docere.]

Verùm ex eo jure cuiquam invidia moveri poſſet, ſi quis ad Tertulliani, puta, aut ſimilem ſententiam delaberetur ut de illis annis 30. aliquid tolli vellet, aut cum hujus Concilii Decreti vis in eo ſit, ut nolit Preſbyterum ante annos 30. ordinari, quod

„ citius Chriſtum docuiſſe probari non poſſit:
„ injuriam certè non faciet Concilio, qui
„ dicet probabile eſſe, ne eum quidem ante
„ triceſimum & tertium annum miniſterio ſuo
„ functum. Quanquam ſi quis eum velit
„ citius baptizatum, non valde repugnem:
„ dummodo videat, qui triceſimus Chriſti
„ annus cum 15. Tiberii congruat, aut plura
„ quàm 4. Paſchata in Evangelio poſſint
„ reperiri.

„ Unum certè eſt quod præcipuè hic inculca-
„ ri velim; nos non ex annis baptiſmi, to-
„ tum Chriſti vitæ ſpatium erui poſſe, arbi-
„ trari, ſed potius ex characteriſmis anni cum
„ Nativitatis tum Paſſionis. nempe hanc
„ ipſam regulam nobis ipſemet jam olim
„ præſcripſit Auguſtinus; ignorantia, inquit,
„ Conſulatus quo natus eſt Dominus, & quo
„ paſſus eſt, nonnullos circa ejus ætatem
„ coëgit errare] (de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap.
„ 28.) quod quandiu aliter factum fuerit,
„ vereor ne materies æternis diſceptationibus
„ miniſtretur, & doctiſſimi quique in veri
„ deſperationem injiciantur.

„ Hos ergo caracteres anno Juliano 41. quod
„ ad Nativitatem ſpectat, & anno Juliano 78.
„ quod ad paſſionem, poſt graviſſimos quos
„ utraque parte laudavi autores, diligenti
„ etiam adhibito examine, aſſignandos ſum
„ arbitratus: rationibus etiam quæ afferri
„ contra videri potuiſſent excuſſis, & rejectis,
„ baptiſmum verò Chriſti non pluſquàm tribus
„ annis, & aliquot menſibus ab ejus morte
„ putavi disjungendum, quod & Chriſtum ſta-
„ tim atque baptizatus eſt, miniſterio functum
„ ſatis innuat Scriptura, nec pluſquam Paſcha-
„ ta quatuor putem dari in Evangeliſtis.

„ Quod ſi quis aliter res ordinare meliùs
„ noverit aut putaverit, ubi de eo conſtite-
„ rit, ego libenter ſequar: quæro enim, nec

pigebit

pigebit me, ut olim ſapientiſſimus idem ac “
moderatiſſimus dicebat Auguſtinus, ſicubi “
hæſito quærere, nec pudebit ſicubi erro diſce- “
re. Lib. 1. de Trinit. cap. 2. Caveant tamen “
illi qui cum vera videant, hac una religione “
teneri videntur, ne ætatem Chriſti ſupra “
vulgo receptam nunc opinionem extendant; “
ne magis honorabilem ætatis ejus partem “
auferant, illam inquam provectiorem (Irenæi “
verbis utor) lib. 2. cap. 39. in quâ edocens “
prætereat univerſis. “

Si quis vero, maxime ærâ vulgari delecte- “
tur, nemo ferè aliorum eſt qui facilius quàm “
nos in gratiam cum eâ redire poſſit, qui “
anno ejus trigeſimo baptizatum Chriſtum “
ac ejuſdem 33. mortuum diximus: ut ſi “
plures prætereà vitæ Chriſti annos attribu- “
erimus, non nobis, ſed illis imputandum “
ſit, qui hanc æram juſto breviorem dixerunt, “
& verum Nativitatis Chriſti annum ex “
Herodis mortis tempore, jure ſanxerunt “
eruendum. “

Sanè ipſemet Baronius hanc vulgarem æ- “
ram quam ſequi ſe profitetur, biennio tamen “
integro antevertit, cum Chriſtum vult na- “
tum Lentulo & Meſſalino Coſſ. hincque “
in multis Hiſtoriam tam Eccleſiaſticam “
quàm profanam turbavit: donec à faſtis “
duobus paribus Conſulum eraſis à Diocle- “
tiani temporibus, rectâ tandem Chronolo- “
giâ progreſſus eſt, ſimiliterque Onuphrius, “
Panvinius, Mercator, & alii ut in eandem “
æram devolvantur, quam imprudentes uno “
anno anteverterant, eradunt Probum & “
Paulinum Coſſ. anni 277. & ſic alii alios “
cum contra longè æquius fuiſſet Dionyſi- “
anam æram illam juſto breviorem ſicuti eſt, “
fateri, quàm privata licentia faſtos ad men- “
tem ſuam componere, & in multis Chrono- “
logiam vexare. “

„ Quàm porro immerito fiat ab iis qui hanc „ æram contendunt ex omni parte admittendam, quaſi ab Eccleſiâ approbatam & receptam, nemo eſt jam qui non videat, certè „ enim Eccleſia more receptis utitur, nec ſolet Chriſti ſponſa ad hujuſmodi minutias „ tam diligenter diſquirendas, majeſtatem ac „ dignitatem ſuam demittere. Sic enim olim „ in Conciliis ſuis ex ſeptuaginta Interpretum calculo, annos ab orbe condito dinumerabat, quod plurimorum uſu probaretur. „ Sicque nunc adhuc in Martyrologio eoſdem „ annos enunciat, cum Hebraicam tamen „ veritatem longe anteponendam non ignoret: „ unde Auguſtinus (libro 14. de Civitate Dei „ cap. 10. & ſeq.) qui Septuaginta „ multum extollit, eorumque Verſione ut „ plurimum utebatur, hanc tamen in annorum calculo corruptam eſſe docet, atque adeò „ ad Hebræorum fontes tunc recurrendum.

„ Sic ad Gregorii XIII. tempora, uſa eſt „ Eccleſia Calendario non ſatis accurato, quanquam ejus vitia nec ignoraret ipſa, nec approbaret. Sic denique etiamnum ex antiquo „ Hymno canit Chriſtum in Cruce paſſum, „ Luſtris ſex peractis, hoc eſt annis 30. adimpletis, quæ tum maxime vigebat opinio, „ cum ille Hymnus concinnatus eſt, ut ſuprà „ vidimus, quanquam nemo jam ſit qui ab „ hac opinione non longe recedat. Unde eodem modo factum eſt ut ærâ vulgari jam „ in Jubilæis aſſignandis, ſuiſque diplomatibus dandis utatur, quod ea vulgò recepta ſit: „ quandam nemo ferè ſit paulo inſtructior, qui „ eam, ut dixi, non fateatur juſto breviorem. „ Neque verò ea numerandi conſuetudo perpetua fuit, ſed à duobus circiter ſæculis in „ Eccleſiam introducta, Eugenio IV. Pontifice, ut notat Blondus Forolivienſis qui Pontificii Collegii à Secretis Notarius erat, „ cum

cum hactenus ſoli Pontificum anni in litteris adſcriberentur.

DISSERTATIO POSTERIOR.

DE ANNIS NATIVITATIS ET MORTIS CHRISTI.

I.

Quo anno & quâ tempeſtate anni, Rex ſalutatus & mortuus ſit Herodes.

JEſum Chriſtum natum eſſe non multò ante mortem Herodis Magni, totius Judææ Regis, dubitare nemo poteſt, qui fidem Evangelio Matthæi habeat. Hæc igitur duo tantùm quærenda ſibi propoſita eſſe exiſtimarunt viri docti, qui de hiſce rebus agere aggreſſi ſunt; quonam, nimirum, anno, quàve anni tempeſtate, de vita deceſſerit Herodes; tum etiam quot menſibus eam mortem anteceſſerit Chriſti natalis dies. Diverſas hominum eruditorum, hiſce de capitibus ſacræ Chronologiæ, ſententias quærent ſtudioſi apud eos qui dată operâ de Chronologia ſacra egerunt; nam nos quidem hîc eam ſolam, quæ nobis veriſimillima viſa eſt, exponemus.

Exiſtimamus autem eos rectiſſimè omnium ſentire qui putant, (ut hinc initium faciamus) Herodem mortuum eſſe regni anno 37. ſi initium ducamus à die quo Romæ à Senatu Rex Judææ ſalutatus eſt, at 34. ſi ab expugnatione Hieroſolymæ; quam poſteriorem notationem temporis, ob rationem poſtea dicendam, ſequuti ſumus, in ſumma pagina, in qua anni primi Chriſti geſta narravimus. Hic autem annus Herodis

,, fuit ab urbe condita 750. Auguſti 41. ante
,, æram vulgarem 4.
,, Potiſſima hujus ſententiæ ratio eſt ex Joſe-
,, pho petita, qui cùm haberet vitam Herodis
,, conſcriptam ab ejus familiari Nicolao
,, Damaſceno, accuratus eſſe, in Chronologia
,, vitæ ejus Regis, potuit. Is autem ita loqui-
,, tur de anno, quo eſt Romæ Rex ſalutatus,
,, Antiquit. Jud. lib. 14. cap. 29. Οὕτως τὴν
,, *βασιλείαν παραλαμβάνει τυχὼν ἐπὶ τῆς ρ´ καὶ π´.*
,, *καὶ δ´.* Ὀλυμπιάδος, ὑπατεύοντος Γαΐου Δομετίου
,, Καλβίνου το δεύτερον, καὶ Γαΐου Ἀσινίου Πωλίωνος:
,, *Sic accepit regnum, quod conſecutus eſt Olympiade*
,, 184. *C. Domitio Calvino ſecundùm, & C. Aſi-*
,, *nio Pollione Coſs.* Qui Conſules magiſtratu
,, functi ſunt, anno ab urbe condita 714. Ejuſ-
,, dem verò libri cap. 27. narrat ille obſediſſe
,, Hieroſolymam, anno tertio, ex quo Romæ
,, rex ſalutatus erat: τρίτον δὲ αὐτὸ τοῦτο ἔτος ἦν,
,, ἐξ οὗ βασιλεὺς ἐν Ῥώμῃ ἀποδέδεικτο: *tertius is*
,, *ipſe erat annus, ex quo Romæ rex renuntiatus*
,, *fuerat.* Deinde, capite ſequente, de tempore
,, captæ urbis: τοῦτο τὸ πάθος συνέβη τῇ Ἱεροσολυ-
,, *μιτῶν πόλει.* ὑπατεύοντος ἐν Ῥώμῃ Μάρκου Ἀγρίπ-
,, *πα καὶ* Κανιδίου Γάλλου, ἐπὶ τῆς ρπε´. Ὀλυμπιά-
,, δος: *hæc calamitas contigit Hieroſolymitarum urbi,*
,, *Coſs. Romæ M. Agrippa, & Canidio Gallo,*
,, *Olympiade* 185. Ac ſanè inter Conſules, qui-
,, bus Magiſtratum obtinentibus, Herodes rex
,, eſt ſalutatus, & eos, quos hîc memorat,
,, ſunt tantùm duo paria Conſulum; ita ut ſi
,, æſtate anni ab urbe condita, ut poſtea oſten-
,, demus, 714. regnare cœperit Herodes, non-
,, dum exactò tertio anno, aut eo certè verten-
,, te, Hieroſolymam cœperit. Ea enim potitus
,, eſt, menſe tertio, hoc eſt, ineunte æſtate, ut
,, poſtea Joſephus, cujus proximè ſequuntur
,, hæc verba, τῷ γ´. *μηνὶ*, τῇ ἑορτῇ νηστείας, ὥσπερ
,, ἐκ περιτροπῆς τῆς γενομένης ἐπὶ Πομπηΐου τοῖς
,, Ἰουδαίοις

Ἰουδαίοις συμφορᾶς, καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνου τῇ αὐτῇ ἑάλωσαν ἡμέρᾳ, μετὰ ἔτη κζ'. *tertio menſe* (ab æquinoctio verno (*feſto jejunii, quaſi in orbem redeunte in Judæos calamitate, quam olim à Pompeio paſſi erant; nam ab eo, eodem die capti fuerant, ante viginti ſeptem annos*; hoc eſt ab urbe condita 691. quo erant Coſſ. C. Antonius & M. Tullius, ut habet Joſephus ejuſdem libri cap. 8. conſentientibus Romanis Faſtis. Jejunium autem exiſtimo intelligi quod celebrabatur 22. menſis Sivan, qui tertius eſt, ob idololatriam à Jeroboamo inſtitutam. Vide Calendarium Judaïcum editum à Joanne Seldeno, in libro de anno civili Judæorum, cap. 7.

Ita conſtituto initio regni Herodis, ut nulla ſupereſſe nunc poſſit dubitatio, videndum quo anno regni ſit mortuus, quod idem docuit Hiſtoricus Antiq. Jud. lib. 17. cap. 10. hiſce verbis: τελευτᾷ βασιλεύσας, μεθ' ὃ μὲν ἀνεῖλον Ἀντίγονον, ἔτη τέσσαρα καὶ τριάκοντα, μεθ' ὃ δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποδέδεικτο ἑπτὰ καὶ τριάκοντα: *moritur cùm regnaſſet, poſt ſublatum quidem Antigonum, triginta quatuor annos: poſtquàm verò renuntiatus fuerat à Romanis, triginta ſeptem.* Idem repetit, ne quis poſſit ſuſpicari errorem eſſe in numeris, lib. 1. de Bello Judaïco, cap. 21.

Jam ſi anno ab urbe condita 713. addas annos 37. numerato anno 714. quo Herodes regnare cœpit, incides in annum 750. qui etiam oritur ex additione 34. annorum anno 716. quo elapſo, Antigonus è medio ſublatus eſt, in gratiam Herodis, qui ab eo tempore ſolus rex Judæorum dici potuit.

Sed & aliâ certiſſimâ ratione, emortualis annus Herodis ab Joſepho eſt deſignatus. Nimirum, eo anno, quo Herodes mortuus eſt, Luna defecit, ut teſtatur Antiq. Jud. lib. 17. cap. 8. quod deliquium contigit Hieroſolymæ,

„ ſolymæ, ex Aſtronomorum calculo, Martii menſis die 16. horâ tertiâ, poſt mediam noctem, anno ab urbe condita 750.

„ Poſſunt & alia proferri argumenta, quibus conſtet Herodem ultra hunc annum non vixiſſe, neque citiùs fato functum, quæ etiam à viris doctis, nuper in Gallia, ſtudiosè ſunt propoſita. Verùm hæc ſatis ſunt, ut ait ille, aut nihil erit ſatis; & nos argumentorum vim ex ſingulorum pondere, non ex numero, æſtimare ſolemus. Jam quærendum, qua anni tempeſtate regnare cœperit Herodes.

„ Hoc autem ſic confici poſſe nobis videtur. Joſephus antea nos docuit primum ejus regni annum, initio facto à tempore quo Romæ rex ſalutatus eſt, incidiſſe in 184. Olympiadem; ex quo intelligere licet Herodem ſalutatum fuiſſe regem Romæ, ante ſolſtitium æſtivum anni ab U. C. 714. nam à ſolſtitio ejus anni incipit Olympias 185. quæ celebrata fuit, ex calculo Sethi Calviſii, die 17. Auguſti. Hinc obiter colligere licet eos errare, qui differunt in autumnum memorati anni regiam Herodis dignitatem; quorum tamen rationes confutare non aggrediar.

„ Certè nihil habet Joſephus, quod perſuadere poſſit Herodem ſeriùs ſalutatum fuiſſe regem Judææ. Narrat enim Antiquit. Jud. lib. 14. cap. 26. eum hyeme Alexandriâ ſolviſſe, χειμῶνος ὄντος, & Belli Jud. lib. 1. cap. 11. eum minimè veritum τὴν ἀκμὴν τοῦ χειμῶνος, hoc eſt, *vim maximam hyemis*, quæ aſperrima eſt menſe Januario; periclitatum verò eum eſſe circa Pamphiliam, & ægrè Rhodum perveniſſe, ac ibi inſtructâ triremi in Italiam navigaſſe. Quò pervenire potuit menſe Aprili, dein mediâ æſtate, aut circiter, regiam dignitatem conſequi.

„ Hinc jam ſatis liquet, ſi ſtatuamus Herodem

dem mortem obiiſſe ſub finem æſtatis anni “ ab U. C. 750. mortuum eſſe inchoato trigeſi- “ mo ſeptimo regni anno, ſi cœperimus ab “ anni U. C. 714. æſtate. Nec minùs certè re- “ gnare eum oportuit, ut poſſet dici regnaſſe “ triginta ſeptem annos; ultimus enim annus “ non potuit numerari, niſi eſſet inchoatus. “ Inchoatos autem annos pro integris paſſim “ ſumi, apud omnis generis Scriptores, nemo “ ignorat; quare nec opus eſt ejus rei exempla “ ulla à nobis proferri. “

“

I I. “

“

Jeſum eſſe natum penultimo ejus regni anno. “

“

INdicato & certis argumentis firmato anno “ emortuali Herodis, quærendum quot “ menſibus ante ejus mortem natus videri poſſit “ Jeſus Chriſtus. Exiſtimanus nos de numero “ menſium nihil poſſe certum conſtitui; at na- “ tum Chriſtum anno U. C. 749. vel Juliano “ 41. cujus partem dimidiam poſteriorem ſibi “ vindicat 33. Herodis, ab expugnata Hiero- “ ſolyma. “

Conſtat quidem ex Luca, Jeſum ſex men- “ ſibus poſt Joannem Baptiſtam natum eſſe; “ ſed cùm incertus ſit menſis conceptionis, ac “ natalium Joannis, nihil hinc explorati colli- “ gi poteſt. Scio quidem quæ viri doctiſſimi “ conjecerint de hebdomade, quâ claſſis Abiæ, “ quæ erat Zachariæ patris Joannis, ſacris in “ Templo operaretur; verùm & illa ſunt leviſ- “ ſimis fulcris ſubnixa, & præterea parum con- “ ſtat an ſtatim, poſtquàm Zacharias domum “ rediit, gravida facta fuerit ejus uxor Elizabe- “ tha. Igitur ne conjecturas conjecturis cumu- “ lemus, in re tam ſeria, à conjiciendo pror- “ ſus abſtinere maluimus. “

Norunt omnes Occidentales Eccleſias exi- “

„ ſtimaſſe Chriſtum eſſe natum 8. Calendas
„ Januarias; qui dies propterea etiamnum,
„ quaſi natalis Chriſti, celebratur per totum
„ Occidentem. At Orientales contendebant
„ natum eſſe 8. Idus Januarias, rémque ſibi ma-
„ gis exploratam dictitabant, quàm Occiden-
„ talibus remotioribus à loco, in quo Chriſtus
„ natus erat. Congeſſit hanc in rem multa ve-
„ terum loca Joan. Ger. Voſſius, in Diſſertatio-
„ ne *de tempore Nativitatis Chriſti*. Sed neutris
„ rem exploratam fuiſſe facilè ſibi perſuade-
„ bit quiſquis eam expenderit, ſciveritque
„ antiquiſſimis temporibus minimè conſecra-
„ tum fuiſſe hunc diem, à Chriſtianis. Quæ
„ res cùm nemini erudito dubia ſit, à me plu-
„ ribus non commemorabitur.

„ Nolim negare aut affirmare natum eſſe
„ Chriſtum hoc, aut illo menſe anni Juliani
„ 41. quia res minimè conſtat. Hoc unum
„ conſtare poſſe mihi videtur, natum
„ eum eſſe hoc anno, quamquam ignotus eſt
„ menſis. Quamobrem anno ſequenti, ſeu
„ Juliano 42. natalis anni Chriſti titulum
„ præſcripſimus, neglectis menſibus aut die-
„ bus anni ſuperioris; quemadmodum ſolet
„ vulgò, etiam in æra Dionyſiana, fieri.

„ Referendi autem anni natalis Chriſti ad 41.
„ Julianum, has potiſſimùm rationes habe-
„ mus, quas paucis exponemus; quia jam
„ ſunt ab aliis copiosè propoſitæ, atque illu-
„ ſtratæ. Docet Lucas Evangelii cap. 3. 1.
„ *decimo quinto imperii Tiberii* cœpiſſe bapti-
„ zare Joannem, cùmque ad eum permulti
„ confluerent, ad hominem iviſſe Jeſum,
„ ut ab eo etiam ablueretur, verſ. 21. Tum
„ ſubdit: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριά-
„ κοντα ἀρχόμενος: *Et ipſe erat Jeſus circiter*
„ *triginta annorum incipiens*; nimirum, mu-
„ nere ſuo defungi. Nam illis verbis nul-
„ lam ineſſe obſcuritatem putamus;
„ nec

nec ullam quiſquam in iis reperiſſet, niſi ob “
rationes nihil huc facientes, iis viis inferenda “
fuiſſet. Hoc unum dubium eſt, quo menſe an- “
ni decimi quinti Principatûs Tiberii à Joan- “
ne baptizari Chriſtus voluerit. Incipit autem “
annus quindecimus Tiberii à die 28. Sexti- “
lis menſis, anni ab urbe condita 779. At eum “
baptiſmum ſeu ad poſtremos menſes hujus “
anni, ſeu ad primum ſequentis referamus “
non multùm intereſt; nec certè quidquam, “
ea de re, minimè dubium ſtatui poteſt. Ita- “
que nos ad initium anni ſequentis retulimus, “
potiùs ut morem Occidentalium Eccleſia- “
rum ſequeremur, quàm quòd quidquam ea “
de re compertum haberemus. “

Verùm cùm Jeſus natus non ſit ſeriùs ul- “
timo Herodis anno, qui incidit, ut dixi- “
mus, in annum ab urbe condita 750. neceſ- “
ſe eſt Jeſum anno 779. circiter triginta an- “
nos natum fuiſſe, ſeu trigeſimum annum “
egiſſe, ſi ſtatuamus natum anno ab urbe “
condita 749. quemadmodum antea dixi- “
mus. Nos quidem non fugit voculam ὡσεὶ, “
circiter, poſſe paulò latiùs extendi; at nemo “
negarit commodiùs eam adhiberi ab Evange- “
liſta, ſi Jeſus trigeſimum ætatis ſuæ annum de- “
curreret. Quod cùm ita ſit, nulla ratio eſt cur “
eam ita non intelligamus; nam objectionem “
petitam ab anno Principatûs Tiberii 15. nul- “
lam eſſe poſtea oſtendemus. Igitur rectè à no- “
bis, & convenienter Hiſtoriæ ſacræ, annus “
natalis Chriſti eſt antea conſtitutus. “

Eſt & alterum indicium temporis, “
petitum ex Joannis cap. 2. 20. ubi pri- “
mo præconii Chriſti anno Judæi aiunt “
quadraginta ſex annis ædificatum fuiſſe Tem- “
plum Jeroſolymitanum; quibus verbis vo- “
lunt Templum ædificari cœptum à 46. an- “
nis, atque ab eo tempore perpetuò exorna- “
tum: nam ipſum ædificii corpus ut ita loquar, “
ab Herode Magno perfectum, intra novem “
annos “

„ annos & demidium, conſtat ex Joſepho lib. „ 15. cap. 14. Antiquitatum Judaïcarum. Sic „ intellexerim etiam quod habet Plinius de „ Templo Dianæ Epheſiæ, libro 36. cap. 14. „ *ducentis viginti annis factum à tota Aſia.* Docet „ autem Joſephus decimo octavo regni anno „ id operis cœpiſſe Herodem, quod intelligen- „ dum de regno ab expugnata Jeroſolyma „ inchoato; ut liquet ex Annalibus Petavianis. „ Ac ſanè ab eo tempore, Herodes fuit ſine „ controverſia rex Judææ; quo factum ut eâ „ ratione numerandi utatur Joſephus, quam & „ nos ſequuti ſumus. Annus autem 18. Hero- „ dis incidit partim in 26. partim in 27. Juli- „ anum; ac proinde deſumpto initio ædifica- „ tionis Templi à 26. anno Juliano, ad 71. ſeu „ æræ vulgaris 26. qui primus eſt præconii „ Chriſti, erunt anni 46. numeratis, ut paſſim „ fieri ſolet in calculis minùs accuratis, primo „ & ultimo anno, quaſi integris.

„ Hic autem calculus ejuſmodi eſt, ut ſtare „ nequeat, ſi citiùs, aut ſeriùs ſtatuamus Je- „ ſum Chriſtum munus ſuum nuntiandi Evan- „ gelii iniviſſe. Si enim citiùs cœpiſſet eo „ munere fungi, nondum potuiſſent dicere „ Judæi ſextum & quadrageſimum eſſe an- „ num, ex quo ædificabatur Templum. Si „ verò ſeriùs hi ſermones eſſent habiti, plures „ elapſi fuiſſent anni. Non diffiteor tamen, „ anno ſequente, ſeu æræ vulgaris 27. ſimile „ quid potuiſſe dici, neglectis in eo calculo „ paucis menſibus; at certè non ſeriùs, & „ præterea ea ſententia conſiſtere nequit cum „ numero quatuor Paſchatum, de quo poſtea „ agemus.

„ Ex hiſce colligere licet Chriſtum natum eſſe „ penultimo Herodis anno, cum quadraginta „ ſex annis, poſt inchoatum Templi ædifi- „ cium, triginta circiter annos natus eſſet. „ Atque hinc vice versâ confirmatur quod „ docet

docet Joſephus, de duplici initio regni Herodis, déque anno ejus emortuali. Quò enim plura, in hoc rerum genere conſentiunt, eo veriſimiliora fiunt quæ ex eo conſenſu eliciuntur.

III.

Duplex fuiſſe initium principatûs Tiberii, ad quorum prius referendam deſignationem temporis, quæ extat Lucæ 3. *verſ.* 1.

VErùm hîc quærunt eruditi, quî fieri poſſit ut *quindecimo Tiberii anno*, quo ſtatuimus, auctore Lucâ, Chriſtum cœpiſſe munere ſuo fungi, poſſet eſſe tantùm triginta annos natus, cùm hic Tiberii annus incidat in annum Julianum 73. à cujus Auguſto menſe, & die quidem 20. incipit, annus verò natalis Chriſti fuerit Julianus 41? Huic quæſtioni commodiſſimè omnium videntur reſpondere, qui duplex initium principatui Tiberii fuiſſe ſtatuunt; alterum cùm eſt collega imperii ab Auguſto creatus, alterum cùm, mortuo Auguſto, rerum habenas ſolus moderatus eſt; & de priori quidem, apud Lucam, ſermonem eſſe volunt. Renunciatus eſt autem Tiberius collega imperii, anno æræ vulgâris 11. & quidem 5. Calendas Septembres, unde ſequitur anno ejuſdem æræ 25. eodem die, ſeu 28. Auguſti, cœpiſſe 15. Tiberii annum, quo tempore munus ſuum iniiſſe videtur Joannes Baptiſta. Quod tamen ita intelligi nolim, quaſi pro comperto ſtatuerem Joannem Baptiſtam nonniſi ſub finem anni æræ vulgaris 26. cœpiſſe baptizare; nihil enim obſtat quo minùs aliquot antea menſibus cœperit, qui à Luca neglecti fuerint, quemadmodum frequentiſſimè fieri ſolet.

Poſſem

Pagi in Critica Annal. Baron.

Poſſem Lectorem amandare ad virum eruditum, qui Annales Cæſaris Baronii emendare aggreſſus eſt, & qui ad annum Chriſti 11. multis oſtendit eo anno Tiberium factum eſſe collegam imperii, ac objectionibus omnibus ſatisfecit. Is enim ita rem videtur exhauſiſſe, ut aliis omnibus, quibus de ea agendum eſſet, otium fecerit. Attamen paucis indicabimus rationem, quâ hoc tempus Proconſularis imperii Tiberii eruatur.

Dio Hiſtoriarum Romanarum lib. 56. deſcriptis iis quæ contigerant P. Sulpicio Camerino & C. Poppæo Sabino Coſſ. æræ vulgaris anno 9. ſubjicit pag. 400. edit. Rob. Stephani: Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει τό, τε Ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη: *Sequente anno, Concordiæ Templum conſecratum eſt à Tiberio.* Deinde illico ſequuntur geſta anni æræ vulgaris 11. M. Æmilio Lepido & T. Statilio Tauro Coſſ. Μάρκου δὲ Αἰμιλίου, καὶ Στατιλίου Ταύρου ὑπατεύσαντος. Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων, εἰς τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον: *Cùm M. Æmilius & Statilius Taurus Magiſtratum iniiſſent, Tiberius & Germanicus Proconſul in Galliam iverunt.* Tum ſequitur deſcriptio rerum in Germania geſtarum. Dum autem in hac expeditione abeſſet Tiberius, *Collega imperii* & *conſors Tribunitiæ poteſtatis adſumptus* eſt ab Auguſto, ut loquitur Tacitus Annal. lib. 1. cap. 1. Sic verò rem exprimit Vellejus Paterculus lib. 11. cap. 120. *Concuſſis*, inquit, *hoſtium viribus, claſſicis peditúmque expeditionibus, cùm res Galliarum maximæ molis, accenſáſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coërcitione, magis quàm pœnâ, molliſſet, & Senatus Populúſque Romanus, poſtulante patre ejus*, (Auguſto) *ut æquum ei jus in omnibus provinciis, exercitibúſque eſſet, quàm erat ipſi, decreto complexus eſſet; —— in urbem reverſus jam pridem*

debitum

debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex “
Pannoniis, Dalmatiſque egit triumphum. Qui “
triumphus incidit in annum æræ vulga- “
ris 12. “

Collegit autem vir doctiſſimus duplex ini- “
tium Tiberii ex loco Clementis Alexandrini “
Stromat. lib. 1. pag. 339. ubi tradit Chrono- “
logiam Impp. Romanorum, uſque ad Com- “
modum; & in qua, poſtquàm dixit ex vulga- “
ri ſententia Tiberium regnaſſe 22. annos, “
eamdem habet Chronologiam, ex aliorum “
ſententia, atque hæc de Tiberio: ἔπειτα Τιβέριος “
ἔτη κϛ΄. μῆνας ϛ΄. ἡμέρας ιθ. *deinde Tiberius* “
annos 26. menſes 6. dies 19. Ex quibus verbis “
hic calculus initur. Deceſſit ex vita Tiberius “
17. Calendas Apriles anni æræ vulgaris 37. à “
cujus anni die 5. Calendas Septembres, ad “
eumdem diem anni æræ vulgaris 11. ſunt “
viginti ſex integri anni. Ab eo die ad 5. Ca- “
lendas Martias ſunt ſex menſes; à 5. verò “
Calendas Martias ad diem 17. Calendas “
Apriles, quo obiit Tiberius, ſunt 19. dies. “
Unde liquet initium primi anni Tiberii à “
nonnullis Scriptoribus relatum fuiſſe ad 11. “
æræ vulgaris ac proinde initium 15. anni “
Tiberii referri, ex illorum ſententia debuiſſe, “
ad annum æræ vulgaris 25. quod cum calculo “
noſtro conſentit. Sunt & alia argumenta, “
quæ ſuadeant diem 5. Calendas Septembres “
ab Auguſto electum, ut ſibi collegam ad- “
ſumeret, quæ apud virum eruditiſſimum legi “
poterunt, ut & alia multa huc facientia. “

Duplex autem initium tribui Tiberio, non “
magis mirum videri debet, quàm triplex “
Auguſto. Sunt enim qui ejus principatum “
ordiantur ab anno, quo Julius Cæſar eſt oc- “
ciſus; alii ab ejus primo Conſulatu, quem “
anno ſequente iniit; alii denique à victoria “
Actiaca, ut intelliget non falsò quatuor “
Paſchata à nobis, multis docet Dionyſius “
Petavius “

„ Petavius de Doctrina Temporum lib. 10.
„ cap. 64. quem non exſcribemus
„ Nulla igitur cauſa proferri poteſt, cur
„ Lucæ non licuerit eorum ſententiam ſequi,
„ qui initium principatûs Tiberii repetebant
„ ab eo tempore, quo collega imperii factus
„ eſt; cùm præſertim, in provinciis, pari
„ dignitate haberetur ac Auguſtus. In Urbe
„ quidem ſe quaſi minorem eo gerebat, vide-
„ baturque potiùs ejus legatus aut admini-
„ ſter, quàm collega; adeò ut poſt mortem
„ demum Auguſti ſummæ rerum præeſſe vi-
„ ſus ſit. Verùm ſi rem probè introſpiciamus,
„ illa erant Tiberianæ diſſimulationis mera
„ ludibria, quæ accuratè à Tacito lib. 1. An-
„ nalium deſcribuntur. At provinciales ſim-
„ pliciores, ſtatim ac Proconſulare imperium
„ adeptum eum intellexerunt, participem
„ ſummæ poteſtatis factum, & principatum
„ iniiſſe, nec falsò, intellexerunt. Eadem
„ ſimplicitate reges vocabant eos, qui Romæ
„ Principes aut Imperatores, fictâ modeſtiâ,
„ dicebantur. Hinc quod in nummis Druſo
„ Tiberii filio Tribunitia poteſtas tribuitur,
„ id vocavit Euſebius in Chronico τῆς ἀρχῆς
„ κοινωνὸν προσλαμβάνεσθαι, & Hieronymus *Con-*
„ *ſortes regni fieri.*

„ IV.

„ *Paſchata quatuor eſſe in tempore miniſterii Chriſti*
„ *innumeranda, ex Joannis Evangelio.*

„ NUnc deveniendum nobis eſt ad Paſcha-
„ ta, quibus diſtinguitur Chriſti miniſte-
„ rium, & de quibus quid ſentiant alii non
„ dicemus, cùm & Ger. Joannis Voſſii &
„ aliorum collectanea hac de re omnium mani-
„ bus terantur. Quiſquis Hiſtoriam Evangeli-
„ cam leget, facilè poſt multos eruditiſſimos vi-
„ ros, in Evangeliis inventa; ſed rem in pauciora
„ verba

verba hîc contrahemus, ut eam quaſi in “
brevi Tabella, Lectori ob oculos ponamus. “
Primum ergo Paſcha eſt id, cujus memi- “
nit Joannes, cap. 2. 13. quo primum Jeſus “
mercatores ejecit è Templo. Inde Jeroſoly- “
mâ Jeſus, cum paucis Diſcipulis, inter quos “
erat Philippus, ſe in alium Judææ tractum “
contulit, in quo commoratus eſt donec Jo- “
annes Baptiſta in carcerem conjiceretur. Poſt- “
ea in Galilæam abiit, per Samariam, in “
qua ſatis apertè Evangelium nuntiavit. Cùm “
verò Nazarethæ fruſtra id nuntiaſſet, profe- “
ctus eſt Capernaümum; ubi habitare, aut “
diutiùs commorari, quàm uſpiam alibi, “
cœpit. Illic ſibi adſcivit Diſcipulos plures, “
& præſertim quidem Petrum, Andream, “
Joannem & Jacobum. Tum peragravit ur- “
bes Galilææ, in quibus, diebus Sabbathi, “
in Synagogis regnum cœleſte nuntiabat. “
Hiſce omnibus faciendis, non nimium eſt “
anni ſpatium; nam ut homines per agros “
ac villas diſſitos, negotiiſque aliis occupa- “
tos doceret Jeſus, neceſſe habebat dies Sab- “
bathi exſpectare, quibus conveniebant in “
Synagogas. “
Secundum igitur Paſcha fuit ἑορτὴ τῶν Ἰου- “
δαίων, *feſtum Judæorum*, cujus mentio occur- “
rit apud Joannem cap. 5. 1. quo nomine “
κατ' ἐξοχὴν non modò præfixo articulo, de- “
ſignari ſolet Paſcha, primum & potiſſimum “
omnium feſtorum Judaïcorum, ut ad eum lo- “
cum oſtendit H. Grotius. Per Paſchale fe- “
ſtum Jeſus commoratus eſt Jeroſolymæ, de- “
inde rediit in Galilæam, ubi è numero om- “
nium Diſcipulorum, duodecim Apoſtolos “
elegit, qui ſibi in poſterum perpetuò adeſſent, “
& quos mitteret quò vellet. Ab eo tempore, “
clariùs ac copioſiùs cœpit doctrinam Evan- “
gelicam proloqui, ut liquet ex ipſa Evange- “
licæ Hiſtoriæ lectione. Miracula multa edi- “

„ dit, & diu ad ſe confluentem undequaque „ multitudinem docuit Capernaümi, & circa „ lacum Geneſarethicum; deinde ſe contulit „ Nazaretham, unde profectus perGalilæam „ dimiſit Apoſtolos, Evangelium nuntiatu- „ ros dum ipſe alia loca peragraret. Apoſtoli „ verò munere defuncti ad eum redierunt, „ Capernaümi, aut in alio oppido Geneſare- „ thico lacui vicino agentem. Nemini mi- „ rum videbitur annum, aut circiter, in hiſce „ abſumptum.

„ Tertium Paſcha, id eſt cujus meminit Joan- „ nes cap. 6. 4. & quo inſtante, quinque millia „ virorum, præter mulieres & pueros, quinque „ panibus & duobus piſcibus excepit ac ſatiavit. „ Tum perrexit ſuo more Capernaümi & alibi „ docere eos, quibus cordi erat audire quæ ad „ ſalutem ſuam pertinebant. Jeroſolymam ad „ feſtum Paſchale ivit, ſi de hoc anno ex aliis „ judicemus. Deinde redux profectus eſt in eum „ Galilææ tractum, qui proximus erat Tyrio- „ rum ac Sidoniorum finibus, in quo tractu mi- „ nùs erat notus. Inde rediit ad Geneſarethicum „ lacum, atque in Decapolitana regione diu ver- „ ſatus eſt. Tum navigabat per lacum, ſubinde „ mutatis locis, ad vitandos, ut videtur, ni- „ mios hominum concurſus; ex quibus ſeditio „ fortè aliqua naſci potuiſſet, quam ab eo conci- „ tatam dixiſſent ejus adverſarii, qui eum ma- „ jeſtatis reum, apud Pilatum, facere poſtea mul- „ tò minori de cauſa conati ſunt. Quamobrem „ vetabat ſe dici Meſſiam, & varia ſua miracula „ promulgari, ne homines rerum novarum cupi- „ di ad ſe confluerent. Se contulit poſtea Panea- „ dem, ad fontes Jordanis. Aliquot abhinc die- „ bus in monte Galilææ transfiguratus eſt, & „ per Galilæam huc, illuc, varia itinera fecit. „ Deinde initio Octobris, medio Tabernaculo- „ rum feſto, Jeroſolymæ ſe ſtitit; miſſis qua- quaverſum

quaverſum LXX. Diſciſpulis, qui ad illum “
poſt feſtum, ut videtur, redierunt, cùm in “
Galilæam jam profectus eſſet. Inde ad fe- “
ſtum Dedicationis, Jeroſolymam rediit, len- “
tis itineribus, oppidatim & vicatim docens, “
eòque pervenit initio Decembris. Iterum rever- “
ſus eſt in Galilæam, unde tranſiit in Judæam, “
brevi in Galilæam rediturus; unde rediit in Ju- “
dæam, ut excitaret è mortuis Lazarum, quo “
excitato in Jerichuntinam ſolitudinem ſeceſ- “
ſit, ad tempus uſque Paſchatis; nimirum “
quarti, quod θανάσιμον dicitur. “

Ex brevi hac narratione itinerum Chriſti, “
facile intelligere eſt, intercapedine temporis “
quæ interceſſit inter tertium & quartum ſeu “
ultimum Paſcha, Jeſum plura itinera feciſ- “
ſe, quàm ſuperioribus annis. Quod duabus, “
iiſque graviſſimis de cauſis, fieri potuit. Alte- “
ra quidem erat, quòd inſtante tempore diſceſ- “
sûs ſui ex hiſce terris, vellet quàm latiſſimè “
per Palæſtinam Evangelium ipſe ſuum ſpar- “
gere; ut firma fundamenta jaceret ædificii, “
poſtea ab Apoſtolis abſolvendi. Altera verò, “
quòd, frequenti mutatione locorum, impedi- “
ret ne ad ſe concurſus fierent hominum ju- “
gum Romanorum iniquo animo ferentium, “
quales erant permulti in Judæa, aut potiùs “
plerique omnes Judæi. Cùm enim fama ejus “
miraculorum longè latèque ſparſa eſſet, non “
pauci ſuſpicabantur eum eſſe Meſſiam, & “
nonnulli etiam omninò credebant. Meſſias “
autem exiſtimabatur ab omnibus dux fore “
Judaicæ Gentis, qui non modò priſtinam “
libertatem popularibus ſuis redditurus eſſet, “
ſed etiam reliquum humanum genus ſubditu- “
rus. Igitur ſi ſedes uno in loco fixiſſet, ſemper “
magnâ hominum multitudine cinctus fuiſſet, “
quæ ſequi eum ſubinde loca mutantem non “
poterat. Ad eum, quaſi in præſtitutum ac con- “
dictum locum, omnes ſeditioſi confluxiſſent; “

„ ſeditionémque, eo invito concitaſſent. Quod
„ quàm futurum fuiſſet noxium naſcenti Chri-
„ ſtianæ Eccleſiæ, nihil attinet dicere.
„ Hæc cùm ita ſint, nonnulla nobis dilu-
„ enda ſunt, quæ fortè objici poſſent, aut rei-
„ psâ objiciuntur recenſioni noſtræ Paſchatum,
„ quibus præconium Chriſti diſtingui diximus.
„ Sunt ergo qui velint, Joan. 4. 13. Chriſtum
„ ita loquentem, *nonne vos dicitis, adhuc quatuor*
„ *menſes ſunt, & meſſis veniet*, ſignificare, hiſce
„ verbis, eo tempore quo tranſiit per Sama-
„ riam, ſuperfuiſſe quatuor menſes ad ſecun-
„ dum ejus Paſcha. Verùm in Evangelica hiſto-
„ ria proverbium eſſe à meſſe hordeacea ductum
„ conſtare debet; qua de re conſulendus eſt &
„ Joannes Lightfootius, in horis Hebraicis ad
„ Joannem, quamvis aliter ſentiat.
„ Nos quidem ſecundum Paſcha id feſtum
„ eſſe cenſemus, cujus meminit Joannes cap.
„ 5. 1. At viri eruditi aliter ſentientes, noſtræ
„ ſententiæ objiciunt primò, hunc Evangeli-
„ ſtam, quotieſcumque alibi de Paſchate loqui-
„ tur, id proprio nomine appellare, ut cap. 2.
„ 11. 55. Sed quamvis hoc verum eſſet, non
„ ſequeretur, Joannem uno loco aliter non eſſe
„ locutum, cùm præſertim locutio ſit commoda
„ & facilis. Deinde falluntur, nam cap. 4.
„ 45. ἡ ἑορτὴ bis dicitur Paſcha. At certè, in-
„ quiunt, addetur articulus. Non nego, ſed
„ omittitur etiam ubi ſermo eſt de hoc feſto,
„ ut animadvertit H. Grotius, Marc. 15. 6. Luc.
„ 23. 17. quemadmodum loquutum eſſe Jo-
„ annem ſi dixerimus, nemo poterit mi-
„ rari.
„ Secundò, Chryſoſtomus, Cyrillus Ale-
„ xandrinus, aliique Interpretes exiſtimant
„ de alio quopiam Judæorum feſto agi. Verùm
„ eorum, aliorùmque Interpretum auctoritas,
„ rationibus deſtituta, leviſſimum eſt argumen-
„ tum veritatis; cùm nemo neget eos nulla
„ alia

alia monumenta habuiſſe, quibus hanc in rem uterentur, præter ea quæ etiamnum habemus, hoc eſt, Evangelia; ne jam dicam eos aliquando erraſſe in interpretatione Scripturæ.

Tertiò, objiciunt quinquaginta verſibus inferiùs, hoc eſt cap. 6. 4. fieri denuo mentionem Paſchatis. Verùm quid vetat Paſcha anni ſequentis, poſteriore hoc loco, memorari? At nimis pauca, inquiunt, Joannes inter duo hæc Paſchata narraret. Quod ego ſummâ ratione ab eo factum puto, cùm ea fermè commemorare vellet, quæ erant ab aliis Evangeliſtis omiſſa. Ac ſanè, quamvis ſtatueremus cap. 6. 4. memorari à Joanne ſecundum tantùm Paſcha; fateri eos oporteret paucos ex ſermonibus Chriſti, habitis inter duo Paſchata, à Joanne commemorari, cùm incipiat, ex illorum ſententia, de iis agere cap. 2. verſ. 14. & deſinat cap. 6. ab initio; præſertim ſi eos conferamus, cum iis quos habent alii Evangeliſtæ.

Quartò, objiciunt alii, ſi Joannes cap. 2. 13. locutus eſt de feſto Paſchali, eum devenire cap. 5. 1. ad feſtum Pentecoſtes, dèque eo ſine dubio loqui, ſerie temporis hoc comprobante. Verùm hoc poſſet fortè perſuaderi iis, qui ſolum Joannem legiſſent; verùm quicumque itinera Chriſti in aliis legerint, ac compararint inter ſe, intelligent nonniſi abſurdè coarctari poſſe ejus miniſterium inter duo Paſchata; quemadmodum volunt ii, qui hæc objiciunt, & quorum partes tuetur vir doctiſſimus Ger. Joan. Voſſius, in libro de Tempore Dominicæ Paſſionis.

Quintò, iidem negant Joannem locutum eſſe cap. 6. 4. de medio aliquo Paſchate, inter primum, cap. 2. memoratum, & ultimum de quo cap. 11. & 12. quia non contentus fuiſſet dicere Paſcha inſtare, ſed aliqua ſubdidiſſet

,, ſubdidiſſet de iis, quæ paſchali eo feſto eve-
,, niſſent. At ſi nihil evenerit memorabile, per
,, id tempus? Certè neceſſe non eſt Jeſum quid-
,, quam tempore Jeroſolymæ feciſſe, quod litte-
,, ris mandari oporteret.
,, Sextò, negant, ex ordine Joannis, ullum
,, conſectarium deduci poſſe; quaſi minimè ſe-
,, quatur, ex eo quòd mentio poſtea fit Sceno-
,, pegiæ & Encæniorum, hic aliud memora-
,, ri Paſcha, præter σταυρώσιμον; quia poteſt eſ-
,, ſe ὕστερον πρότερον, qualia alibi ſunt in Evan-
,, geliſtis. Fateor non raròin Matthæo tales
,, eſſe inverſiones ordinis, in recenſione ſermo-
,, num Chriſti; ſed nuſpiam ejuſmodi inverſio
,, occurrit, in deſignatione temporis, qualem
,, hîc eſſe oportet. Ratio ejus rei eſt, quia pla-
,, nè inutilis eſſet ejuſmodi ambigua deſigna-
,, tio temporis, ex qua nullâ ratione intellige-
,, re liceret quinam annus deſignetur. Præter-
,, ea narratio Joannis multò magis ordinem
,, temporum ſequitur, quàm narrationes Mat-
,, thæi, videturque hiſtoria ab eo feſtorum
,, temporibus datâ operâ diſtincta, ut ſupple-
,, ret quod deeſt cæteris Evangeliis.
,, Verùm hîc, inquiunt, ſermonem eſſe de
,, inſtante Paſchate σταυρωσίμῳ elucebit Joan-
,, nem cum Luca conferenti. Joannes enim ait
,, cap. 6. appropinquante Paſchate Chriſtum
,, paviſſe quinque millia hominum, quinque pa-
,, nibus & duobus piſcibus. Lucas verò cap. 9.
,, idem narrat miraculum, & alia quædam hu-
,, juſce temporis, ac deinde eodem cap. verſ.
,, 51. ſubjungit, *factum eſt autem, dum comple-
,, rentur dies adſumptionis ejus*; quod quid aliud
,, eſt, quàm in propinquo fuiſſe ultimum Pa-
,, ſcha? Sic illi ratiocinantur, quaſi neceſſe eſſet
,, quæ eo loco habet Lucas ea ad proximè an-
,, tecedentia referri, quod nullo argumento pro-
,, bant. Sed ea referuntur ad ſequentia quæ geſta
,, ſunt à Jeſu, non ſex integris menſibus, ante-
,, quàm

quàm in crucem tolleretur; cùm jam, per “
triginta menſes, Evangelium nunciaſſet. “

Hæc reſpondenda habuimus viris erudi- “
tis, qui duo, aut tria tantùm Paſchata, in- “
tra tempus miniſterii Chriſti, celebrata vo- “
lunt. Sed nihil meliùs confutat eorum ob- “
jectiones, quàm ordo ipſe hiſtoriæ atque itine- “
rum Chriſti; qualem Chriſti fuiſſe intelligent “
quicumque integram Hiſtoriam attentè le- “
gent. “

V.

Ultimum incidiſſe in annum æra vulgaris vigeſimum nonum, quo mortuum Chriſtum antiquiſſimi Scriptores Chriſtiani prodiderunt.

SUpereſt nunc ut videamus cur ad annum “
æræ vulgaris 29. retulerimus ultimum “
Chriſti Paſcha; quod quamvis ex antea di- “
ctis liquere poſſit, attamen veterum teſti- “
moniis probatum dabimus. Ab iis quidem “
minimè ignoramus graviſſima peccata eſſe ad- “
miſſa, in rebus Chronologicis, nec iis temerè “
credendum; imò in hoc ipſo negotio, de an- “
no emortuali Chriſti, manifeſto, ut mox di- “
cam hallucinatos eſſe; attamen duo mihi “
videntur, in iis, quæ hac de re habent, di- “
ſtinguenda. Sunt enim nonnulla, quæ nullo “
modo ex Evangeliis, ratiocinando colligere “
potuerunt, ſed ex ſola dumtaxat antiqua “
fama accipere; alia verò ex Evangeliis ex- “
ſculpere ratiocinatione conati ſunt. Poſte- “
rioribus non poteſt eſſe majus apud nos pon- “
dus, quàm rationibus ipſis quibus ea nitun- “
tur; quæ ſi ſint parum firmæ, infirma etiam “
erunt quæcumque earum vi colliguntur; ſi verò “
graves, conſectaria pro levibus repudiari non “

„ poterunt. Cùm enim aliæ olim non fuerint
„ recte ratiocinandi leges hominibus latæ,
„ quàm hodie, nec magis errandi periculo
„ exempti fuerint veteres, quàm recentiores;
„ de iis, ex iiſdem legibus ac de nobis, eſt
„ judicandum, laudandique cùm recte ratione
„ ſua uſi ſunt, deferendi cùm ſecus, ut recen-
„ tiores Scripturæ Interpretes ſolemus. Sed
„ ſunt præterea, apud Veteres, eventus qui-
„ dam, aut ſignati articuli temporum, quos à
„ majoribus acceperant, vel ex libris, qui nunc
„ interciderunt, hauſerant. Hos, ſi nihil ab-
„ ſurdi complectantur, conſentiántque cum
„ cæteris hiſtoriis, quarum eſt explorata veri-
„ tas, & præſertim à pleriſque ſummo conſen-
„ ſu traditi ſint, cur repudiemus quaſi dubios
„ nulla ratio eſt. A quibus enim ſuperiorum
„ temporum res geſtas certiùs accipiemus,
„ quàm ab iis qui non multò pòſt vixerunt, ſi
„ æquales rebus ipſis teſtes nobis deſint? Quod
„ de iis præſertim rebus intelligendum, quæ nec
„ in ſe ullam mendacii ſpeciem præferunt, nec
„ ſunt ejuſmodi ut cujuſquam interfuerit, eas
„ mendacio interpolatas credulæ plebi pro-
„ poni. Ut autem hæc duo diſtinguere poſ-
„ ſimus in locis veterum, de anno emortuali
„ Chriſti, ſunt hîc eorum verba proferenda.
„ Sed antiquiſſimos tantùm teſtes adducemus,
„ quia recentiorum antiquiores ſine examine
„ paſſim exſcribentium minor multò eſt aucto-
„ ritas; & Græcorum quidem priùs, deinde
„ Latinorum teſtimonia recitabimus.
„ Ante omnes, audiamus Clementem Ale-
„ xandrinum, qui traditâ Imperatorum Roma-
„ norum ad ſuam uſque ætatem Chronologiâ,
„ ita pergit: ἐγεννήθη δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ
„ καὶ εἰκοστῷ ἔτει (Auguſti, nempe, à capta Ale-
„ xandria, ut ſolebant in Ægypto anni Auguſti
„ numerari) ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γε-
„ νέσθαι, ἐπὶ Αὐγούστου. Ὅτι δὲ τοῦτ' ἀληθές
„ ἐστιν

ἐςιν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ κατὰ Λουκᾶν γέγραπται οὕ- “
τως ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ ἐπί Τιβερίου Καίσα- “
ρος, ἐγένετο ῥῆμα Κυρίου πρὸς Ιωάννην τον Ζα- “
χαρίου ὑιὸν καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ ἦν δὲ Ιησοῦς “
ἐρχόμενος ἐπί το βάπτισμα, ὡς ἐτῶν λ΄. καὶ ὅτι “
ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι καὶ τοῦτο γέ- “
γραπται οὕτως. Ενιαυτὸν δεκτὸν κυρίου κηρύξαι “
ἀπέςειλέν με. Τοῦτο καὶ ὁ προφήτης εἶπεν, καὶ “
τὸ Εὐαγγέλιον πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου “
καὶ πεντεκαιδεκάτῳ (Legendum πεντεκαιδέκα “
τοῖς ἐπὶ, niſi planè memoriâ lapſus Cle- “
mens, qui intra paucas lineas tam longe à “
ſe diſſentit) Αὐγούςου. οὕτω πληροῦνται τὰ “
τριάκοντα ἔτη. ἕως οὗ ἔπαθεν. ἀφ᾽ οὗ δὲ ἔπαθεν, “
ἕως τῆς καταςροφῆς Ιερουσαλὴμ γίνονται ἔτη μβ΄. “
μῆνες γ΄. *Natus eſt autem Dominus noſter 28. anno* “
(Actiaco Ægyptiorum) *cùm primum juſſerunt* “
deſcriptiones fieri, tempore Auguſti. Quod autem “
verum ſit, ſcriptum eſt in Evangelio ſecundùm “
Lucam: anno quintodecimo Tiberii Cæſa- “
ris fuit verbum Domini ad Joannem Zacha- “
riæ filium; *& rurſus in eodem*: erat Jeſus ve- “
niens ad baptiſma, quaſi triginta annorum. “
Et quòd oportebat eum per annum tantum prædi- “
care, hoc quoque ſic ſcriptum eſt: annum acce- “
ptum Domini prædicatum miſit. *Hoc & Pro-* “
pheta dixit & Evangelium. Quindecimo ergo “
anno Tiberii, & quindecim ſub Auguſto, ſic “
implentur triginta anni, donec paſſus eſt. Ex quo “
verò paſſus eſt ad excidium Jeroſolymæ, ſunt an- “
ni 42. menſes 3. Quem ad locum varia ſunt ob- “
ſervanda. I. Acceperat Clemens, aut is à quo “
Chronologiam hancce hauſit, Chriſtum na- “
tum eſſe circa annum 28. à victoria Actiaca, “
quod verum eſt ſi numeres ipſum annum ejus “
victoriæ, cui additi anni 27. incidunt in an- “
num ab urbe condita 750. ſeu Julianum 42. “
paucis ante quem menſibus natum eſſe Chri- “
ſtum, oſtendimus. At Actiacos anno more Ale “

 xan- “

„ xandrino perperam numerans, à capta Alexandria natales Jeſu Chriſti diſtulit in annum ſequentem, ad quem Herodes vitam non produxit, cùm conſtet Chriſtum ante mortem ejus eſſe natum. II. Pro ἀρχόμενος, quod eſt apud Lucam, in omnibus exemplaribus quæ nobis ſuperſunt, fuitque in veterum interpretum codicibus, legit Clemens ἐρχόμενος, cui voci ſubjungit, interpretationis causâ, ἐπὶ τὸ βάπτισμα. Quod ab eo ex conjectura emendatum videtur, ne ſi *incipiens* Chriſtus diceretur *circiter triginta* annos fuiſſe natus, neceſſe eſſet *deſinentem* dici minimùm 31. annum egiſſe, quod Chronologiam Clementis evertiſſet. Sed ſi ponas Jeſum nondum 29. annum exegiſſe, circa primum Paſcha; neceſſe erit eum morientem altero Paſchate 30. annum egiſſe. III. Quàm inane ſit argumentum, à loco Eſaïæ deductum, nemo non videt, & videtur à Clemente exſcriptum ex aliquo Valentiniano; nam ita Valentiniani ratiocinabantur, ut docet Irenæus lib. II. cap. 38. ubi eos rectè confutat, hiſce verbis: *Duodecimo autem menſe, dicunt eum paſſum, ut ſit anno uno poſt baptiſmum prædicans, & ex propheta tentant hoc ipſum confirmare, ſcriptum eſt enim*: vocatum annum Domini acceptum & diem retributionis: *verè cæcutientes*—— *Neque enim de die, quæ duodecim horarum habet ſpatium, dictum eſt in Propheta, nec de anno duodecim menſium habente menſuram. Quia enim propheta in parabolis & allegoriis, & non ſecundùm ſonum ipſarum dictionum, plurima dixerunt, & ipſi confitentur. Dies ergo retributionis dicta eſt, in qua retribuet Deus unicuique ſecundùm opera ſua, hoc eſt, judicium. Annus autem Domini acceptabilis tempus hoc, in quo vocantur ab eo qui credunt ei, & acceptabiles fiunt Deo; hoc eſt, omne ab adventu ejus tempus, uſque ad conſummationem, &c.* Poſtea ſequente

quente capite, oſtendit in Evangelio Joannis mentionem fieri trium Paſchatum, tum ſubjicit: *Quoniam autem tria hæc Paſchatis tempora non ſunt annus omnis quilibet confitebitur* Quo fit ut mirer virum doctiſſimum Ger. Joan. Voſſium numerare Irenæum inter eos, qui quatuor Paſchata in miniſtrii Chriſti tempore reperiunt. Vide librum ejus *de Tempore Dominicæ Paſſionis* §. 19. Verùm hoc obiter. IV. Igitur nemo dubitet quin abſurdè contraxerit Clemens tempus prædicationis & mortis Chriſti, in annum Tiberii 15. At acceperat à majoribus eo anno Chriſtum eſſe mortuum; quod veriſſimum erat, ſed non eo *quindecimo anno*, cujus meminit Lucas, & quem fuiſſe antea oſtendimus quindecimum annum Proconſularis imperii, non ejus quod iniit poſt mortem demum Auguſti. Cujus rei in mentem venire debuiſſet Clementi, cui duplex initium Tiberii non erat prorſus ignotum, ut antea oſtendimus. Itaque verè à majoribus acceperat Chriſtum natum eſſe circa 28. annum Auguſti, ab Actiaca victoria, & mortuum 15. Tiberii; ſed quinam eſſent hi anni non ſatis intellexit, & veritatem, quam acceperat, pravâ ratiocinatione interpolavit. V. Attamen eum non puto uſque adeò ineptum Chronologum fuiſſe, ut potuerit ſcribere πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου, poſtquàm paulò antea dixit Jeſum natum eſſe anno *vigeſimo octavo* ejus Imperatoris; & manifeſtum eſt hoc eum velle, ex quindecim annis, quos Jeſus ſub Auguſto vixit, & quindecim aliis, quibus ei fuit in terris ſuperſtes, ſub principatu Tiberii, conflari 30. annos. Itaque omninò legendum πεντεκαίδεκα τοῖς ἐπὶ Αὐγούστου, niſi quis velit Clementem numerare hîc annos Auguſti ab ejus morte, retrogrediendo ad annum ejus 28. quæ eſſet mira numerandi ratio, & niſi fallor, ſine exemplo. VI. Veriſſimum tamen eſt, ab anno mortis Chriſti ad exſcidium

Jero-

„ Jeroſolymæ eſſe 43. annos; atque hoc etiam
„ crediderim derivatum ex priſca fama, orta ex
„ obſervatione Chriſtianorum iis temporibus
„ æqualium, qui diligenter animadverterant
„ tempus implementi inſignis prædicationis
„ Chriſti, quæ exſtat Matth. 24. Subdit
„ Clemens varias opiniones de die, quo mor-
„ tuus eſt Chriſtus; ſed videntur eſſe meræ
„ conjecturæ, quas hîc non moramur.

„ Alter teſtis erit Julius Africanus, qui in
„ quinto Temporum volumine, ubi agebat de
„ LXX. hebdomadibus, hæc habebat, quæ ex
„ eo profert Hieronymus, ad cap 9. Danielis.
„ *Ipſi Macedones regnaverunt annis trecentis,*
„ *atque exinde, uſque ad annum quintum decimum*
„ *Tiberii Cæſaris, quando paſſus eſt Chriſtus,*
„ *numerantur anni* 60.

„ Tertius erit Origenes, qui lib. 4. contra
„ Celſum, pag. 174. Ed. Cantab. ita loquitur:
„ τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο, οἶμαι, ἀφ' οὗ
„ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι ἐπὶ τὸν Ἱεροσο-
„ λύμων καθαίρεσιν: *quadraginta enim duos an-*
„ *nos, puto, ex quo crucifixerunt Jeſum, fuiſſe*
„ *ad Jeroſolimæ everſionem.* Qui annus, ante
„ excidium Jeroſolymitanum 42. eſt, ut
„ vidimus, 15. imperii Tiberii, à morte
„ Auguſti.

„ Ut nunc ad Latinos veniamus, ita loquitur
„ Irenæus, quem numeramus inter Latinos,
„ quia in Gallia vixit, quamvis Græcè ſcripſe-
„ rit, lib. 3. cap. 25. *Natus eſt Dominus noſter,*
„ *circa primum & quadrageſimum annum*
„ *Auguſti imperii*; nempe, quadrageſimo à
„ nece Julii Cæſaris, ut antea oſtendimus.
„ At idem graviter lapſus eſt, cùm lib. 2. cap.
„ 39. inter quadrageſimum & quinquageſi-
„ mum ætatis annum in crucem quidem ſub-
„ latum eſſe vult Chriſtum, & tamen anno tri-
„ geſimo fuiſſe baptizatum; quod ſi verum eſ-
„ ſet, oporteret, quod longè abſurdiſſimum eſt,

Chriſtum

Chriſtum mortuum eſſe neque Pontio Pilato Procuratore Judææ, neque Tiberio imperante, ut dudum eruditi animadverterunt. Nec ſanè hoc notarem, niſi utile eſſet hîc in memoriam revocari inſigne exemplum falſi imprudentiâ vero miſti; ex quo liquet neque admittenda quæcumque habent veteres, neque omnia rejicienda, ſed delectum eorum eſſe habendum. Quod ſi Chriſtus natus ſit anno Auguſti 40. à nece Julii Cæſaris, ex iis quæ diximus de Paſchatibus ab eo celebratis, liquet eum eſſe mortuum anno ætatis 33.

Irenæum ſequetur Tertullianus, cujus hæc ſunt verba contra Judæos cap. 8. *Poſt Auguſtum, qui ſupervixit poſt nativitatem Chriſti, anni 15. efficiuntur; cui ſucceſſit Tiberius Cæſar——Hujus quinto decimo anno imperii paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi 30. cùm pateretur.* Paullò pòſt: *quæ paſſio*, inquit, *hujus exterminii, intra tempora* LXX. *hebdomadum, perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare, Coſſ. Rubellio Gemino & Fuſio Gemino.* Antea dixerat: *Videmus autem quoniam quadrageſimo & primo anno imperii Auguſti, quo poſt mortem Cleopatræ imperavit, naſcitur Chriſtus*: Scio apud Hieronymum haberi *qui poſt*, &c. Sed videtur eſſe emendatio, nam illa *qui poſt*, &c. abſurdè hîc inſeruntur, ſi Tertullianus ſcivit annum hunc eſſe numerandum à cæde Julii Cæſaris. Hinc intelligimus Tertullianum haud aliter peccare, ac Clementem, cùm vult unum eumdémque annum fuiſſe Chriſti ἀρχομένου, *incipientis* munere fungi, ac morientis, & præterea quo anno Auguſti natus eſſet Chriſtus non ſatis intellexiſſe, cùm miſcuerit Actiacos annos cum annis imperii. Sed ab antiquis temporibus habuit quod ait de morte Chriſti 15. Tiberii, duobus Geminis Coſſ. quamquam ea neſcivit cum Lucæ narratione ſatis

„ ſatis aptè componere, ut nec quod dixit de
„ anno natali Chriſti. Subdit: *menſe Martio*,
„ *temporibus Paſchæ*, *die* 8. *Calendarum Apri-*
„ *lium*. Quod addimus, propter ſequens La-
„ ctantii teſtimonium.
„
„ Eum enim ſubjiciemus Tertulliano,
„ cum quo conſentit quidem de anno, diſ-
„ ſentit verò de die; ex quo intelligere licet
„ Tertullianum ab eo non fuiſſe conſcriptum.
„ Verba igitur faciens Lactantius de Judæis,
„ ita loquitur, Inſt. Divin. lib. 4. cap.
„ 10. *Exinde Tetrarchas habuerunt*, *uſque ad*
„ *Herodem*, *qui fuit ſub imperio Tiberii*
„ *Cæſaris*; *cujus anno quinto decimo*, *id eſt*,
„ *duobus Geminis Conſulibus*, *ante diem ſepti-*
„ *mum* (alii Codd. habent *decimam*, alii
„ *decimam ſeptimam*) *Calendarum Aprilium*,
„ *Judæi Chriſtum cruci affixerunt*. Libro verò
„ de Mortibus Perſecutorum, cap. 2. *Ex-*
„ *tremis temporibus Tiberii Cæſaris*, *ut ſcrip-*
„ *tum legimus*, *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*
„ *à Judæis cruciatus eſt*, *poſt diem decimum*
„ *Calendarum Aprilis*.
„
„ Ultimum teſtem adducemus Sulpici-
„ um Severum, qui Hiſt. Eccleſ. lib. 2.
„ *Dominus*, inquit, *crucifixus eſt Fuſio Ge-*
„ *mino* & *Rubellio Gemino Conſulibus*. Alios
„ non moramur, qui ex hiſce, aut ſimili-
„ bus fontibus, quæ habent hauſe-
„ runt.
„
„ Ex quibus ſatis liquet, ni fallor, ſu-
„ perfuiſſe antiquam famam, ſecundo & ter-
„ tio ſæculo poſt Chriſtum, ex qua vulgò per-
„ ſuaſum erat eum natum eſſe circa 41. Auguſti,
„ mortuum duobus Geminis Coſſ. ſeu quindeci-
„ mo

mo Tiberii anno; quamvis tempora Chri- “
ſti ſatis aptè vulgò non digererentur. Nec vi- “
deo cur ea de re dubitemus, cùm optimè “
conſentiat cum eo quod de ætate Chriſti “
antea ex Evangeliis collegimus. Si enim “
ponas Jeſum mortuum eſſe 33. ætatis anno, “
qui inciderit in Conſulatum duorum Gemi- “
norum, ſeu annum urbis conditæ 782. & “
retrogrediaris in anteriora tempora; inci- “
des in annum urbis conditæ 749. quo Coſſ. “
fuerunt Cæſar 12. & L. Cornelius Sulla, “
ſeu 40. Auguſti, initio facto à morte Julii “
Cæſaris, quo anno natum Jeſum antea o- “
ſtendimus. At fatendum menſem natalem “
inveniri non poſſe, ob rationes anteà alla- “
tas. “
“

Hiſce nihil objici poſſe videtur, quod “
ſit alicujus ponderis, aut quod jam non di- “
luerimus. præter hoc unum, ex Lunæ “
motibus demonſtrari poſſe, anno æræ vul- “
garis 29. Lunam 15. poſt Novilunium “
quod proximè ſequutum eſt æquinoctium “
vernum, non incidiſſe in diem Jovis, ne- “
que in eum menſem, quem in Hiſtoria “
Evangelica prodidimus. Nam anno æræ “
vulgaris 29. Novilium verum, ex Prute- “
nicis Tabulis, fuit Aprilis 2. feriâ 7. horâ “
undecimâ & aliquot minutis poſt mediam “
noctem. Plenilunium verò Aprilis 17. fe- “
riâ 1. horâ propemodum ſextâ. Nos verò “
diximus Paſcha incidiſſe in diem 8. Calend. “
Apriles ſeu Martii 25. feriâ 5. Verùm pau- “
cis huic objectioni ſatisfieri poteſt; nimi- “
rum, nos omnibus expenſis, amplexos “
profitemur ſententiam celeberrimi atque ac- “
curatiſſimi Chronologi Dionyſii Petavii, de “
tempore obſervationis Paſchatis, apud Ju- “
dæos. Hic autem cùm in animadverſionibus in “
hære- “

„ hæreſin Alogorum, quæ eſt apud Epiphanium
„ 51. tum etiam lib. 12. de Doctrina Tempo-
„ rum, oſtendit varia, quæ hîc ab eruditis
„ adſumebantur quaſi explorata, falſa eſſe.
„ Primum eſt, primam Azimorum diem Lu-
„ nâ 15. perpetuâ lege, celebratam fuiſſe; cùm
„ Moſes nuſpiam 14. Lunam, ſeu Plenilunium
„ obſervari juſſerit, ſed tantum 14. diem men-
„ ſis primi. Hoc unum obſervari neceſſe
„ fuit, primum menſem circa æquinoctium
„ vernum conſtitui, ut primitiæ frugum,
„ altero die poſt Paſcha, poſſent offerri; ſe-
„ cundùm Legem quæ exſtat Levit. 23. 10.
„ nam eo tantùm tempore, hordea matureſ-
„ cunt in Judæa. Alterum quod temerè
„ ſtatuitur eſt, ſemper à Neomenia, quæ
„ proximè ſequebatur æquinoctium vernum,
„ primum menſem inchoatum fuiſſe. Atqui,
„ ut obſervavit Petavius p. 169. Animadverſ.
„ in Epiphanium, 14. Niſan in æquinoctii
„ diem ipſum olim incidiſſe, docent vetuſtiſ-
„ ſimi Judæorum magiſtri, atque in primis
„ Agathobuli duo, & Ariſtobulus, horum
„ diſcipulus qui unus ex 72. Senibus fuit, in
„ fragmento Anatolii, quod habet Euſebius
„ Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 32. Agathobuli
„ ergo, dum ſolutiones afferrent quæſtionum
„ in Exodum, aiebant δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν
„ ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν, μεσο-
„ ῦντος τοῦ πρώτου μηνός. *opertere Paſcha mactari*
„ *pariter ab omnibus, poſt æquinoctium vernum,*
„ *medio menſe primo.* Quod clarius fit verbis
„ ſequentibus Ariſtobuli, ὡς εἴη ἐξ ἀνάγκης τῇ
„ τῶν διαβατηρίων ἑορτῇ μὴ μόνον τὸν ἥλιον τὸ
„ ἰσημερινὸν διαπορεύεσθαι τμῆμα, καὶ τὴν σελήνην
„ δέ: *neceſſe eſſe Paſchali feſto, non tantùm ſolem*
„ *ſegmentum æquinoctiale percurrere, ſed etiam*
„ *Lunam.* Sic & Philo, de vita Moſis:
„ Τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀνα-
„ γράφει

γράφει μῆνα Μωϋσῆς, *initium verni æquino-* “
ctii primum menſem ſtatuit Moſes. Adſti- “
pulatur & Joſephus lib. 3. Antiquit. Jud. “
cap. 10. de Paſchate: Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, “
ὃς Νιςὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐςὶν ἀρ- “
χή, τεςσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν Κριῷ τοῦ “
ἡλίου καθεςῶτος δι' ἔτους ἑκάςου θύειν ἐνόμιζε: *men-* “
ſe Xanthico, qui Niſan à nobis vocatur, & “
anni eſt initium, decima quartâ ſecundùm Lu- “
nam, in ariete ſole conſtituto, ſingulis annis juſ- “
ſit ſacra facere. “

Hæc cùm ita ſint, oſtendit præterea vir “
doctiſſimus, Judæos nequaquam animadver- “
tiſſe regreſſiones æquinoctiorum, uſóſque, “
ut docet Epiphanius, non accuratis tabu- “
lis Aſtronomicis, ſed Cyclo vitioſo, & qui “
minimè conſentiret cum motibus corporum “
cœleſtium. Quin & profert ejuſmodi Cy- “
clum partim à Joan. Keplero, partim à ſe “
ad mentem Ephiphanii confectum. Quæ “
omnia & alia huc pertinentia apud eum le- “
gentur, neque enim paucis poſſent ſatis dilu- “
cidè explicari. “

Cùm verò hæc expendiſſemus, conjicere- “
mùſque oculos in Cyclum illum 84. anno- “
rum, ex eo deſumpſimus deſignationem Pa- “
ſchalium dierum per 4. annos miniſterii “
Chriſti; & invenimus quidem Neomeniam “
Niſan ejus anni, quo mortuum diximus “
Chriſtum, incidiſſe in 11. Martii, feriàm- “
que 5. unde ſequebatur 15. Lunam eſſe 25. “
diem ejuſdem menſis, & quidem feriam 5. “
quâ Paſcha à Chriſto eſt celebratum. Qua in “
re tria ſunt obſervatu digna. Primum eſt, “
Petavium nequaquam cogitare potuiſſe de “
ita conſtituendo Cyclo illo vitioſo, ut hoc “
anno Plenilunium Niſan incideret in 25. “
Martii, & quidem feriam 5. quia non cre- “
didit, hunc fuiſſe annum ςαρυάσιμον Chriſti. “

„ Itaque caſu non leve nobis præbuit argu-
„ mentum, quo perſuadeamur, Cyclum illum
„ verè ad mentem Judæorum confectum fuiſ-
„ ſe; cum nobis ſuppeditet veram feriam heb-
„ domadis, in quam incidit ultimum Chriſti
„ Paſcha. Alterum eſt, ſi Judæi eo ævo exiſti-
„ mabant ſibi celebrandum Paſcha, proximè
„ poſt æquinoctium, eos non malè elegiſſe veſ-
„ peram diei 25. Martii; cùm à tempore Ju-
„ lii Cæſaris, ex Soſigenis ſententia, is dies
„ eſſet attributus æquinoctio verno. Tertium,
„ à vero non aberraſſe veteres, qui, ut ex La-
„ ctantio vidimus, Chriſtum in crucem ſub-
„ latum cenſerunt ante diem 7. Calendarum
„ Aprilium. Nec multùm ab hoc calculo abie-
„ runt, qui 8. aut 10. Calendas Apriles rem
„ contigiſſe volunt. Imò minimè eſt incredi-
„ bile, priores, qui diem illum prodiderunt,
„ aut ab Apoſtolis accepiſſe, aut collegiſſe ex
„ Cyclo Judaico, qui æquè potuit antea in-
„ notuiſſe nonnullis Chriſtianis, ac poſtea
„ Epiphanio. Fortè & qui dixerunt, Chriſtum
„ paſſum eſſe 8. Calendas Apriles, ut Tertul-
„ lianus & poſt eum multi, non alia de cau-
„ ſa malè deſignarunt diem mortis Chriſti,
„ quàm quia diem Paſchalem, quem ſciebant
„ eo anno incidiſſe in 8. Calendas Apriles,
„ volebant fuiſſe emortualem Chriſti, decep-
„ ti malè intellectis Joannis locis.
„ Una hîc agitanda ſupereſſet quæſtio; u-
„ trùm, nimirum, Chriſtus ultimum hoc Pa-
„ ſcha celebrârit eodem die ac cæteri Judæi,
„ an verò legitimum tempus anticipârit,
„ quia notat ſe poſtridie in crucem eſſe tol-
„ lendum. Verùm à tot eruditis viris ita res
„ pertractata eſt, ut neceſſe non ſit quidquam
„ adjicere. Satis erit dixiſſe, id quod ex Hi-
„ ſtoria noſtra Evangelica liquet, nos eſſe in
„ eorum ſententia, qui à Chriſto Paſcha ſuo
„ tempore celebratum cenſent, unà cum Ju-

dæis;

dæis ; quod , ut nobis quidem videtur , “
Matthæi , Marci & Lucæ narrationes ſa- “
tis perſpicuè oſtendunt. Nec quidquam ei “
ſententiæ objectum eſt hactenus , quod non “
etiam facilè ſolutum eſſe ab ejus patronis “
videatur. Unus inſtar omnium , conſuli “
poterit Sam. Bochartus Hierozoici P. I. “
lib. 2. capite 50. ubi de Paſchali agno agit, “
& ubi ita explicuit loca Joannis, quæ huic “
ſententiæ objici ſolent , nulla ut ampliùs “
difficultas ſuperſit. “

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ in poſteriore Rationarii Parte continentur.

A.

ABRAAMI ortus, 71. quantum diſtet à diluvio, *ibid.* ſeptuageſimo natus anno Thare, *ibid.* ejus peregrinationes, 72.
Achab, 147. & *ſeq.*
Achazus Rex, 150.
Acriſius Mycenarum Rex, 130.
Æneas in Italia regnat, 140.
Æræ vocabulum unde, 209.
Æra Seleucidarum, 202.
Æra Chriſtiana ejuſque ratio, 13.
Aëtius delet Attilam, 269.
Agon Capitolinus Domitiani, 239.
Alaricus quando Romam expugnaverit, 267.
Alexandri Magni ortus & mors, 198. & ſeq.
Alexandri Rom. Imperatoris initium, *ibid.* 243.
Almaricus, 270.
Alyattes Lydorum Rex, 175.
Amaſias Rex Judę, 149. & *ſeq.* ejus obitus, 150. & *ſeq.*
Amaſis, 184.
Amphictyonis regnum, 129.
Amri, 147.
Ancyrana Synodus, Differt.
Anni Actiaci, 209.
Anni Ægyptiaci quomodo in Juliana Periodo inveſtigandi, 40.
Anni Euſebiani Chronici quomodo ad Julianam Periodum accommodandi, 28.
Anni Iphiti, *vide* Olympiades.
Anni Juliani, 32.
Anni Contractuum qui, 205.
Anni Chriſti, *vide* Æra Chriſtiana.
Annorum numerus ab orbe condito ad æram Chriſtianam cur certò definiri nequeat, 64. & ſeq. Græcorum ab Hebræis & Latinis codicibus diſcrimen, *ibid.*
Annorum urbis conditæ ratio, 32.
Annus Athenienſium, 15.
Annus primus Julianus aperitur, 206.
Annus Solaris & Lunaris, 1. & *ſeq.*
Annus Civilis, *ibid.*
Annus Tropicus, 2. & 3.
Annus Julianus, 3. ejus utilitas, 4. & *ſeq.* 20. methodus illius, 33.

Annus

Annus Judaïcus quando Lunaris fuerit, 18.
Annus Arabicus qualis ſit, 19.
Annus Ægyptiacus qualis, 33. ejus methodus, *ibid.* 34.
Annus Græcus olim à bruma cœpit, poſtea ab ſolſtitio, 16. &c.
Antiochenorum æræ, 206.
Antiochi Eupatoris tempus, 204.
Apparitionis ſtellæ Magos antecedentis tempus, 229.
Apries Ægypti Rex, 184.
Arbellicæ pugnę tempus, 198.
Archontes Attici perpetui, & decennales, 128.
Argivorum regnum, 105. Regum ſeries, 106.
Argonautarum expeditio, 135.
Artaxerxes Longimanus, 192.
Aſa Rex Judæ, 146. & *ſeq.*
Aſſuerus Rex Babylonis, 194.
Aſſyriorum imperium ſive Chaldæorum quando cœperit, 82. & *ſeq.*
Aſtyages ultimus Medorum Rex, 162. 183. quid in ejus hiſtoria erratum ſit, oſtenditur, *ibid.*
Aſtyages à Cyro imperio ſpoliatur. 163.
Athalia Ochoziæ Judę Regis mater tyrannidem occupat, 148. & *ſeq.*
Athenienſium regnum, 106.
Athenienſium Regum ſeries excutitur, 127. & *ſeq.*
Atrei & Thyeſtæ regnum, 132.
Attila vincitur, 269.
Auguſti Imperatoris initium multiplex explicatur, 209. & *ſeq.*
Auguſtorum anni unde initium repetant, 201. & 211.
Aurei numeri cyclorum indices quâ ratione diſpoſiti ſint in Calendariis, 8.
Azarias. 151.

B.

Baaſa, 147. & *ſeq.*
Babylon expugnata à Cyro, 188.
Babylonici regni ortus, 173. & *ſeq.* & 188.
Bacchiadę, 141.
Baladan, 174. & *ſeq.*
Balbinus Imperator, 245.
Baltaſar, 180.
Baſilius Hęreticus, Differt.
Belus, ſive Nembroth, 82. quoto anno regnarit, 82.
Benedictus S. floruit ſub Juſtino & Juſtiniano, 271. & *ſeq.* obitus ejus annus eſt incertus, *ibid.* variç de ejus obitu ſententię, *ibid.*
Biſſextilis dies, 8.
Borſippena arx, 178.
Botſra, ſivę Byrſa, 161.

C.

CAdmi in Græciam adventus, 135.
Calendarii caſtigandi quæ fuerit ratio, 4. & ſeq.
Calippicæ Periodi initium, 200.
Cambyſes, 191.
Caranus Macedonici regni fundator, 164.
Caroli Magni Imperatoris anni, 280.
Carthada ſive Carthago, 161.
Caſtor & Pollux, 136.
Cecrops Athenis regnat, 127. & ſeq. 134.
Cenſorini tempus, 245.
Chaldęorum regnum quando cœperit, 174.
Charopis initium, 129.
Childericus Chlodovei II. filius, 279.
Chilpericus, 277.
Chlodovei I. poſterorum tempus demonſtratur, 270. & ſeq.
Chlodoveus II. 278.
Chlotharii primi tempus, 279.
Chlotharii Chlodovei ſecundi filii tempus, ibid.
Chriſti adventus Jacobi Patriarchę vaticinio oſtenditur, 212. & ſeq.
Chriſtianæ æræ initium, 217. & ſeq.
Chronologia quid ſit, 1. & ſeq. ejus principia, 42. & ſeq. ejus examinandæ methodus, 48.
Chronologiæ ſanctę ac nuper editę brevis elenchus, 49. & ſeq.
Chronologiæ communis terminus quis, 12. & ſeq.
Chronologiæ tria principiorum genera explicantur, 43. & ſeq.
Cirthenſis Concilii tempus, 252. & ſeq.
Claudii Imperatoris initium, 234.
Cleopatræ tempus, 201.
Commodus Imperator, 238.
Conſtantius Chlorus, 259.
Conſtantii Conſtantini filii tempus ratione firmatur, 265.
Conſtantii ejuſdem obitus, 266.
Conſtantini initium, 259. mors, 260. 265.
Corinthiorum Regum initium & exitus, 138.
Cranai regnum, 134.
Crœſum in poteſtatem Cyrus ſuam accipit, 188. & ſeq.
Cyaxares, 175. & ſeq.
Cyclus eſt periodus annorum, 6. & ſeq. varii cycli, ibid. octaëteris, enneadecaëteris, ibid. hujus ratio redditur, ibid.
Cyclus Solaris, Lunaris, & Indictionis exponitur, 9. & ſeq.
Cylonium piaculum, 188. & ſeq.
Cypſelus, 141.
Cyrus in Perſide regnat, 187. regnat Babylone, 191.

Dagoberti

D.

DAgoberti initium, 278.
Danaus, 135.
Danielis hebdomades declarantur, 195.
Darius Medus, 183. & *ſeq.*
Darius Hyſtaſpis filius, 191. & *ſeq.*
Darii Codomanni clades, 198.
Diluvium Noëmi, , ejuſque deſcriptio, 69.
Diluvium Deucalionis, 134. & *ſeq.*
Diluvium Ogygis, 107.
Diocletiani initium, 248. & *ſeq.* imperio ceſſit, 251. & *ſeq.* initium perſecutionis Diocletianeæ, *ibid.* & *ſeq.* 255. & *ſeq.*
Dionyſii Exigui tempus, 217. unde æram ſuam cœperit, *ibid.*
Domitiani imperium, 236. ejus mors, *ibid.*

E.

ENcænia templi Salomonici celebrata, 146.
Enneadecaëteridis inventor quis, 8.
Ephree, 186.
Epochæ Chronologicæ inſignes minimè dubiæ, 46. & *ſeq.*
Eſdras Babylone proficiſcitur, 193. & *ſeq.*
Eudoxiæ Imperatricis obitus, 267. & *ſeq.*
Evilmerodachus, 178
Euryſtheus in Attica occiſus, 132. & 137.

F.

FAunus, 140.
Feriarum inveſtigandarum methodus 9. & *ſeq.*

G.

GAlba Imperator, 235. & *ſeq.*
Gordianorum duorum tempus, 244. & *ſeq.*
Guntchramnus, 276.

H.

HAdrianus, 237. & *ſeq.*
Hebræorum duplex regnum, Judæ, & Iſraëlis, 141.
Hecatombæon primus menſis Atticus, 16. Solſtitium interdum anteceſſit, *ibid.*
Helena, 136.
Hellen Deucalionis filius, 135.
Heraclidarum in Peloponneſum eruptio, 132. 136.
Heraclidæ Peloponneſum obtinent, *ibid.*
Heraclii primordium, 274.
Herculis tempus explicatur, 136. ejus mors, 137.
Hieroſolyma capta, 235.
Hieroſolyma ab Herode & Soſio capta, 122.
Hipparchus Tyrannus, 189.
Hippias, *ibid.*
Hiſpanicæ æræ initium, 208. & *ſeq.*

Hirami

Hirami regnum, 157.
Hiſtoria quid ſit, 1.
Hybriſides, 196.

I.

IAcob naſcitur, 90. in Ægyptum venit, *ibid.*
Jacobi Patriarchæ de Chriſto vaticinium explicatur, 212. *& ſeq.*
Janus, 140.
Jeroboam Iſraëlita, 146.
Jeroboami ſecundi initium duplex, 150. *& ſeq.*
Joas Ochoziæ filius, 149.
Joathamus, 151.
Jubilæi anni accuratè diſcuſſi, 125. *& ſeq.*
Jonathę Pontificis tempus, 204.
Jorami duo, 148.
Joſaphatus Rex, 148. *& ſeq.*
Joſeph in Ægypto patrem excipit, 50.
Ioſua poſt Moyſem in promiſſa terra ſubigenda quot annos poſuerit, 110. *& ſeq.*
Iſaacus naſcitur, 90.
Iſraëlitici Reges nec non Judæ exponuntur, 144. *& ſeq.*
Ithobalus Aſtartæ Sacerdos, 158.
Iudæi à Nabuchodonoſore in ſervitutem redacti, & quo tempore, 154. *& ſeq.*
Iuſtini Imperatoris initium, 272.

L.

LAboroſſoarchodus, 178.
Lacedæmoniorum Regum initium & exitus, 140. *& ſeq.*
Latii veteres Reges, 140.
Ludovicus Pius Imperator, 280.
Lycurgi Legiſlatoris ætas, 161.

M.

MAcedonici regni initium, 163. Regum ſeries, 164. *&* 165.
Machabęorum utriuſque libri epocha duplex, 202. *& ſeq.*
Magorum ad Chriſtum venientium patria, 227. Regeſne fuerint, *ibid. &* 228. quo tempore in Iudæam, Bethleemumque venerint, *ibid.*
Magus poſt Cambyſem Perſarum Rex, 191.
Marathoniæ pugnæ tempus, 196. *& ſeq.*
Marciani Imperatoris tempus, 269.
Martini Sancti obitus notatur, 267. *& ſeq.*
Mauricii Imperatoris initium demonſtratur, 273. *& ſeq.*
Maxentii obitus, 261.
Maximiani exordium, 250. *& ſeq.* ad privatam vitam redit, 251.
Maximus Imperator, 245.
Medorum Regum ſucceſſio, 162. belli Medorum cum Lydis à Cyaxare Rege geſti tempus aperitur, 175. *& ſeq.*

Mega-

Megaclis Athenienſis factio, 190.
Menſis Lunaris quid ſit, 6. alius eſt Civilis, alius Aſtronomicus, *ibid.*
Menſium Ægyptiacorum, & Romanorum laterculum, 36. inveſtigatio, 37. *& ſeq.*
Merodach, 174.
Methodus annorum Euſebiani Chronici, 28. *& ſeq.*
Methodus annorum Iphiti, 30. *& ſeq.*
Methodus cyclorum, 20. *& ſeq.* in Periodo Iuliana, 23. *& ſeq.* in annis mundi, 27. *& ſeq.*
Methodus cyclorum in annis propoſitis inveſtigandorum, 20. *& ſeq.*
Meton cycli decemnovennalis auctor, 7.
Mundi annorum ante Chriſtum inveſtigandorum methodus, 27. *& ſeq.*
Mundi annorum varia putatio, & unde orta, 64. non poteſt certò iniri numerus, 65. *& ſeq.* quot ex Auctoris opinione conſtituantur, 67. conditus eſt autumno, 68. & Octobris viceſimo ſexto, *ibid.*
Mycenęorum regnum, 130. quando deſierit 132. Regum Mycenęorum ſeries, 130. *& ſeq.*

N.

NAbonaſſari initium, 173. *& ſeq.*
Nabonaſſari anni, eorumque methodus, 33. *& ſeq.* ejus ęrà ſolis cognita Mathematicis, 34. 173.
Nabonidus, 178. *& ſeq.*
Nabopolaſſarus 176. *& ſeq.* quando regnare cœpit, *ibid. &* 177. *& ſeq.*
Nabuchodonoſorus Iudęos ſervitute opprimit, 152.
Nabuchodonoſorus regnare cœpit, 176. *& ſeq.* ejus geſta, 181. *& ſeq.* mortuus eſt, 183.
Nadab, 147.
Natalis Chriſti ratio explicatur, 227. ejus locus & dies, 226. *& ſeq.*
Necaos ſive Necos Ægypti Rex, 186.
Neëmias in Iudęam venit, 194.
Nerigliſſarus, 179. *& ſeq.*
Neronis imperium, 234.
Nerva Imperator, 237.
Nicęnum Concilium, quo tempore celebratum, 263. *& ſeq.*

O.

OChozias Rex Iſraël, 148.
Ochozias Rex Judę, 149.
Octaëteris Gręca, 7.
Olympia urbs Peloponneſi, ubi ludi Olympici celebrati, 16. 30. *& ſeq.*
Olympiades Græcæ per annos quatuor evolvuntur, 16. 29. *& ſeq.* eorum annorum methodus, 31. *& ſeq.* de Olympiadibus, & earum initio, jac tempore

pore pleniùs, 166. & ſeq.
Olympici ludi unde ſic dicti 16. 30. & ſeq. illorum legitimum tempus, 166. & ſeq. eos inſtaurat Iphitus, 31. 168. & ſeq.
Oſeë Rex poſtremus Iſraelis, 150. & ſeq.
Othonis tempus, 235. & ſeq.
Ozias regnat, *ibid.* & ſeq.

P.

PAlilia paſtorale feſtum, 171.
Paſſionis Dominicæ annus, menſis, ac dies, 230. & ſeq.
Patriarcharum ante diluvium feries, 66. & poſt diluvium, 70. & ſeq.
Pelopis è Phrygia in Græciam adventus, 133.
Peloponneſiaci belli tempus, 197.
Perdiccę undecimi Macedoniæ Regis initium, 165.
Periander, 141. 189.
Periodus Juliana declaratur, 11. ejus utilitas, *ibid.* & ſeq. methodus Cyclorum in iſta Periodo, 23. & ſeq.
Periodus Calippica & Metonica declaratur, 17.
Periodus Victoriana, 25. & ſeq.
Perſarum Reges, 191. & ſeqq.
Perſecutionis Diocletianeæ tempus, 251. & ſeq.
Perſici regni initium, 187.
Phaceja, 150.
Philippi Aridæi epochæ initium, 199. & ſeq.
Philipporum anni, 246.
Picus Latii Rex, 140.
Piſatis Peloponneſi regio, ubi ludi Olympici commiſſi, 16. 30. & ſeq.
Piſiſtrati tempus, 189. & ſeq.
Prçſidum & Procuratorum poteſtas in adminiſtrandis provinciis, 223. & ſeqq. nullus in Iudæa ſub Regibus fuit, *ibid.*
Probi Imperatoris tempus, 247.
Promethei ſęculum, 107. & ſeq.
Provinciç quomodo à Romanis geſtę, 223. & ſeq.
Pſammenitus, 185.
Pſammis, *ibid.*
Pſammitichus, *ibid.*
Ptolemęi Philometoris initium, 201.
Ptolemęorum in Ægypto initium, *ibid.*
Pugna Alexandri M. cum Dario ad Arbella, 198.

Q.

QUęſtiones in Regum hiſtoriâ difficiles, 142. quomodo enodatę, *ibid.* &c.
Quirinus quis, 224. ejus cenſus duplex, 225.

R.

ROmæ conditus, 169. &c. autumno exſtrui cœpta, 170. & ſeq.
Romę

Romæ à Gallis occupatæ tempus, 197. & ſeq.
Romuli ortus exponitur, 172.

S.

SAbbatici anni tres orti, 46. eorum accurata diſputatio, 121. & ſeq.
Salaminiæ pugnæ tempus, 136. & ſeq.
Salomonis initium, 146.
Saturnus, 140.
Sicyoniorum regnum, 83. & ſeq.
Simon Joan. Hyrcani pater occiſus, 122.
Stella Magos antecedens quo tempore apparuerit, 229. & ſeq.

T.

TEmpli Salomonici fundamentum, 146.
Tempus quid ſit, 1. & ſeq.
Thebni, 147.
Themiſtocles ad Perſas profugus, 193.
Theodebertus, 270.
Theodebaldus, 271.
Theodoricus Franc. Rex, 270. & 279.
Theſei initium, 129.
Theudes, 270.
Tiberii initium, 234.
Tiberii alterius imperium, 272. & ſeq.
Tleſias, 130.
Totila, 271. & ſeq.
Trajanus, 237.
Trojani excidii tempus aperitur, 138.
Trojanorum Regum ſeries, 140. eorumdem regum, ibid.
Tropicus annus unde dicatur, 2.
Trullana Synodus, 275.
Tyri conditus, 160.
Tyriorum Reges, 156. & ſeqq.
Tyrus quando obſeſſa, 160. &c.

V.

VAphrees. 186.
Varroniana Epocha demonſtratur, 170. & ſeq.
Veſpaſiani initium, 235.
Vitellii tempus, ibid.

X.

XErxes, 192. Artobazani fratri anteponitur, 193.

Z.

ZAcharias Rex, 151.
Zambri, 147.
Zorobabel populi Judæam repetentis dux, 193. & ſeqq.

FINIS.

DIONISII
ETAVII

Aurelianenſis è Societ. Jeſu,

ATIONARIUM
TEMPORUM.

OMUS TERTIUS

Continens

UCCESSIONES

NTIFICUM, IMPERATORUM,
ac REGUM Veteris & Novi
Teſtamenti.

COLONIÆ.
nptibus SOCIETATIS.

MDCCXX.

,, hæreſin Alogorum, quæ eſt apud Epiphanium
,, 51. tum etiam lib. 12. de Doctrina Tempo-
,, rum, oſtendit varia, quæ hîc ab eruditis
,, adſumebantur quaſi explorata, falſa eſſe.
,, Primum eſt, primam Azimorum diem Lu-
,, nâ 15. perpetuâ lege, celebratam fuiſſe; cùm
,, Moſes nuſpiam 14. Lunam, ſeu Plenilunium
,, obſervari juſſerit, ſed tantum 14. diem men-
,, ſis primi. Hoc unum obſervari neceſſe
,, fuit, primum menſem circa æquinoctium
,, vernum conſtitui, ut primitiæ frugum,
,, altero die poſt Paſcha, poſſent offerri; ſe-
,, cundùm Legem quæ exſtat Levit. 23. 10.
,, nam eo tantùm tempore, hordea matureſ-
,, cunt in Judæa. Alterum quod temerè
,, ſtatuitur eſt, ſemper à Neomenia, quæ
,, proximè ſequebatur æquinoctium vernum,
,, primum menſem inchoatum fuiſſe. Atqui,
,, ut obſervavit Petavius p. 169. Animadverſ.
,, in Epiphanium, 14. Niſan in æquinoctii
,, diem ipſum olim incidiſſe, docent vetuſtiſ-
,, ſimi Judæorum magiſtri, atque in primis
,, Agathobuli duo, & Ariſtobulus, horum
,, diſcipulus qui unus ex 72. Senibus fuit, in
,, fragmento Anatolii; quod habet Euſebius
,, Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 32. Agathobuli
,, ergo, dum ſolutiones afferrent quæſtionum
,, in Exodum, aiebant δεῖν τὰ διαβατήρια θύειν
,, *ἐπίσης ἅπαντας μετὰ ἰσημερίαν ἐαρινὴν, μεσο-*
,, *ῦντος τοῦ πρώτου μηνός. opertere Paſcha mactari*
,, *pariter ab omnibus, poſt æquinoctium vernum,*
,, *medio menſe primo.* Quod clarius fit verbis
,, ſequentibus Ariſtobuli, ὡς εἴη ἐξ ἀνάγκης τῇ
,, τῶν διαβατηρίων ἑορτῇ μὴ μόνον τὸν ἥλιον τὸ
,, ἰσημερινὸν διαπορεύεσθαι τμῆμα, καὶ τὴν σελήνην
,, δέ: *neceſſe eſſe Paſchali feſto, non tantùm ſolem*
,, *ſegmentum æquinoctiale percurrere, ſed etiam*
,, *Lunam.* Sic & Philo, de vita Moſis:
,, Τὴν ἀρχὴν τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας πρῶτον ἀνα-
,, γράφει

γράφει μῆνα Μωϋσῆς, *initium verni æquinoctii primum menſem ſtatuit Moſes.* Adſtipulatur & Joſephus lib. 3. Antiquit. Jud. cap. 10. de Paschate: Τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχή, τεσταρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν Κελῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος δι' ἔτοις ἑκάσου θυ' ἐνόμιζε: *menſe Xanthico, qui Niſan à nobis vocatur, & anni eſt initium, decima quartâ ſecundùm Lunam, in ariete ſole conſtituto, ſingulis annis juſſit ſacra facere.*

Hæc cùm ita ſint, oſtendit præterea vir doctiſſimus, Judæos nequaquam animadvertiſſe regreſſiones æquinoctiorum, usóſque, ut docet Epiphanius, non accuratis tabulis Aſtronomicis, ſed Cyclo vitioſo, & qui minimè conſentiret cum motibus corporum cœleſtium. Quin & profert ejuſmodi Cyclum partim à Joan. Keplero, partim à ſe ad mentem Ephiphanii confectum. Quæ omnia & alia huc pertinentia apud eum leguntur, neque enim paucis poſſent ſatis dilucidè explicari.

Cùm verò hæc expendiſſemus, conjicerémùſque oculos in Cyclum illum 84. annorum, ex eo deſumpſimus deſignationem Paſchalium dierum per 4. annos miniſterii Chriſti; & invenimus quidem Neomeniam Niſan ejus anni, quo mortuum diximus Chriſtum, incidiſſe in 11. Martii, feriàmque 5. unde ſequebatur 15. Lunam eſſe 25. diem ejuſdem menſis, & quidem feriam 5. quâ Paſcha à Chriſto eſt celebratum. Qua in re tria ſunt obſervatu digna. Primum eſt, Petavium nequaquam cogitare potuiſſe de ita conſtituendo Cyclo illo vitioſo, ut hoc anno Plenilunium Niſan incideret in 25. Martii, & quidem feriam 5. quia non credidit, hunc fuiſſe annum ϛαρυϖσιμον Chriſti.

„ Itaque caſu non leve nobis præbuit argu-
„ mentum, quo perſuadeamur, Cyclum illum
„ verè ad mentem Judæorum confectum fuiſ-
„ ſe; cum nobis ſuppeditet veram feriam heb-
„ domadis, in quam incidit ultimum Chriſti
„ Paſcha. Alterum eſt, ſi Judæi eo ævo exiſti-
„ mabant ſibi celebrandum Paſcha, proximè
„ poſt æquinoctium, eos non malè elegiſſe veſ-
„ peram diei 25. Martii; cùm à tempore Ju-
„ lii Cæſaris, ex Soſigenis ſententia, is dies
„ eſſet attributus æquinoctio verno. Tertium,
„ à vero non aberraſſe veteres, qui, ut ex La-
„ ctantio vidimus, Chriſtum in crucem ſub-
„ latum cenſerunt ante diem 7. Calendarum
„ Aprilium. Nec multùm ab hoc calculo abie-
„ runt, qui 8. aut 10. Calendas Apriles rem
„ contigiſſe volunt. Imò minimè eſt incredi-
„ bile, priores, qui diem illum prodiderunt,
„ aut ab Apoſtolis accepiſſe, aut collegiſſe ex
„ Cyclo Judaico, qui æquè potuit antea in-
„ notuiſſe nonnullis Chriſtianis, ac poſtea
„ Epiphanio. Fortè & qui dixerunt, Chriſtum
„ paſſum eſſe 8. Calendas Apriles, ut Tertul-
„ lianus & poſt eum multi, non alia de cau-
„ ſa malè deſignarunt diem mortis Chriſti,
„ quàm quia diem Paſchalem, quem ſciebant
„ eo anno incidiſſe in 8. Calendas Apriles,
„ volebant fuiſſe emortualem Chriſti, decep-
„ ti malè intellectis Joannis locis.

„ Una hîc agitanda ſupereſſet quæſtio; u-
„ trùm, nimirum, Chriſtus ultimum hoc Pa-
„ ſcha celebrârit eodem die ac cæteri Judæi,
„ an verò legitimum tempus anticipârit,
„ quia notat ſe poſtridie in crucem eſſe tol-
„ lendum. Verùm à tot eruditis viris ita res
„ pertractata eſt, ut neceſſe non ſit quidquam
„ adjicere. Satis erit dixiſſe, id quod ex Hi-
„ ſtoria noſtra Evangelica liquet, nos eſſe in
„ eorum ſententia, qui à Chriſto Paſcha ſuo
„ tempore celebratum cenſent, unà cum Ju-

dæis ; quod , ut nobis quidem videtur , “
Matthæi , Marci & Lucæ narrationes ſa- “
tis perſpicuè oſtendunt. Nec quidquam ei “
ſententiæ objectum eſt hactenus , quod non “
etiam facilè ſolutum eſſe ab ejus patronis “
videatur. Unus inſtar omnium , conſuli “
poterit Sam. Bochartus Hierozoici P. I. “
lib. 2. capite 50. ubi de Paſchali agno agit, “
& ubi ita explicuit loca Joannis, quæ huic “
ſententiæ objici ſolent , nulla ut ampliùs “
difficultas ſuperſit. “

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

quæ in poſteriore Rationarii Parte continentur.

A.

ABRAAMI ortus, 71. quantum diſtet à diluvio, *ibid.* ſeptuageſimo natus anno Thare, *ibid.* ejus peregrinationes, 72.
Achab, 147. & *ſeq.*
Achazus Rex, 150.
Acriſius Mycenarum Rex, 130.
Æneas in Italia regnat, 140.
Æræ vocabulum unde, 109.
Æræ Seleucidarum, 202.
Æra Chriſtiana ejuſque ratio, 13.
Aëtius delet Attilam, 269.
Agon Capitolinus Domitiani, 239.
Alaricus quando Romam expugnaverit, 267.
Alexandri Magni ortus & mors, 198. & ſeq.
Alexandri Rom. Imperatoris initium, *ibid.* 243.
Almaricus, 270.
Alyattes Lydorum Rex, 175.
Amaſias Rex Judę, 149. & *ſeq.* ejus obitus, 150. & *ſeq.*
Amaſis, 184.
Amphictyonis regnum, 129.
Amri, 147.
Ancyrana Synodus, Diſſert.
Anni Actiaci, 209.
Anni Ægyptiaci quomodo in Juliana Periodo inveſtigandi, 40.
Anni Euſebiani Chronici quomodo ad Julianam Periodum accommodandi, 28.
Anni Iphiti, *vide* Olympiades.
Anni Juliani, 32.
Anni Contractuum qui, 205.
Anni Chriſti, *vide* Æra Chriſtiana.
Annorum numerus ab orbe condito ad æram Chriſtianam cur certò definiri nequeat, 64. & ſeq. Græcorum ab Hebræis & Latinis codicibus diſcrimen, *ibid.*
Annorum urbis conditæ ratio, 32.
Annus Athenienſium, 15.
Annus primus Julianus aperitur, 206.
Annus Solaris & Lunaris, 1 & *ſeq.*
Annus Civilis, *ibid.*
Annus Tropicus, 2. & 3.
Annus Julianus, 3. ejus utilitas, 4. & *ſeq.* 20. methodus illius, 33.

Annus

Annus Judaïcus quando Lunaris fuerit, 18.
Annus Arabicus qualis ſit, 19.
Annus Ægyptiacus qualis, 33. ejus methodus, *ibid.* 34.
Annus Græcus olim à bruma cœpit, poſtea ab ſolſtitio, 16. &c.
Antiochenorum æræ, 206.
Antiochi Eupatoris tempus, 204.
Apparitionis ſtellæ Magos antecedentis tempus, 229.
Apries Ægypti Rex, 184.
Arbellicæ pugnæ tempus, 198.
Archontes Attici perpetui, & decennales, 128.
Argivorum regnum, 105. Regum ſeries, 106.
Argonautarum expeditio, 135.
Artaxerxes Longimanus, 192.
Aſa Rex Judæ, 146. & *ſeq.*
Aſſuerus Rex Babylonis, 194.
Aſſyriorum imperium ſive Chaldæorum quando cœperit, 82. *& ſeq.*
Aſtyages ultimus Medorum Rex, 162. 183. quid in ejus hiſtoria erratum ſit, oſtenditur, *ibid.*
Aſtyages à Cyro imperio ſpoliatur. 163.
Athalia Ochoziæ Judæ Regis mater tyrannidem occupat, 148. *& ſeq.*
Athenienſium regnum, 106.
Athenienſium Regum ſeries excutitur, 127. *& ſeq.*
Atrei & Thyeſtæ regnum, 132.
Attila vincitur, 269.
Auguſti Imperatoris initium multiplex explicatur, 209. *& ſeq.*
Auguſtorum anni unde initium repetant, 201. *&* 211.
Aurei numeri cyclorum indices quâ ratione diſpoſiti ſint in Calendariis, 8.
Azarias. 151.

B.

Baaſa, 147. *& ſeq.*
Babylon expugnata à Cyro, 188.
Babylonici regni ortus, 173. *& ſeq. &* 188.
Bacchiadæ, 141.
Baladan, 174. *& ſeq.*
Balbinus Imperator, 245.
Baltaſar, 180.
Baſilius Hæreticus, Differt.
Belus, ſive Nembroth, 82.
quoto anno regnarit, 82.
Benedictus S. floruit ſub Juſtino & Juſtiniano, 271. *& ſeq.* obitus ejus annus eſt incertus, *ibid.* variæ de ejus obitu ſententiæ, *ibid.*
Biſſextilis dies, 8.
Borſippena arx, 178.
Botſra, ſive Byrſa, 161.

C.

Cadmi in Græciam adventus, 135.
Calendarii caſtigandi quæ fuerit ratio, 4. & ſeq.
Calippicæ Periodi initium, 200.
Cambyſes, 191.
Caranus Macedonici regni fundator, 164.
Caroli Magni Imperatoris anni, 280.
Carthada ſive Carthago, 161.
Caſtor & Pollux, 136.
Cecrops Athenis regnat, 127. & ſeq. 134.
Cenſorini tempus, 245.
Chaldęorum regnum quando cœperit, 174.
Charopis initium, 129.
Childericus Chlodovei II. filius, 279.
Chilpericus, 277.
Chlodovei I. poſterorum tempus demonſtratur, 270. & ſeq.
Chlodoveus II. 278.
Chlotharii primi tempus, 279.
Chlotharii Chlodovei ſecundi filii tempus, ibid.
Chriſti adventus Jacobi Patriarchę vaticinio oſtenditur, 212. & ſeq.
Chriſtianæ æræ initium, 217. & ſeq.
Chronologia quid ſit, 1. & ſeq. ejus principia, 42. & ſeq. ejus examinandæ methodus, 48.
Chronologiæ ſanctę ac nuper editę brevis elenchus, 49. & ſeq.
Chronologiæ communis terminus quis, 12. & ſeq.
Chronologiæ tria principiorum genera explicantur, 43. & ſeq.
Cirthenſis Concilii tempus, 252. & ſeq.
Claudii Imperatoris initium, 234.
Cleopatræ tempus, 201.
Commodus Imperator, 238.
Conſtantius Chlorus, 259.
Conſtantii Conſtantini filii tempus ratione firmatur, 265.
Conſtantii ejuſdem obitus, 266.
Conſtantini initium, 259. mors, 260. 265.
Corinthiorum Regum initium & exitus, 138.
Cranai regnum, 134.
Crœſum in poteſtatem Cyrus ſuam accipit, 188. & ſeq.
Cyaxares, 175. & ſeq.
Cyclus eſt periodus annorum, 6. & ſeq. varii cycli, ibid. octaëteris, enneadecaëteris, ibid. hujus ratio redditur, ibid.
Cyclus Solaris, Lunaris, & Indictionis exponitur, 9. & ſeq.
Cylonium piaculum, 188. & ſeq.
Cypſelus, 141.
Cyrus in Perſide regnat, 187. regnat Babylone, 191.

D.

DAgoberti initium, 278.
Danaus, 135.
Danielis hebdomades declarantur, 195.
Darius Medus, 183. & ſeq.
Darius Hyſtaſpis filius, 191. & ſeq.
Darii Codomanni clades, 198.
Diluvium Noëmi,, ejuſque deſcriptio, 69.
Diluvium Deucalionis, 134. & ſeq.
Diluvium Ogygis, 107.
Diocletiani initium, 248. & ſeq. imperio ceſſit, 251. & ſeq. initium perſecutionis Diocletianeæ, ibid. & ſeq. 255. & ſeq.
Dionyſii Exigui tempus, 217. unde æram ſuam cœperit, ibid.
Domitiani imperium, 236. ejus mors, ibid.

E.

ENcænia templi Salomonici celebrata, 146.
Enneadecaëteridis inventor quis, 8.
Ephree, 186.
Epochæ Chronologicæ inſignes minimè dubiæ, 46. & ſeq.
Eſdras Babylone proficiſcitur, 193. & ſeq.
Eudoxiæ Imperatricis obitus, 267. & ſeq.
Evilmerodachus, 178
Euryſtheus in Attica occiſus, 132. & 137.

F.

FAunus, 140.
Feriarum inveſtigandarum methodus 9. & ſeq.

G.

GAlba Imperator, 235. & ſeq.
Gordianorum duorum tempus, 244. & ſeq.
Guntchramnus, 276.

H.

HAdrianus, 237. & ſeq.
Hebræorum duplex regnum, Judæ, & Iſraëlis, 141.
Hecatombæon primus menſis Atticus, 16. Solſtitium interdum anteceſſit, ibid.
Helena, 136.
Hellen Deucalionis filius, 135.
Heraclidarum in Peloponneſum eruptio, 132. 136.
Heraclidæ Peloponneſum obtinent, ibid.
Heraclii primordium, 274.
Herculis tempus explicatur, 136. ejus mors, 137.
Hieroſolyma capta, 235.
Hieroſolyma ab Herode & Soſio capta, 122.
Hipparchus Tyrannus, 189.
Hippias, ibid.
Hiſpanicæ æræ initium, 208. & ſeq.

Hiram;

Hirami regnum, 157.
Hiſtoria quid ſit, 1.
Hybrilides, 196.

I.

Jacob naſcitur, 90. in Ægyptum venit, *ibid.*
Jacobi Patriarchæ de Chriſto vaticinium explicatur, 212. & *ſeq.*
Janus, 140.
Jeroboam Iſraëlita, 146.
Jeroboami ſecundi initium duplex, 150. & *ſeq.*
Joas Ochoziæ filius, 149.
Joathamus, 151.
Jubilæi anni accuratè diſcuſſi, 125. & *ſeq.*
Jonathę Pontificis tempus, 204.
Jorami duo, 148.
Joſaphatus Rex, 148. & *ſeq.*
Joſeph in Ægypto patrem excipit, 50.
Ioſua poſt Moyſem in promiſſa terra ſubigenda quot annos poſuerit, 110. & *ſeq.*
Iſaacus naſcitur, 90.
Iſraëlitici Reges nec non Judæ exponuntur, 144. & *ſeq.*
Ithobalus Aſtartæ Sacerdos, 158.
Iudæi à Nabuchodonoſore in ſervitutem redacti, & quo tempore, 154. & *ſeq.*
Juſtini Imperatoris initium, 272.

L.

Laboroſſoarchodus, 178.
Lacedæmoniorum Regum initium & exitus, 140. & *ſeq.*
Latii veteres Reges, 140.
Ludovicus Pius Imperator, 280.
Lycurgi Legiſlatoris ætas, 161.

M.

Macedonici regni initium, 163. Regum ſeries, 164. & 165.
Machabęorum utriuſque libri epocha duplex, 202. & *ſeq.*
Magorum ad Chriſtum venientium patria, 227. Regeſne fuerint, *ibid.* & 228. quo tempore in Iudæam, Bethleemumque venerint, *ibid.*
Magus poſt Cambyſem Perſarum Rex, 191.
Marathoniæ pugnæ tempus, 196. & *ſeq.*
Marciani Imperatoris tempus, 269.
Martini Sancti obitus notatur, 267. & *ſeq.*
Mauricii Imperatoris initium demonſtratur, 273. & *ſeq.*
Maxentii obitus, 261.
Maximiani exordium, 250. & *ſeq.* ad privatam vitam redit, 251.
Maximus Imperator, 245.
Medorum Regum ſucceſſio, 162. belli Medorum cum Lydis à Cyaxare Rege geſti tempus aperitur, 175. & *ſeq.*
Mega-

Megaclis Athenienſis factio, 190.
Menſis Lunaris quid ſit, 6. alius eſt Civilis, alius Aſtronomicus, *ibid.*
Menſium Ægyptiacorum, & Romanorum laterculum, 36. inveſtigatio, 37. *& ſeq.*
Merodach, 174.
Methodus annorum Euſebiani Chronici, 28. *& ſeq.*
Methodus annorum Iphiti, 30. *& ſeq.*
Methodus cyclorum, 20. *& ſeq.* in Periodo Iuliana, 23. *& ſeq.* in annis mundi, 27. *& ſeq.*
Methodus cyclorum in annis propoſitis inveſtigandorum, 20. *& ſeq.*
Meton cycli decemnovennalis auctor, 7.
Mundi annorum ante Chriſtum inveſtigandorum methodus, 27. *& ſeq.*
Mundi annorum varia putatio, & unde orta, 64. non poteſt certò iniri numerus, 65. *& ſeq.* quot ex Auctoris opinione conſtituantur, 67. conditus eſt autumno, 68. & Octobris viceſimo ſexto, *ibid.*
Mycenęorum regnum, 130. quando deſierit 132. Regum Mycenęorum ſeries, 130. *& ſeq.*

N.

NAbonaſſari initium, 173. *& ſeq.*
Nabonaſſari anni, eorumque methodus, 33. *& ſeq.* ejus ęrà ſolis cognita Mathematicis, 34. 173.
Nabonidus, 178. *& ſeq.*
Nabopolaſſarus 176. *& ſeq.* quando regnare cœpit, *ibid. &* 177. *& ſeq.*
Nabuchodonoſorus Iudęos ſervitute opprimit, 152.
Nabuchodonoſorus regnare cœpit, 176. *& ſeq.* ejus geſta, 181. *& ſeq.* mortuus eſt, 183.
Nadab, 147.
Natalis Chriſti ratio explicatur, 227. ejus locus & dies, 226. *& ſeq.*
Necaos ſive Necos Ægypti Rex, 186.
Neëmias in Iudęam venit, 194.
Neriglissarus, 179. *& ſeq.*
Neronis imperium, 234.
Nerva Imperator, 237.
Nicęnum Concilium, quo tempore celebratum, 263. *& ſeq.*

O.

OChozias Rex Iſraël, 148.
Ochozias Rex Judę, 149.
Octaëteris Gręca, 7.
Olympia urbs Peloponneſi, ubi ludi Olympici celebrati, 16. 30. *& ſeq.*
Olympiades Græcæ per annos quatuor evolvuntur, 16. 29. *& ſeq.* eorum annorum methodus, 31. *& ſeq.* de Olympiadibus, & earum initio, ac tempore

pore pleniùs, 166. & ſeq.
Olympici ludi unde ſic dicti 16. 30. & ſeq. illorum legitimum tempus, 166. & ſeq. eos inſtaurat Iphitus, 31. 168. & ſeq.
Oſeë Rex poſtremus Iſraelis, 150. & ſeq.
Othonis tempus, 235. & ſeq.
Ozias regnat, ibid. & ſeq.

P.

PAlilia paſtorale feſtum, 171.
Paſſionis Dominicæ annus, menſis, ac dies, 230. & ſeq.
Patriarcharum ante diluvium ſeries, 66. & poſt diluvium, 70. & ſeq.
Pelopis è Phrygia in Græciam adventus, 133.
Peloponneſiaci belli tempus, 197.
Perdiccę undecimi Macedoniæ Regis initium, 165.
Periander, 141. 185.
Periodus Juliana declaratur, 11. ejus utilitas, ibid. & ſeq. methodus Cyclorum in iſta Periodo, 23. & ſeq.
Periodus Calippica & Metonica declaratur, 17.
Periodus Victoriana, 25. & ſeq.
Perſarum Reges, 191. & ſeqq.
Perſecutionis Diocletianeæ tempus, 251. & ſeq.
Perſici regni initium, 187.
Phaceja, 150.
Philippi Aridæi epochæ initium, 199. & ſeq.
Philipporum anni, 246.
Picus Latii Rex, 140.
Piſatis Peloponneſi regio, ubi ludi Olympici commiſſi, 16. 30. & ſeq.
Piſiſtrati tempus, 189. & ſeq.
Pręſidum & Procuratorum poteſtas in adminiſtrandis provinciis, 223. & ſeqq. nullus in Iudæa ſub Regibus fuit, ibid.
Probi Imperatoris tempus, 247.
Promethei ſeculum, 107. & ſeq.
Provinciæ quomodo à Romanis geſtæ, 223. & ſeq.
Pſammenitus, 185.
Pſammis, ibid.
Pſammitichus, ibid.
Ptolemęi Philometoris initium, 201.
Ptolemęorum in Ægypto initium, ibid.
Pugna Alexandri M. cum Dario ad Arbella, 198.

Q.

QUæſtiones in Regum hiſtoriâ difficiles, 142. quomodo enodatæ, ibid. &c.
Quirinus quis, 224. ejus cenſus duplex, 225.

R.

ROmæ conditus, 169. &c. autumno exſtrui cœpta, 170. & ſeq.

Romæ à Gallis occupatæ tempus, 197. & ſeq.
Romuli ortus exponitur, 172.

S.

SAbbatici anni tres orti, 46. eorum accurata diſputatio, 121. & ſeq.
Salaminiæ pugnæ tempus, 196. & ſeq.
Salomonis initium, 146.
Saturnus, 140.
Sicyoniorum regnum, 83. & ſeq.
Simon Joan. Hyrcani pater occiſus, 122.
Stella Magos antecedens quo tempore apparuerit, 229. & ſeq.

T.

TEmpli Salomonici fundamentum, 146.
Tempus quid ſit, 1. & ſeq.
Thebni, 147.
Themiſtocles ad Perſas profugus, 193.
Theodebertus, 270.
Theodebaldus, 271.
Theodoricus Franc. Rex, 270. & 279.
Theſei initium, 129.
Theudes, 270.
Tiberii initium, 234.
Tiberii alterius imperium, 272. & ſeq.
Tleſias, 130.
Totila, 271. & ſeq.
Trajanus, 237.
Trojani excidii tempus aperitur, 138.
Trojanorum Regum ſeries, 140. eorumdem regum, *ibid.*
Tropicus annus unde dicatur, 2.
Trullana Synodus, 275.
Tyri conditus, 160.
Tyriorum Reges, 156. & ſeqq.
Tyrus quando obſeſſa, 160. &c.

V.

VAphrees. 186.
Varroniana Epocha demonſtratur, 170. & ſeq.
Veſpaſiani initium, 235.
Vitellii tempus, *ibid.*

X.

XErxes, 192. Artobazani fratri anteponitur, 193.

Z.

ZAcharias Rex, 151.
Zambri, 147.
Zorobabel populi Judæam repetentis dux, 193. & ſeqq.

FINIS.

Digitized by Google